







Tome premier seul publié



Si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum. Ioa. 12.
ORPHEVS
EVCHARISTICVS
Siue *
Al. Flamen d. in. sculp.
Authore P. Augustino Chesneau
Augustiniano S. Th. Professore.
* Deus absconditus
Humanitatis illecebris illustriores mundi partes ad se
pertrahens vltroneas arcanæ maiestatis adoratrices.
opus nouum
In plures emblematum historicorum centurias distinctum.
cum priuil. Regis Christ.

ORPHEVS EVCHARISTICVS.

SIVE

DEVS ABSCONDITVS

humanitatis illecebris illustriores Mundi partes ad se pertrahens, vltroneas arcanæ maiestatis adoratrices.

OPVS NOVVM


In varias historicorum Emblematum æneis tabulis incisorum centurias distinctum, quæ strictâ, solutâque oratione explanantur, adiectis Authorum fontibus ex quibus eruuntur.

TOMVS PRIMVS.

Primam centuriam complectens.

Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Ioannis cap. *12. 32.*

Authore P. AVGVSTINO CHESNEAV Victreensi Communitatis Bituricensis Ordinis Eremitarum sancti Augustini sacræ Theologiæ Lectore.



PARISIIS,
Apud FLORENTINVM LAMBERT, viâ Iacobæâ sub signo sancti Pauli, e regione sancti Yuonis.

M. DC. LVII.

Cum Approbatione & Priuilegio Regis.

EMBLEMA PROOEMIALE.

IVSTINIANVS IMPER. CONTRACTAM IN MENSA TOTIVS NATVRÆ MAIESTATEM, IN SANCTÆ SOPHIÆ TEMPLO, CHRISTO CONSECRANS.



SVpplex ad aram magnifici reus
Voti Imperator, conspicuam dicat

Gemmis, metallis, atque lignis,
Summâ animi pietate, mensam.
Compendium orbis pro merito exigit
A præpotenti numine suscipi:
Contracta Naturæ venustas
Luce micat speciosiori.
Hic margaritas æquoris Indici,
Metalla, gemmas, lectaque aromata,
Et quicquid in terra, mariue
Rarius est, meliusue, cernas.
Iustiniani se pietas nequit
Præstantiori prodere munere:
Nam mensa collectum coërcet
Sole quod est sub vtroque sparsum.

APODOSIS.

Coacta in arctum gloria totius
Mundi, Sophiæ siderei Patris
Offertur angusto libello,
Dignum vtinam tibi, Christe, *munus.*
Flatu superni Pneumatis hoc opus
Dudum inchoatum perficies, meum
Si struthionis more, blando
Intuitu foueas laborem.
Tuum est quod aris offero, de tuâ
Manu recepi, quicquid inest boni:
Opella felix! si resultet
Inde decus tibi, laus, honorque.
Huc vnde manant reflua flumina
Gemmas & aurum fluctibus inuehunt;

Suumque honorant profluente
Principium pretiosiori.
Quidni refundam quos mihi cælitus
Infundis imbres? suscipe quod mea
Suspendit aris gratitudo,
Iure sacrum, tibi quod sacratum.

FONS. EMBL.

IVstinianus Imperator sacram mensam fecit, opus imitatione nullâ æquandum: constabat verò auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare, & totus mundus: Ex omni materiâ pretiosiora plura, viliora pauciora collegerat; liquatisque his quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ absoluerat. Itaque varium illud opus contuentibus stuporem conijciebat. In orbem hanc habuit inscriptionem: *Tua de tuis tibi offerimus serui tui, Christe, Iustinianus & Theodora. Ea tu propitius accipe, Fili Dei Verbum qui nostri causâ carnem assumpsisti, & cruci affixus fuisti; ac nos in tuâ rectâ fide conserua, & quam nobis commisisti Rempub. eam ad tuam gloriam auge, & tuere, intercedente S. Deiparâ Virgine Maria.* Ita Baronius ex Cedreno ad annum Christi 557.

DEO ABSCONDITO,
Suis latebris illustriori,
GLORIÆ SOLIVM.
VERBO ABBREVIATO,
Suis angustiis augustiori,
GRATIÆ SANCTVARIVM,
IMMENSITATIS BREVIARIO,
Suâ contractione ampliori,
NATVRÆ COMPENDIVM,
CAPACI VNIVERSITATIS PVNCTO,
Suâ magis indiuisione diuisibili,
PHILOSOPHIÆ CIRCVLVM,
IMMORTALI CHARITATIS VICTIMÆ,
Suis altaribus altiori,
ELOQVENTIÆ SERTVM,
AMORI SVO TRIVMPHANTI,
Suis triumphis humiliori,
POMPÆ FERCVLVM, ET
PANEGYRICVM.
D. C. D.

1 COacta in arctum naturæ maiestas, nullâ sui parte mirabilior est, tantòque videtur augustior, quantò angustior. Nèc

indignum planè Deo illius conditore munus, nisi fortassis suum opus eximio displiceat artifici. Pij proinde imperatoris Iustiniani vestigiis insistens, totius aspectabilis naturæ maiestatem pluribus huiusce operis voluminibus circumscriptam, tuis, Christe, prouolutus aris, totis præcordijs offero, & diuinorum operum admirabili compendio, Mundi compendium consecro. Enimuero cuinam potius erumpentes studiorum gemmas sacrarem, quàm gemmæ Sacramentorum? cui primos exilis ingenij fœtus dicarem, quàm ingenti ingeniorum genio: Cuinam aptius reciprocæ dilectionis hostiam, quàm adorabili charitatis victimæ, tum incruentè in epulo, tum cruentè in patibulo immolatæ, & amabili doloris & amoris aræ sisterem? Cui selectos ex amœnioribus aspectabilis naturæ floretis offerrem flosculos, quàm Iesu Nazareno, immarcescibili gratiæ flori, lilio conuallium, corollæ virginum? Cui demum æquius istud opusculum, pro culpæ remissione votum, pro gratiæ largitione Eucharisticum, pro gloriæ promissione sacrum appenderem, quàm augustissimo Sacramento, tum culpæ tumulo, tum gratiæ cumulo, tum gloriæ thalamo?

2. Quum hoc qualecunque obseruantiæ

meæ pignus, tui (Deus abſcondite) ſacrarii tholo, polo ſacratiori ſuſpendo, tuorum munerum numerum rependo ; tuis dudum conſecratus aris, tibi tua conſecro, tuus ad aras. Inflexos reflecto ad ſolem radios, contorta retorqueo amoris ſpicula, infuſos refundo ad fontem latices, influentiam cælo, rorem auroræ, imbrem nebulæ, guttam fluuio, fluuium oceano, atomum radio, reddo ſcintillam incendio. Tuus in homines amor, verè tuus, ideſt infinitus, quo tuos in finem dilexiſti, dum ſeſe ſacramentalium anguſtiis ſpecierum inexplicabiliter implicat, vires ſuas amplius explicat, ſuoque magis detegitur integumento, cælare ſe in hoc myſterio poteſt, non celare, dumque cor tuum lanceâ ſaucium ibidem clam rodit, flammæ latentis incendium palam prodit. Siquidem ex glorioſæ humanitatis oculis omnis ſuauitatis loculis, quibus inſidens amor faculas iaculatur, per accidentium quibus inuolueris nubeculam, tot in nos innocua vibras amoris fulmina, tot ſcientiarum tranſpiras lumina, vt ad tanti cultum & admirationem Sacramenti ſpectatores tuos vel inuitos inuites, ijſque vitæ perennis vehemens deſiderium inſpires; cum Empyrei ardores redoleant hæc fulmina, & alant iſta tuis emiſſa luminibus lu-

mina, quibus clientes tuos illuminas, at ſole felicior neminem vris, niſi amore illo, cuius igne conſumi æterna felicitas, & felix eſt æternitas.

3. Maieſtas, & amor tuo in pectore ſtabile ſibi domicilium elegerunt; rarum ſpectaculum, & admirabile commercium; nec enim vtriuſque extremi facilis affinitas, vbi non mediocriter detrahere ſolet dignitati benignitas. Amas, & ſapis, quia Deus es, cuius ſapere ſimul & amare ſingulare priuilegium. Amans nec tamen amens, quod in amore nimio ſtupendum. Vt amans ardes igne charitatis, vt ſapiens ſplendes luce maieſtatis. Latet quidem velata maieſtas, patet verò reuelata charitas: quod illa lateat numinis eſt potentiæ, quod hæc pateat, Dei hominis clementiæ. Quò illa opertior, hæc apertior, & de latebrâ claritatis, clareſcit fulgetra charitatis. Vt fulmen intra nubis latera latitans crebra manifeſtant fulgura, ſic numen Sacramentali obnubilatum nubilo, ab amoris incendio prodiens prodit fulgetra. Mirum quod tonantis potentia non infringatur amantis vehementiâ, olimque fœdifragæ primum in te fœdus inierint amor, & Maieſtas, vbi ſemel cum humanitate pactum inuiolabile ſanciuit Diuinitas. Si terribiliter fulguret Deitas, ſuauiter affulget

Humanitatis humanitas ; quantum illius exanimat gloria , tantum huius animat gratia ; illa veneranda , hæc amanda , vtraque admiranda.

4. Amor meus è tuo depromptus, promptus est, vt eò refluat, vnde defluit : fontis sui puritatem redolet riuulus , cælum fragrat , haud cœnum; purus est , non spurius, quia diuinus & tuus , cuius ea sit indoles nihil stolidum spirare , sed solidum , nihil futile , sed vtile ; vtpote non è terrenæ fuco vanitatis, sed ex æternæ foco veritatis deriuatus. Amor iste pondus animæ, quò rapitur in te, extra se, magis ambiens esse vbi amat, quã vbi animat. Amat, vt amet amplius, amat quia prius amatur, amantem redamat. Quippe si magnanimis animis viuere, & amantem non redamare, amarè est viuere ; quantò magis Deum homines depereuntem non vicissim amare , perire est ? Perieram dubio procul ; nisi hac sorte periissem , vt miserè pereuntem misericorditer deperires, neue in æternum perirem , inter illustres crucis ignominias gloriosè perires, meique amore morereris. O indelebile trophæũ charitatis! ô summæ summam pietatis! ô diuinæ potentiæ compendium ; ad impij Iudæ suspendium , ad Sathanæ dispendium, ad Ecclesiæ compendium , ad totius Numinis impen-

dium! Eccetriticeo contineris orbiculo orbis amplissimi conditor immensus, cuius amplitudini orbis angustus: totus in toto, totus in qualibet parte latitas, vt parte potitus, totum possideam, & quocunque diuerterim, ibi te obuium habeam, & amantis proruam in amplexus. Quidni igitur totus tuus sim, cùm totus meus sis, & totum me capias, cùm totum te pectoris gremio quotidie capiam? Neque tamen meo sic capereris pectore, nisi tuo prius capereris amore. Meo proinde iure lubenter, in tui gratiam, cedo, vt meus feliciter esse desinam, qui totus deinceps futurus sum tuus.

5. Imminente Passionis nocte, cruento doloris supplicio, prælusit incruentum amorum dissidium. In Christi pectore duo amores inuicem dimicabant; nec exile proponebatur triumphalibus athletis sui prælij præmium; nisi quis fortasse parui Theandri corpus æstimet, quo nihil aut amabilius in terris, aut adorabilius in aris, aut admirabilius in astris. Ortum est è duarum, cum vnico sponso, sororum coniugio iurgium; dilectus vnicus vtramque vnicè diligens, geminis amoribus grauis duelli extitit occasio; quibus in Iesuani cordis arenâ colluctantibus ambæ riuales adfuere, hinc Ecclesia militans, illinc triumphans,

ſuorum athletarum ſpectaturæ congreſſum, expectaturæ ſucceſſum. Corpus Domini breui de morte triumphaturum, triumphantis amor exigebat; illud idem aduerſus tormenta militaturum militantis amor æquiori ſibi titulo vindicabat. Arguebat ille cælitum turmis reſtituendum eſſe cæleſtem planè Filium numinis; hic potiori iure deberi filijs hominum, Filium hominis. Inſtabat ille Redemptoris animam, ab ipſius conceptionis inſtanti, diuinæ conſortem eſſe beatitudinis, ſtolâque immortalitatis indutam; Opponebat iſte carnem ipſius veſtitam humanæ trabeâ mortalitatis. Vrgebat ille potiorem animæ, quàm carnis habendam eſſe rationem, hic e contrario carnem Domini vnicam eſſe litis materiem. Ambo itaque & pugnâ, & palmâ pares, ambo palmares, & triumphantes; fortaſſis vt hac ratione ſibi prorſus æquarentur athletæ, vt quemadmodum Curiæ cæleſtis amor, de triumphante non erubuerat fieri militans, vt ita cum pari confligeret; ita & eius æmulus de militante fieret triumphans, ne honorum titulis antagoniſtæ cederet. Proinde vtrumque coronare Agonothetæ Chriſto viſum eſt æquius, & conuenientius.

6. Litis huius eò difficilior deciſio, quo ſolius ſponſi dirimenda erat arbitrio. Quid

enim riualibus tam ardenti ſtudio pretioſum corpus ambientibus, vndequaque pronunciaret acceptum? Par vnicuique ius in corpus coniugis, par in vtramque propenſio iudicis. Quis implexum huiuſmodi nodum diſſolueret, niſi antea Chriſtum ipſum ſolueret? Quis inter duorum pondera amorum, hinc inde inclinantium miraculosè libratus, polum inter & ſolum, diu perſiſteret in æquilibrio? Quis denique ſponſus ſponſis zelotypis eiuſdemque thalami conſortibus, conſortis vt plurimum impatientibus, ſimul abundè faceret, niſi ius faciens duobus animæ ſuæ dimidijs, dimidium quoque ſui corporis cuique decerneret? Nihilominus ſequeſter induſtrius, ſubortâ huiuſmodi inter vtramque Eccleſiam, alteram adhuc pugnantem in caſtris, alteram iam regnantem in aſtris, de ſuo corpore lite, vt pote & natura terreno, & gloriâ cæleſti, ita illud arte mirabili, ſubtilique ſententiâ cum cælo ſoloque diuiſit, vt indiuiſum obtineret Eccleſia militans, indiuiſum poſſideret & triumphans. Nimirum vtriuſque ſponſus, indiuiſus in qualibet Sacramenti parte, diuidi noluit in partes, qui vt partes a capite diuiſas reuniret, clauis in cruce diuidi voluit, ad indiuiduam Dei & hominis vnionem. Quam diſſimilis parenti

partus! vulnus peperit ſanitatem, numerus genuit vnitatem, & ex veri corporis diuiſione nata eſt myſtici corporis vnitas, & indiuiſio.

7. In ſacrâ ſynaxi magnificum animæ fideli inſtruxit epulum, in quo ſponſam lilijs puriorem, humanitatis ſuæ virginali paſcit lilio, inter puriſſima angelorum lilia, donec æternitatis ſerenus aſpiret dies, & vmbræ fidei inclinentur. Deus immortalis, quale conuiuium! in quo conuiua tanto Spiritu diuino plenior, quanto Dei carne magis ſaginatus, inde ſpiritalis euadit, vnde carnalis; vbi caro ſpiritui ſubijcitur, dum Dei carne ſpiritus hominis roboratur; vbi Numinis arcani magnificentia ſuum & cordi & corpori pabulum eodem ſuggerit ferculo, & vtrique futuræ germen felicitatis, vnico inſerit fruſtulo, quo vel integrum toti triumphanti Curiæ parari poſſet epulum. Vbi Golgothici amarities abſynthij, in ſaporem tranſit obſonij, fellis poculum, in calicis condimentum, & dominicæ memoria mortis in ambroſiam immortalitatis; vbi ſub vnius placentæ ſorbillo, Deus ipſe tantus quantus eſt, in os hominis ingeritur, vt ardenti illius amore quadantenus digeratur. Quanta vis potentiæ Deum ſic in eſcam immutantis, vt in os poſſit ingeri! quantus

feruor amoris, vt in os & pectus ingestus, possit digeri! quanta vis potentiæ, vt immensum, non vt quondam infantili corpusculo, sed panis contrahat orbiculo! quanta vis amoris, vt totum angelorum nectar vini guttulâ, & infinitum beatorum epulum panis includat particulâ, adeo vt tantum insit epuli reliquiis, quantum integris epulis! Deus magnus, nihil magnum; Deus homo, mirum; homo Deus, stupendum; Deus in puncto, omnipotentiæ miraculum; Deus in cibo, gratiæ prodigium; vtrumque diuini amoris nostras in delicias ingeniosi ostentum. Vbi altor transit in alimentum, vt vicissim alumnus transmutetur in altorem. Quanta dignitas hominis, alumnum esse Numinis! quanta dignatio Numinis, homini semetipsum exhibere, non vltorem quod meretur, sed altorem, quod immeretur! Vbi gloriosa Seruatoris humanitas, et mater & nutrix, eodem pretiosi cruoris semine, quo nos veluti cæsares, cæso lanceâ vtero concepit & peperit, lactat vulnerum mamillis pendulos, quatenus iis deinceps nutriamur, quibus constamus. Nimirum virginis Patris vnigenitus, fieri voluit Virginis Matris vnigenitus, vt esset in multis fratribus primogenitus, quibus in posterum omnia factus, vestitus foret

& victus, sui titulo maioratus; quo deinceps patre Deo, fratre Dei Filio, dapifero creatore, pincerna redemptore gloriantes, & à fraternâ nobilitate minimè degeneres, quem nunc inter sacramentales nebulas latitantem reueremur altorem, inter fulgureas extremi iudicij nubes fulminantem non vereamur vltorem.

8. Sed & immortalis sponsus nuptias in Eucharistiâ celebrat, animamque sui cruoris murice fulgentem, pretiosi corporis annulo, sub arâ subarrhat. Par fortunatum, quod inuiolabilis nectit copula, iugisque coniugij iugo subigit virginei lex æterna contractus! Mirabiles plane nuptiæ! quibus verbum caro factum immaculatæ carnis contactu carnem nostram emaculat; quibus emissus è Paradiso reus homo, missus è Paradiso Deus homo indissolubili fædere copulantur; quibus hominem hactenus profugum suus conditor dudum insequutus tandem assequitur, neue deinceps trahenti se subtrahat, quodammodo hominem Deum efficit, Deus homo. Nuptiæ amabiles, in quibus mirus artifex amor Deum & hominem tot sæculis hostiles, inuicemque pugnantes, suam in vstrinam coniectos, subtili arte arctè ita iungit, & commiscet; vt ex hostibus hostiam conflet

pacificam, quæ ancipiti conſecratorij ſermonis diuiſa gladio, diuiſa reuniat, vnita conſeruet. Vbi ſponſus inter amantis vbera commoratur, viciſſimque ſponſa inter dilecti vulnera conquieſcens ſibi moritur, ipſique oritur, ſeque in intima, per lateris ſciſſuram, inſinuans præcordia ſenſim in naturam diuinam ipſius infunditur, & cum humanâ pene confunditur, & opportunè importuna non ſolùm Dei abſconditi glorioſum vultum ſpeculari audet, ſed etiam oſculari coniugalis amicitiæ fiduciâ. Vbi candor innocentiæ, cum rubore patientiæ; nix carnis, cum purpurâ ſanguinis, lilia cum roſis, cælum cum ſolo, ſummus cum imo, Deus cum limo, Chriſtus cum humo connectuntur. Vbi demum anima nuptiali accumbens epulo, vino virgines germinante ſobriè ebria, Chriſti admota vulneribus, imo potius vberibus cæleſti ſucco vberibus affixa ſugit cum ambroſeo cruore, lac Paradiſæo rore ſauius, & in ipſâ immortalis eſcæ ſaturitate eſuriens, & beati nectaris ebrietate ſitiens, quaſi parum ei foret dilecti carne ſaginari, & cruore madefieri, præſentium epularum pertæſa, quòd Agni faciem ſacramentali velatam nubilo nondum liceat clarè contemplari: (omnis enim in amore amara mora eſt, & dilata fere vt

ablata reputat amor violentus haud lentus) ad beatitudinis aſpirat, ſuſpiratque delicias, quas non ante ſperare deſinet, quàm ſpirare; quod earum famem ſimul cum dilecti carne comedat, ſitimque cum ſanguineo cratere combibat inexplebilis conuiua.

9. Ad hoc nuptiale ſacrum Muſas noſtras admittere non dedignaberis, ſponſe dilectiſſime; epithalamium concinunt, quid eas à thalamis remoueres? Virgines & ipſæ ſunt: cur tibi virgini, Virginis filio, virginum lilio, liliatus virginum chorus diſpliceret? Humaniores ſunt, quid nocerent, aut tuæ Humanitati humaniſſimæ viderentur importunæ? Ecquid opportunius in nuptiali virginum epulo, Muſarum virginum nuptiali cantico? Nec, opinor, profanas omnino cenſebis, quæ licet è profanis ortæ, tuis ſe ſacratiſſimis aris deuouerunt, vel hoc nomine ſacræ, quòd tuo nomini conſecratæ. Quidni igitur tibi forent amœnæ camœnæ, quarum hæc vnica ſit ambitio variis modis, & odis, hymenæis tuis hymnos, & ante nuptialem thalamum epithalamium chordis concordibus concinere? Fateor illas hinc repelli adorabili ſecretæ Diuinitatis maieſtate, ſcio tamen eas magis allici tuæ Humanitatis hu-

manitate, & ineffabili illius affabilitate potentius ad effandum impelli, minuſque terrifici tribunalis retrahi ſeueritate, quam blandi vultus attrahi ſerenitate.

10. Incruenti ſacrificij planè victrix *victima, quâ triumphatus eſt hoſtis*, vt ait Auguſtinus l. 9. confeſſ. c. vltimo; & triumphale *Sacramentum, quo*, teſte Eligio hom. 8. de Euchariſtiâ, *ſubiugatus eſt mundus*: in quo victor Dominus expolians Inferni principatus, palam triumphat illos in ſemetipſo; quoniam ibidem clam triumphat de ſemetipſo; & magnificentius ouat, quoniam ibi veterem hominem renouat nouus homo. Ab immolatâ oue ouatio deriuata eſt; Chriſtus autem agno typico comeſto, propriæ humanitatis ouem, ritu incruento Agnus verus immolat, idem ſimul & ſacerdos, & ſacrificium, & altare, mox in crucis arâ ritu cruento mactandus, inſtar ouis ad eſcam natæ, & ad mortem ſacrificantis amoris deſtinâ deſtinatæ. Quidni igitur abrogatis antiquæ legis ſacrificiis, nouam legem inchoans, huius immolatione ouis ouare meritò cenſeatur? Ita eſt, ita eſt, in triumphali Euchariſtiæ eſſedo triumphat Deus amans; & de Deo amor, idem triumphator, & triumphatus; nec tamen prius triumphans, quàm ab amore trium-

phatus. Vtrique vt vincere, ita vinci glo-riosum est, cùm tam victum immortalis or-net aureola, quàm victorem immarcesci-bilis coronet laureola. Ibi diuinarum meta victoriarum, trophæorum apex, palmarum vertex, & coronarum coronis, quas omnes transcendere visus est, cùm de seipso om-nium victore magnificè triumphauit; haud aliter omnium victor futurus, nisi victor esset suiipsius, cui nihil à se vincendum su-peresset. Iure proinde inuictus, quòd à se-metipso victus, vt ita triumpharet de omni-bus. Et quid mirum si nostris in sacrariis iam triumphet viuus, qui triumphato dæ-mone celebre trophæum erexit occisus, ne-cemque necauit rediuiuus? Si mortem cæ-cidit, dum morte cecidit, & triumphis illu-strius fatum reperit, dum periit; triumpha-lique tumulo sepultus, vltus est, hostium clade, hominum stragem: & dum pecca-tores redimit, peccatum peremit redem-ptor peremptus; quid nunc morte mactatâ, sorte mutatâ gloriosus molietur Imperator, cælestis pompæ splendoribus augustus, & Empyrei ardoribus feliciter exustus? Si cruci semel affixus, cruci suæ cruces nostras affixit, suoque diuino parenti parens natus, gratis ab ingratis gnatis damnatus, damna primi Parentis Conditori suo minimè paren-

tis ſcelere parata reparauit; quid nunc ſperare liceat ab eodem ſuorum iudice iudicum, & vindice, vulneribus quaſi ſideribus radiante, tam amabili probis, quàm horribili reprobis? Si Mundi tyrannum vicit aræ reuincta victima, palmaſque palmæ etiamnum clauis transfixę, in Caluariæ campo de diuini cruoris irrigatione fertili meſſuere; quas in triumphali Euchariſtiæ circo laureas colliget humanæ libertatis inuictiſſimus aſſertor?

11. Palma triumphis amica ſemper extitit, vtpote ſtimulis aſpera, nulli ſuccumbens oneri, ideoque peridoneum arduarum victoriarum hieroglyphicum. Arduæ Chriſti victoriæ, & fertiles, quo palmæ ſimiliores; fœtæ ſunt pugnæ victoriis, victoriæ triumphis, & præmiis prælia ſoboleſcunt. Incruenta Euchariſtiæ victoria, cruentum Caluariæ triumphum peperit, nec expectatis pariendi vicibus, æquæuam ſibi ſobolem eodem fere die enixa eſt, potiori proinde iure ſororem, quàm filiam. Certant ſecum Domini victoriæ victorioſo cruore partæ; in monte Sion calice pugnat, in Golgotha cruce expugnat, & triumphat; vtrobique diuinus cruor exundat, qui triumphalem ſegetem fœcundet. Victori obediunt omnia, etiam victrix omnium ipſa mors, quod

ipſe obedierit in omnibus, vſque ad mortem, mortem autem crucis, imò mortem lucis, mortem amoris, & mortem mortis. Sed dum tot victorias fœcundo obedientiæ ſinu enititur, partus dolores patitur, parêre verè eſt párere, adeo vt dolores filij ſuo parenti parentis, parientis, imo parturientis dolores excedant. Et verò prius illum oportuit pati, quàm potiri, audere, quàm gaudere, conari, quàm coronari: prius oportuit palmę feriri ſtimulis, quàm frui dactylis, prius tempora rubeſcere ſpinis, quàm vireſcere laureis, prius lacerari ſentibus, quàm coronari floribus. Momentaneum crucis dedecus peperit æternum decus; quot ſpinæ pungentes, totidem roſæ vngentes, quot capitis cicatrices, tot diadematis ſardonices; quot funes doloris, totidem torques honoris; quot vincula, tot monilia, quæ ſicut onerarunt in Caluariâ dimicantem, ita viciſſim ornarunt in Euchariſtiâ micantem, vt ſimul eſſent inſtrumenta ſupplicij, & fercula triumphi. O quas alternantis fortunæ vices! ô verè ſtupendam oneris, & honoris, infamiæ, famæque viciſſitudinem! ô bene mortalibus emptas ſuppliciis immortalitatis delicias!

12. Triumphantium habitus toga viuentis purpuræ imbuta ſanguine, aureis illuminata

ſtellulis, quam velaret amictus Lydius; vt Suetònius in Neronis, & Appianus in Scipionis triumpho referunt. Christus verò pretioſæ carnis, proprii ſucco cruoris intinctæ purpurâ, non aureis diſtinctâ ſtellulis, ſed loreis diſcerptâ ſcuticis longè ornatior, quam Sacramentalium amictu ſpecierum operit, ne ad fulgurantem illius fulgorem conniuenti palpebrâ ſtupeant Euchariſticæ pompæ admiratores. Quis enim arcanæ ſcrutator maieſtatis non opprimeretur à gloriâ, niſi intolerabiles glorioſi vultus radios interiecta accidentium nebula tantillulum temperaret?

13. Triumphalis currus aureus erat, turris inſtar rotundus, quâ parte triumphatorem capiebat; vt ſcribit Zonaras in Camillo. Huic verò non abſimiles aureæ noſtræ pixides, vetereſque illæ turriculæ argenteæ, quibus olim in ipſis Eccleſiæ incunabulis, referente Gregorio Turonenſi lib. de gloria martyrum in Polycarpo, dominici corporis ſeruabatur depoſitum. Turriculæ quidem, imo firmiſſima Chriſtianorum aduerſus tyrannorum rabiem propugnacula, omnibus Inferni machinis inexpugnabilia, ex quibus pendent mille clypei, omnis armatura fortium.

14. Triumphator quadrigis albis vehe-

batur in Capitolium, vt ibidem Ioui victimam, victrice manu immolaret. Christus quatuor gloriæ dotibus, veluti niueis quadrigis, Empyrei conſcendit verticem, vt Deo Patri laudis ſacrificium offerat, nec relicto paternæ ſolio dexteræ, ſtupendo quotidie miraculo, ex aſtris in aras deſcendit, ab aris vt aſtra conſcendamus, cælumque diu feruentibus arietatum ſuſpiriis violenti rapiamus, & penetremus.

15. Triumphalis olim Romæ porta Capena dicta eſt, ita noſter Onuphrius Panuinus. Chriſto non alia fuit quàm lucis cæna, & crucis pœna. Lucis cœna (ſic Euhariſtiam vocat Heſychius ho. 2. de Deiparâ) crucis pœnam præceſſit; ad crucem peruenit per Euchariſticum calicem, vnde nouam hauſit alacritatem, quâ fortius guſtaret, & ebiberet paſſionis calicem. Incrueto calice prælium eminus auſpicatus eſt, cruento cominus abſoluit. Cœna pompæ triumphalis veſtibulum; pœna ſublimioris gloriæ faſtigium. At ſi vel in ipſis mortis ſuppliciis exultauit, mortique victor inſultauit; quid nunc in gloriæ deliciis viuus & triumphans agat, nec Seraphini earum quibus ardent flammarum cuſpide pro dignitate materiæ exarent, nec Cherubini illarum quibus ſplendent ſcien-

tiarum ſatis claritate declarent.

16. Par olim triumphantis, & ſerui fortuna; quod annulum ferret ferreum, characterem vtique ſeruitutis. Par etiam cum captiuo Domini mors, & vna ſors; triumphat enim victricis captiuus charitatis, ſacris altaribus, non annulo ferreo, ſed triticeo alligatus circulo, vt ſplendidâ ſui corporis ſeruitute captiuas hominum mentes in libertatem aſſerat; quaſi non potuerit nos criminum eximere vinculis, niſi ſacramentalium ſpecierum compedibus hæreret compeditus. Cæterum vt nobilis, ita ſuauis eſt ea ſeruitus, quippe quæ magis teneatur, quàm teneat: quanquam enim nulla ſit miſerior ſeruitus quàm voluntaria, non poteſt nihilominus ſua non amare, & exoſculari vincula, quòd iis noſtra gloriosè diſſoluat. Vt enim Deo ſeruire, homini regnare eſt, ita homini ſeruire, vt ita loquar, ipſi Chriſto regnare eſt: ſiquidem in regno cæleſti faciet electos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Tanti æſtimat hominis libertatem, vt eam emat ſuæ pretio ſeruitutis. Deus ligatur, & ſeruit in aris, vt liber homo dominetur in aſtris.

17. Bullam præ ſe gerebat imperator triumphans plenam remediis, quæ aduerſus inuidiam valentiſſima crederet, vt teſta-

tur Macrobius l. 1. Saturn. c. 6. Adeo ſublimis eſt latèque diffuſus Euchariſtiæ ſplendor, vt ſtupente mente, linguâ in eius elogia eſingui, in tantâ laudum meſſe infæcundâ facundiâ, admiratio omnem fere locum occupet, inuidia perexiguum: quippe tot inter Sacramentalis pompæ ſpectatores, & admiratores, ſola, vt videt, inuidet liuida Sacramentariorum hæreſis; vtque ad ſmaragdinum fulgorem viperæ pupilla diffluere ſolet: ſic ad ineffabilem huius myſterij gloriam, ſuo cæcata liuore tenebreſcit.

18. Hoſtiæ candidæ è grege egregiæ, vittis & infulis ornatæ præ curru triumphali ducebantur ad ſolemne ſacrificium, vt refert Liuius l. 34. in triumpho Flaminij. Chriſto doloris & amoris eximiæ victimæ, illius ictibus horridæ, huius ignibus torridæ, tot deuouentur ac deſtinantur hoſtiæ, quot olim hoſtes habuit; quibus hoc vnum in votis, vel præ dolore inter cruciatus coram tyrannis pro ſanctiſſimi ſacramenti gloriâ occumbere potius, quàm ſuccumbere, vel amore incruentas ad aras procumbere. Illic enim non ſolùm immorari, ſed etiam generosè immori geſtiunt illuſtres victimæ, ibidemque victrici charitatis dexterâ, Agno immaculato, in odorem ſuauitatis immolari.

19. Currum triumphalem ſequebantur inſignes captiui, catenis onuſti, tum ciues pileati, ducis operâ ex hoſtium carceribus eruti, vt ſcribunt Plutarchus in Paulo Aemilio, & Liuius l. 33. in triumpho Cornelij. Triumphantis Euchariſtiæ veſtigia frendentes lambunt dæmones inuiti ſecretæ Maieſtatis adoratores, vincta, & victa carne cæleſti, caro ſceleſta, ſuoque nimium ſenſui, fallacique iudicio pertinaciter adhærentes hæretici, breui terribile ſubituri iudicium Dei; quòd intellectum captiuare renuerint in obſequium fidei, fideliqne corde ſuſcipere noluerint myſterium fidei. Sequitur & triumphantem Redemptorem gloriosa fidelium animarum captiuitas nobili ſeruitute libera, pretioſos nexus exoſculans, & amabilibus vltro pedes intricans compedibus, quibus à criminum vinculis feliciter extricatur.

20. Triumphantem proximè comitabantur gnati illius, & cognati; tum equites turmatim, & pedites, ſi Liuio credimus l. 45. in triumpho Lucij Anicij. Dominum in Sacramento triumphantem cætus angelici ſequuntur; inflammati diuini cordis ardoribus Seraphini, in reciproci amoris rapiuntur extaſim; iuſtitiæ ſolis radiis illuminati Cherubini inueſtigabile myſterium

mirari malunt, quàm rimari; coram imperiali latentis Dei throno proni Throni maximum adorant in minimo, dominantium dominũ colunt Dominationes, eximias eius virtutes tremulæ verentur Virtutes, supremam potestatem prostratę Potestates agnoscunt, legitimo suo principi Principatus assurgunt, victori semper augusto acclamant Archangeli, Io triumphe canunt Angeli, Imperatorem optimum laudant vniuersi.

21. Nihilominus vberior nobis lætandi seges excrescit, quòd triumphatori & sanguine coniuncti simus, & eodem inuncti. Amor nempe Domini præcellens medicus, vt nos à scelerum leprâ mundaret, non de seruili, sed de regali diuinoque sanguine pretiosum confecit balneum, diuinisque nostra curauit vlcera vulneribus, crebrâque venarum sectione regem exhausit, vt seruis mederetur; quibus proinde vtilius & gloriosius fuit triumphatoris sanguine inungi, quàm eidem duntaxat sanguine coniungi. Triumphat Deus, fateor, at Deus homo, hominum redemptor, non Angelorum, nec angelicâ fortirudine, sed humanâ victor infirmitate; vnde nec immortali eius spiritui, sed carni diuinitus adiudicata est pompa. Quidni igitur in Eucharistiæ triumpho præferamur angelis, quibus tantummodo con-

ceſſum eſt colere, quem comedimus, adorare quem conficimus, admirari quem tangimus, laudare quem amplectimur, deſiderare quo fruimur, ſpeculari quem oſculamur? Quidni de illius cognatione gloriemur qui ſe nobis concorporeum reddidit & conſanguineum? Quique non dedignatus fieri ſuorum pincerna ſubditorum, propinato proprij cruoris calice, cæleſtium deliciarum ſitim potius accendens, quàm extinguens, vinolentiâ, amoris violentiam adauxit; quatenus ſanguis ille regius diuino fluens in corde, noſtris pariter nataret in venis, & in cordibus ebulliret. Chriſtus quidem panis angelorum nuncupatus eſt, quod iis exponatur colendus, ſed æquiori iure panis filiorum, quod iis proponatur comedendus; nec angelum, ſed hominem ad ſuæ diuinitatis affinitatem euexit. Siquidem Verbum caro factum, in carne aduerſus carnem ſpiritui rebellem dimicauit: caro tum pugnæ, tum victoriæ occaſio, caro victrix, caro victima, caro victoribus eſca, caro Verbo de carne triumphanti pompa; vt quæ fuerat homini perduelli virus, & ſerpenti ſeductori virtus, huic vice verſâ fieret virus, & illi virtus, vbi primum carne ſe induit Dei virtus, vt eſſet hominum cibus viuus & verus. Nec

mirum ſi caro mollitie diffluens, quæ præcisâ cruce, fuerat virus, eiuſdem crucis interpoſitione facta ſit virtus : cùm è contra quantalibet hominis virtus, ſolius crucis præciſione, facile tranſeat in virus. Olim itaque caro firmis infirmitas extitit, nunc vero infirmis firmitas, olim volutabatur in cæno, nunc volitat in cælo, olim eſca tartarei canis, nunc filiorum eſt panis non mittendus canibus. Sed quò nos tranſuorſum abripit magnificus triumphatoris comitatus ? ad rem redeamus.

22. Seruus præterea eodem cum triumphatore curru vehebatur antiquitus, qui coronam auream ſupra caput illius ſuſtinens, his illum admoneret verbis : [*reſpice poſt te, & hominem memento te.*] Quin etiam ex curru aureo flagellum pendebat capitalis ſententiæ reis deſtinatum, quo inſolens pompæ faſtus vtcunque temperaretur, vti referunt Zonaras in Camillo, alijque ſcriptores. Nonne tibi, Ieſu Chriſte, triumphator inuictiſſime, eadem tibi ſors obtigit in hoc Sacramento ? ſiquidem in eodem cum Diuinitate ſolio, ſeruilibus quondam obnoxia flagris & ſcuticis ſedet humanitas, inæſtimabilis gloriæ diadema præferens, quæ hiantium adhuc ore cicatricum identidem inculcet : homines reſpice,

&

& hominem memento te ; nec in tanto maiestatis splendore miseros fratres despice, quorum non prius immemor esse potes quàm tui ipsius. Si te tibi fortasse subtrahit gloria , retrahat natura , iam nescius pati, disce compati , expertus miseriam , impertire misericordiam , nec felicem animum occupet nostræ infelicitatis obliuio, nec mores mutent honores , nec benignam indolem indolentia corrumpat.

23. Triumphantis insuper mos fuit suis munera militibus distribuere, regioque epulum instruere apparatu & luxu ; quòd eiusdem animi esse crederet , aciem instruere & cœnam , illam vt inimicos vinceret, hanc vt amicos deuinciret, teste Liuio l. 45. Non poterat hac in parte deesse Christi magnificentia ; vnde nobis , suæ mortis merito, gloriosæ sortis consortibus, triumphale conuiuium instruxit, idem ipse conuiuium , & conuiua. Admirabilis mensa , vbi Dei caro in escam proposita , quâ saturi amplius esuriunt ! epulum diuinum , in quo sanguis Dei vinum , quo sobriè inebriati vehementius sitiunt ! singularis cœna , in quâ Dei vita viuificæ mortis condita memoriâ degustatur , datusque in esum Iesus reficit, quos infecit vetitæ arboris esus. Quàm dissimile vulgare conuiuium ! in hoc enim volucrum

cadauera , in iſto Dei caro vera , cuius edulium non horrori ſit , ſed honori. In hoc palmaris ventriculus cœſis animantibus tumulus , in iſto fidele pectus Chriſto immortali thalamus. Hoc æquiori iure commortalitas, quàm conuiuium , vbi tot animantium vitę pereunt : iſtud verè conuiuium vbi viuens Deus , viuus homo , hominum conuictor cum iis conuiuatur , vt vitam habeant , & abundantius habeant.

24. Enimuerò non tam electis ſuis ſecum in polo regnaturis conuiuium inſtruxit, quàm pro ſui gloriâ nominis in ſolo pugnaturis, armamentarium aperuit : nec enim epuli deliciis fracti, ſed cataphracti ſurgunt conuiuæ ; cibus illis clypeus eſt , quo ab hoſtium proteguntur incurſu , electorum frumentum , inimicorum tormentum , poculum iaculum, quo aduerſarios impetant eminus , & cominus, & Leonis è tribu Iuda carne ſaturi , tartareo leoni occurrere audeant, leonibus flammas efflantibus terribiliores. Habet ſua caſtra diuinus amor , militant amantes , indureſcunt mollitie, roborantur deliciis, epulando pugnant, fulminant inter calices , tonant non inter nebulas , ſed epulas : adeo vt in amoris caſtris idem fere ſit tibias inflare & tubas , canticum canere & claſſicum , inuitare ad epu-

lum, & excitare ad bellum. Quòd dux militibus, rex ſubditis, Dominus famulis cibus eſſe geſtierit, diuini ipſius erga nos amoris exceſſus eſt, & hic idem exceſſus diuini amoris cibus eſt, quippe qui non nutriatur niſi exceſſibus; breuique decedat neceſſe eſt, niſi iugiter excedat. Quid verò dicam de magnificis Triumphatoris noſtri muneribus. Nonne beneficentiæ eius fons hactenus inexhauſtus, in hoc admirabili Sacramento, nimiâ gratiarum profuſione videtur exhauſtus? quidni enim ſemetipſum exhauſerit, qui ſeipſum dando nobis omnia donauit? qui in vltimâ cœnâ, vnico pretioſi calicis hauſtu, ſemetipſum hauriendo, feliciter exhauſit, vt & nos diuini vini guſtatâ guttâ Deum ſorbentes abſorbeamur Diuinitatis oceano, cuius beatis fluctibus immergi, emergere, obrui, enatare eſt.

25. Tandem non poſtrema triumphalis pompæ portio pægmata, triumphique fercula, in quibus exſculptæ Victoris res præclarè geſtæ, ciuitates captæ, claſſes exuſtæ, hoſtes attriti, expugnata caſtella, regiones, maria, portus, montes, ſaltus, feræ, flumina auro & argento efficta, vt obſeruarunt Appianus in triumpho Scipionis, & Zonaras in Camillo. Tuæ ego adſcriptus militię, Chriſte imperator, ante triumphalem Eu-

charistiæ currum exultans, tibi totius mundi triumphatori potentissimo, pægma vnicum, tuo impar honori, tanto ipse impar oneri præfero, mundum scilicet aspectabilem Mundo archetypo offero, amplissimum gloriæ tuæ theatrum. Sed, ô quot in vnico pompæ ferculo sunt fercula! Aspice immensum cui feliciter imperas Empyreum, mortalium oculorum aciei prorsus inacessum, solique beatæ immortalium spirituum aciei concessum. Specta deinde innumeris stellulis, vti flosculis cœlatos cœlos, geminaque hemisphæria, vt fornices triumphales tuis trophæis conspicuos. Oculos in vnicum orbis oculum solum nempe solem defige, radianti intuitu hæc infima lustrantem & illustrantem; Considera sidera primo in mobili immobilia; planetas nusquam à præstituto sibi tramite aberrantes, lunam vnam, in sui cursus inconstantiâ semper sibi constantem; stellas stillantes suas in hæc inferiora influentias, concordem elementorum discordiam, torrentes ignis sublunaris torrentes, nunc discurrentis in faculas, nunc coruscantis in fulgetras, nunc horrescentis in cometas; viridem, Iridem arcum tuum triumphalem, proflua per agros flumina, in mare vnde fluunt reflua; Orbis exules insulas, tot volucres sui conditoris laudes innumeris modis

modulantes, tot feras minimè feras, tot piſces dulces amari maris animas, tot humi ſerpentes ſerpentes, tot ſpecioſas animantium ſpecies aliquale diuinæ ſpeciei ſpecimen præ ſe ferentes, tot perennes fontium ſcaturigines, tot arbores vt floribus & frondibus venuſtas, ſic variis fructibus onuſtas, roris auidas & vnionibus grauidas Indici maris conchas, & innumera conchylia mutos omnipotentiæ tuæ præcones, tot inæſtimabiles gemmas, nunc rubeſcentes in achates, nunc ardentes in carbunculos, nunc igneſcentes in pyropos, nunc vireſcentes in ſmaragdos, nunc vernantes in ſapphiros, nunc ſcintillantes in carchedonios, nunc ſubrubentes in ſardios, nunc rutilantes in topazios, nunc herbeſcentes in chryſopraſos, nunc nitentes in amethiſtos, nunc radiantes in adamantes, nunc candicantes in margaritas, nunc fulgurantes in opalos, & in iis contractam venuſtioris Naturæ maieſtatem nullâ ſui parte mirabiliorem, pretioſas Sabæorum meſſes, & orientis aromata; denique ſelectas cœloque, ſaloque, ſoloque diuitias intuere: hæc enim omnia pompæ fercula tibi triumphanti ex animo præfero, & in huiuſmodi eximiis creaturis, Dei vtique non obſcuris veſtigiis, quædam Eucha-

risticæ gloriæ inuestigo vestigia, diuinitus impressa, diu suppressa, nunc feliciter expressa, tuæque beneficio lucis in lucem edita.

26. Tu rerum omnium magnes, cuius ad amplexum congeniti amoris inclinatæ pondere, instar ferri ferri gestiunt; tu sphæra cuius centrum vbique, & sphæræ centrum, in quo conquiescere appetunt, tandiu inquietæ, quandiu excentricæ. Iis innatâ pronitate centrum repetentibus stimulos infigo, quò ferantur celerius, meque ipsum tandem vt postremum & exilius tui triumphi ferculum, tot illustribus præclarisque pægmatibus adiungo. Triumphalium rotarum orbitam sequor captiuus tuus, tui cruoris inæstimabili pretio redemptus, aureis spontaneæ seruitutis catenis tuæ maiestati semper augustæ deuinctissimus, gestiens inter illius triumphatoris recenseri captiuos, cuius vel triumphantes imperatores ambiant esse captiui. Accedo potius vt epulo, quàm vt præco; Immo ideo præco tuus, quia epulo & conuiua; quòd in Eucharistiæ conuiuio epulari sit eloqui, bibere sit differere, accumbere sit discurrere: nemo tuas in laudes aptior, quàm qui tuâ carne plenior, tuoque cruore madidior, semper enim vtrique auidius inhians,

vtriusque dulcedinem diserto gustu, facundáque prædicat esurie; cùm nullum videatur illustrius epuli præconium, quàm inexplebile illius desiderium. Re quidem angustum, sed amore augustum munus consecro: quid enim in amore tuo non augustum? infimum, fateor, grati animi monimentum, plus forsan allaturum nomini tuo fuliginis, quàm fulgoris; verùm & ad numinis adorationem re infimâ nihil aut pronius, aut promptius. Excelsus humilia, summus ima respicis, qui summis & imis affinis, reconciliasti ima summis. Si conniuentem oculorum aciem perstringat maiestas, tolerabilem illius splendorem faciet agnata summæ gloriæ humilitas, quàm de tremendâ maiestate in hoc Sacramento Deus humilis triumphare voluisti. Nec ambigo quin, si diuinam, quâ rutilas, respicias claritatem, meum despicias munusculum; sin immensam quâ flagras charitatem, vt obseruantiæ pignus benignis oculis aspicias, & huic opusculo magis à te ornando, quàm te ornaturo, adhuc partus præpedito fasciolis, struthionis more, efficacibus aspectus radiis obstetriceris. Habes enim vt iustitiam quâ in superbos ignescas, ita & clementiam quâ subditis ignoscas, meoque amori mo-

rem gerens, velis nolis, ad audaciæ meæ veniam venias. Vnde, vt ſpero, & amantem agnoſces, & vel amenti, nimiſque audenti ignoſces.

27. Porro quantum ex hoc myſterio colligere mihi licuit, non fugies emblematum meorum tenebras, qui quotidie vltrò confugis ad ſacrarum ſpecierum latebras: ſponte latitabis ſub ſymbolorum inuolucris, qui libentiſſimè deliteſcis noſtris in ſacrariis. In aliis operibus tuis patet diuinitas, in iſto etiam ipſa latet humanitas, vt qui ſecundùm diuinam naturam patebas in gloriâ, ſecundùm humanam in Caluariâ, ſecundum vtramque lateres in Euchariſtiâ, opere proinde eò cæteris mirabiliore, quòd ſimul valeat & miram explicare artem, & nihilominus admirandum implicare artificem. Cuippiam infideli minus oculato videri poſſes ſub ſacramentali nube deficere; Verùm niſi ſic inter gloriæ nebulas deficeres, nec fideles animas reficeres, nec tot admiratores haberes; ſol enim niſi cùm deficit ſpectatores non habet: quamuis & huic aſtro ſuppar, nunquam tibi, nunquam Eccleſiæ cœlo deficias, dum ſub accidentium nubilo ſplendidam eclipſim affectas. Cæterum ô vnice cordis amor omnium creaturarum

amoribus digniſſime, quas & in aras exaltatus, non ſecus ac Orpheus, latentis humanitatis lyrâ pertrahis vltroneas arcanæ maieſtatis adoratrices, per iſtud myſterium ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ miraculum, per iſtud indelebile doloris amoriſque tui monimentum, vnum oro, obteſtor, obſecro, vt ſeruuli tui, à teneris vnguiculis, tuis aris deuoti votis aſpirans, id agas tuis in fidelibus tanti ſacramenti, tum amore raptis, tum ſtupore correptis, vt mea hæc qualiſcunque opella, omnibus titulis tua, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, cuius gloriæ meis potiſſimum in ſtudiis ſtudeo, fidem adaugeat, foueat pietatem, deuotionem accendat. Vt qui ſacramentales inter nebulas velatâ Dei carne ſaginantur, inter cæleſtes epulas reuelatâ aliquando numinis facie potiantur; ſiue vt vtar eximiâ tui oratione clientis Dionyſij c. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: *Tu ô diuiniſſimum ac ſacroſanctum Sacramentum, circumpoſita tibi ſymbolicè Aenigmatum operimenta reuelans, liquidò nobis manifeſteris, mentaleſque noſtros obtutus ſingulari, & apertâ luce adimpleto.*

PRÆFATIO GENERALIS
TOTIVS OPERIS DE RATIONE INSTITVTI ET IDEA OPERIS.

I. *SVMMA operis commendatio, diues materia, vbi deeſt artis gloria, & artificis induſtria. Opus ordior ſententiarum ornatu mediocre, venuſtate ſermonis exile, materiæ tamen excellentiâ ſublime; quid enim Euchariſtiâ ſublimius? vt proinde ſuâ materiâ, ſuperetur opus. Verum vt cum. Ennodio loquar in Natal. S. laur. Med.* Nunquam pauper vena timetur ingenij, vbi diues eſt cauſa dicendi. Quis mendicam narrationem æſtimet, quam vota locupletant? ſæpe in facundiæ dotibus pauper inuenitur vena prædicantis, & è diuerſo theſaurus cordis irradiat in egeſtate verborum. Diem laudare quis abnuat? attollere ſolis radios quis metuat in qualibet nocte ſermonum? *Nimirum viro diſertiſſimo potentior videtur cordis, quàm oris Rhetoricè, eloquentiora vota, quàm verba, melior vitæ, quàm linguæ eruditio, pulchrioreſque flores morum, quàm cincinni ſermonum. Nec immeritò, os enim ori loquitur, cor cordi; vox aures ferit, at ſenſus intimos vehemens*

affectus penetrat, atque peruadit. Oris igitur mei infantiam cordis facundia, verborum inopiam, votorum copia, & sermonis impolitiam, amoris vehementia excuset.

2. *Accedit ad materiæ dignitatem elegantia characterum, quibus in aliis voluminibus vix pulchriores, aut pretiosiores occurrent, quique amabilem Iesum paternæ characterem hypostaseos (sic illum appellat Apostolus ad Hebr. c. 1. 3.) expressius adumbrent. Horum quippe characterum nonnulli tremulo splendore rutilant, vt stellæ; alij diuite fulgore conspicui, vt gemmæ; alij amœnissimâ varietate picturati, vt flores; alij multiplici luminis reflexione mirabiles, vt iris augustior cœli pompa, aliaque meteora; alij è liquidâ crystallo materiati, vt lympidi fontes, amnesque aureas despumantes arenas, & gemmas affatim ad ripam egerentes; alij natiuo colorum cultu intermicantes, vt volucres agrorum deliciæ, nemorum animæ; alij grandiores vt cete, aliique pisces corporeâ mole stupendi; alij minores, vt insecta, reptilia, conchylia, in quibus etsi minimis, maxima radiat sapientia conditoris, magni in magnis, summi in minimis; alij rudiores & impoliti, sed eò venustiores, quò non artis, sed naturæ solius industriâ exarati, vt rugosi elephantes, iubati leones, vrsi, pantheræ, aliæque id genus feræ saltuum & solitudinum illustrius ornamentum; alij recti, vt palmæ, cedri, cupressi; alij tortiles, vt vites, aliæque arbores fructibus incuruæ; alij molliter inflexi, vt lilia prono capite florentia; alij spirales, vt angues sinuosis voluminibus spectabiles; alij quadrati, vt variæ lapidum, marmorumque species; alij angulares, vt gemmæ formâ sculptæ sexangulâ ad splendoris ex angulorum repercussu incrementum; alij denique circulares & rotundi, vt vniones candentia maris Erythræi grana. En huiusce voluminis augusti characteres, quibus*

se Dei filius indelebilis Paternæ character substantiæ luculenter expressit. En elegantes literæ quibus Eucharistiæ gloria consignata est. Quid iis aut ad speciem pulchrius, aut ad amœnitatem iucundius, aut ad dignitatem præstantius?

3. *Nisi forte malueris tot eximias aspectabilis naturæ partes, totidem codicis Magni Antonij appellare paginas, in quibus summus rerum opifex suæ specimen pulchritudinis sublestis depinxit lineamentis. Quippe teste S. Prospero epist. ad Demetriadem.* Omnia elementa mundi, & vniuersæ creaturarum naturæ, hoc ipsâ sui exigunt specie, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, & in pulchritudine cœli & terræ quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, & authorem suum nunquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum. *Falsò igitur liber Zoar ab Hebræis doctoribus fabulosè conscriptus, mundum duntaxat è viginti duabus literis consurgere contendit, quarum tres tribus elementis, duodecim sequentes totidem Zodiaci signis, septem reliquas totidem planetarum orbibus accommodat. Imo verò tot è literis, quot creaturis, tot characteribus, quot sideribus, totidemque paginis coalescit, quot mixtis & elementis, in quibus eximia Eucharisticæ gloriæ symbola vnicuique liceat admirari.*

4. *Hunc igitur amplissimum mihi selegi codicem, nonnulla peruolui folia, & eo quem in illis legebam cœlitus afflante, lecta intellexi: eligere, legere, & intelligere diuinitus mihi datum est; præ cæteris verò in grandibus literis Verbum abbreuiatum, & in aperto codice legi numen opertum, insuper quod legeram intellexi, & quod multò præstantius est, sancti Spiritus afflatu quod intellexeram dilexi. Quin & ab huius studio voluminis exarsit*

animus ad illius lectionem codicis, quem beati legent, intelligent, & diligent in æternitate; de quibus sic eleganter disserit S. P. Augustinus l. 13. Conf. c. 15. Vident faciem tuam semper, Domine, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt, semper legunt, & nunquam præterit quod legunt: eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui, non claudetur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum. *Hæc de beatorum codice seraphicus spiritus præmaturè beatus. Sed interim donec explicetur nobis æternus ille reuelatæ* Diuinitatis *codex viatoribus complicatus, liceat in explicato mundi huius volumine Verbum Dei sacris inuolutum speciebus legere, nec solùm inuisibilia Dei, sed & inuisibilem eius Humanitatem per ea quæ facta sunt intelligere, intellectam diligere, dilectam summis laudibus celebrare.* Cœlum quippe, *ait* S. *Prosper l. 2. de vocatione gentium c.* 4. & terra & mare, omnisque creatura quæ videri ac intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est generis humani vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur authoris.

5. *At vnde mihi voluminis huius perlegendi cupido singularis, vt in eo prætermissis aliis quamplurimis Creatoris attributis, solius Eucharistiæ virtutes luculentis exaratas elementis legerem, & inuestigarem, innato candore confitebor. Paucis ab hinc annis oblato Missæ sacrificio, cum hymnum ab Ecclesiâ gratiarum actioni destinatum, quem olim tres adolescentes Hebræi, inter rapidos fornacis Babylonicæ vortices illæsi suo cecinere liberatori, Christo Domino tanti muneris largitori, & incruenti sacrificij*

institutori concinerem, inuitatis ad diuinæ munificentiæ præconium terrenis & cœlestibus; mihi subitò talis incidit cogitatio, rem & Deo abscondito, & piis eius cultoribus non ingratam facturum me, si sanctos iuuenes æmulabundus, illustriores mundi partes ad Eucharisticæ theatrum gloriæ conuocarem, & ad imperialem Conditoris sui thronum adducerem, vt spontaneas occultæ Maiestatis adoratrices. Siquidem memineram mundum alicubi à S. Augustino appellari Dei canticum *numerosi dulcedine concentus mentes titillans angelicas, surripiens humanas; ac proinde ad diuinarum laudum celebrationem posse non inconuenienter assumi. Cui quidem inspirationi haud dubiè diuinæ, eò libentius morem gessi, quò perlectis nonnullis historiæ naturalis authoribus, creaturas quò volebam, vltrò euntes animaduerti, mirâ quadam arcanæ Christi humanitatis illecebrâ pellectas, frænisque potius egentes, quàm stimulis; quasi non minus Eucharistia magnes illarum foret, quàm centrum augustiorum fidei mysteriorum.*

6. *Quidni autem agnoscerent viuentem in Eucharistiâ, quem agnouerunt morientem in Caluariâ? quidni colerent sedentem in solio, quem coluerunt pendentem in ligno? quidni venerarentur inter angelicas acies ineffabili claritate circumfusum, quem inter latrones adorarunt atroci lanierâ deformatum? quidni sol supplices radios ad illius inclinaret obsequium, qui lugubri velamine micantem vultum obtexit, ne mortiferas sui creatoris conuulsiones intueretur? quidni demum vniuersa natura, quæ patienti ac morienti compati ac commori visa est, nunc in augusto Sacramento viuenti regnantique conregnaret? Eò maximè quòd eam potentius attrahere debeat suaue triumphantis illicium, quàm expirantis infame crudeleque supplicium.* Propterea *vt idoneum huic* Libro *titulum appingerem, quem Cassiodorus in proœmio varia-*

rum, Operis indicem, causarum præconem, totius orationis breuissimam vocem., *eleganter appellat: placuit illum ex ipsis Saluatoris verbis desumere, & ex purissimis Euangelij fontibus haurire Ioa.* 12. 32. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum, *& ex illustri Clementis Alexandrini testimonio in* Protreptico, *vbi Christum Orpheo saxa, volucres, feras, arbores lyræ modulis pertrahenti comparat; quam quidem similitudinem fusius primo Emblemate ideali prosequimur. Sic igitur opus hoc nostrum inscribitur:* ORPHEVS EVCHARISTICVS, SIVE DEVS ABSCONDITVS IN ARAS EXALTATVS, HVMANITATIS ILLECEBRIS ILLVSTRIORES MVNDI PARTES AD SE PERTRAHENS VLTRONEAS ARCANÆ MAIESTATIS ADORATRICES. *Dixi in aras, vt cruentam Caluariæ, & incruentam Eucharistiæ simul complecterer, in quas exaltatus à terrâ, verè omnia traxit ad seipsum.* Neque enim, *inquit* S. *Athanasius lib. de Incarnatione Verbi*, vel ipsum mundum in silentio esse voluit; sed quod mirum est in morte, vel potius in trophæo de morte excitato, crucem intelligo, vniuersa rerum fabrica confitebatur eum qui in corpore apparebat, & supplicia patiebatur, non hominem simpliciter, sed Dei filium, ac saluatorem esse omnium. Nam & sol se auertebat, terra quatiebatur, disrumpebantur montes, omnes pauore contrahebantur. Hæc omnia eum qui in cruce erat Christum Deum esse declarabant, ac rerum naturam eius ancillam esse, pauore suo contestantem Domini præsentiam.

7. *Neque verò solùm authori suo in extremis agenti, magno doloris sensu natura condoluit, sed etiam quælibet mundi portio eumdem in sanctissimo Sacramento præsentem hactenus agnouit. Cœlum agnouit, cùm in ipso*

ſtupendæ conſecrationis momento, innumeras angelorum acies ad imperatoris ſui ſatellitium ſæpius deſtinauit, vt illuc immortales conuolarent aquilæ, vbi pretioſum corpus reperitur. Stella cognouit, cùm ſacrificantem Nicolaum Tolentinatem, & adorabilem victimam miraculoſo fulgore colluſtrauit. Ignis agnouit, cùm in incendia proiectam auſu nefario ſacratiſſimam hoſtiam ſupplici vortice lambere viſus eſt, & innocentibus flammis illæſam coronare. Aër agnouit, quum toties incruenti merito ſacrificij, aut noxios imbres cohibuit, aut eoſdem largius ad terræ arentis irrigationem effudit. Mare cognouit cum naufragantem Satyrum virtute ſanctiſſimi Sacramenti quòd in orario gerebat, ad littus incolumem perduxit, tumenteſque procellas S. Birini Ieſuanum corpus deferentis pedibus calcabiles exhibuit. Balena cognouit cum S. Maclouio ſacrificare geſtienti, de immani dorſo, altare opportunum mediis in fluctibus erexit. Flumen agnouit, cum eiuſdem contemptores diruti pontis ruinis obrutos vltricibus vndis ſepeliuit. Terra cognouit, cum vel ſacrilegos dehiſcens viuos abſorbuit, vel mortuos ſinu ſuo recipere detrectauit. Lapis agnouit, quum cerâ mollior firmum manus ſacrilegæ refugit contactum, quò citius tremendi profanator myſterij telluris hiatu deglutiretur. Aranea cognouit, cum os impurum & impudens ſacramentarij, lethali tabo conſperſit. Apes agnouere, cum Domino ſub ſacris ſpeciebus deliteſcenti, thronum cereum & floridum in aluearis apice mirâ fabricarunt induſtriâ. Mulus famelicus agnouit, cùm pabuli immemor, ad frumentum electorum venerabundus accurrit. Canes agnouere, cum proiecto ſibi Angelorum pani parcentes, in impios Donatiſtas immanis authores ſacrilegij ſæuierunt. Infernus agnouit, cùm nimios ignis purgatorij ardores ſuperfuſo diuini calicis liquore ſopiuit & extinxit, igneaſque fidelium animarum compedes omnino diſſoluit.

Dæmones

Dæmones agnouere, cùm ad Exorcistarum sacram pixidem deferentium imperium, ex energumenis auffugere, protestati se dominici corporis præsentiâ torqueri grauiter & vstulari. Denique vniuersa natura Dei absconditi sensit & extimuit maiestatem; idque vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloriâ est Dei Patris, & in Sacramento Altaris; atque vt ille patet comprehensoribus admirandus in astris, ita latet, adorandus viatoribus in aris, in quas Exaltatus, omnia pertrahit ad seipsum.

8. *At fortassis aliquis meum primâ fronte damnabit institutum, quasi sacra profanis admisceam, dum eruta ex ethnicorum fontibus symbola ad rem omnium sacratissimam transfero. Verum meminerit, quæso, me sanctorum insistere vestigiis, Clementis Alexandrini, Origenis, Lactantij, Hieronymi, Augustini, Basilij, Ambrosij, imo & Pauli Apostoli, qui ab Epimenide Poëta illud epistolæ ad Titum c. 1.* Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri; *à Menandro, illud 1 Corinth. 15.* Corrumpunt bonos mores colloquia praua, *& ab Arato, illud Act. 17.* Ipsius enim & genus sumus, *mutuatus est. Ecquis nesciat Hebræorum inauribus, armillis, & annulis aureis, profanisque Aegyptiorum exuuiis sacratiora Tabernaculi vasa conflata fuisse; quin & Pantheon Agrippæ veri Numinis cultui à Bonifacio quarto S.* Pontifice *consecratum? quis ignoret Angliæ delubra ab Augustino monacho, hortatu Gregorij Magni sacris expiata cæremonijs, in augustiores basilicas transiisse? quin & hocce nostro sæculo videmus profanas principum vestes ad altarium ornamenta deputari, quasi totidem de calcatâ mundi vanitate trophæa. Quasi verò non liceat Aegypti spolia in Sanctuarij decorem conuertere?* Nonne aspicimus,

inquit August l. 2. de doctrinâ Christianâ paulo ante finem, quanto auro, & argento & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suauissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, (vt de viuis taceam) quanto Innumerabiles Græci? quod prior Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientiâ Aegyptiorum; quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cum Christi iugum decutiens Christianos persequebatur, disciplinas, quas vtiles habebat, nunquam commodaret, si eas in vsum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, conuersum iri suspicaretur. Sed dederunt aurum, argentum & vestem suam exeunti populo Dei de Aegypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium redderentur. *Profana certè antiquitas captiua est mulier, sed eloquij venustate, & membrorum pulchritudine casto Israëlitæ amabilis, cui si iuxta legem Deuteron. c. 21. 12. abradat cæsariem, vngues circumcidat, vestem captiuitatis aufferat, nihil vetat illam assumi in sponsam, vt illustrandis fidei mysterijs inseruiat. Hoc salutare consilium Iouio fratri dabat eloquens Paulinus Epist. ad Iouium*: Tibi satis sit ab illis (profanis scriptoribus) linguæ copiam, & oris ornatum, quasi quædam de hostilibus armis spolia cepisse, vt eorum nudus erroribus, vestitus eloquiis, fucum illum facundiæ plenis rebus accommodes, nec vacuum figmentorum, sed medullatum veritatis corpus exornans, non solis placitura auribus, sed & mentibushominum profutura mediteris. *Legendus omnino Basilius Magnus homil. de vtilitate capiendâ ex libris Gentilium, vbi inter*

alia hæc habet: Poëtis & oratoribus vtendum, vnde futura ſit aliqua vtilitas quæ ad animæ faciat ædificationem; veluti plantis quibus propria virtus fructu pulcherrimo ſcatere, folia nihilominus ramis coniuncta, quemdam ferunt ornatum; ſic & anima cui præcellens veritas fructus eſt, non ab re tamen exteriore ſapientiâ circundatur, ſicuti foliis vmbram fructui, ac aſpectum non intempeſtiuum præbentibus. *Moxque affert exemplum Moſis qui Aegyptiorum imbutus diſciplinis, ad Dei contemplationem proceſſit. Et infra illud idem argumentum eximiâ illuſtrat ſimilitudine:* velut apes non omnibus floribus ſimiliter inſidunt, neque ex eis ad quos accedunt omnia aufferre conantur, ſed quantum ipſis ad opus neceſſarium fuerit ſeligentes, reliquum dimittunt; nos etiam vt ſobrij ſapienteſque, quantum congruum nobis, propinquumque veritati ex ipſis fuerit, perſequamur, reliquum prætereamus.

9. *Tantorum itaque doctorum ſequutus conſilium & exemplum, ex Ethnicorum fontibus illimes haurio latices, & ex probatis vetuſtis authoribus Euchariſtica eruo ſymbola, ſuperflua reſeco, corticem negligo, medullam inquiro; ne:e quid perſpicuitati, nitorique deſit, opus in varia diſtinguo Emblemata, id eſt ingenioſa ſymbola, (ſic definit Cauſſinus) tum ex tabellâ, tum ex lemmate conſtantia, quibus ſublatis abſtruſioribus ænigmatum inuolucris, ſublimior aliquis ſenſus ad Euchariſtiæ gloriam redundans piis lectoribus liquidius aperitur. Emblema verò in quatuor partes diuido, nimirum in epigraphem, tabellam, metrum, & proſam; duas verò poſteriores ſubdiuido; metrum quidem in ſymbolum, & apodoſim, ſiue redditionem; proſam verò in fontem Emblematis, & eiuſdem interpretationem. Metrum autem,*

vt ſpero, non erit naturalis hiſtoriæ ſtudioſis iniucundum, vtpote res naturales ſatis accuratè deſcribens, nec proſa Euchariſticæ gloriæ præconibus inutilis, vtpote ſanctorum Patrum illuminata ſententiis, hiſtoricis variegata floribus, multipliceſque ſuggerens non ſolum ad Euchariſticarum, ſed & quarumlibet concionum ornatum ſimilitudines; nec denique SS. Sacramenti cultoribus inſuauis, vtpote quæ tota illius honorem ſpiret, & amorem cultumque redoleat.

10. *Quod ſpectat ad Emblematum ſymbolorumque commendationem, non opus eſt hîc plura dicere: vnicum ſufficiet S. P. Auguſtini teſtimonium, eorum dignitatem, fructum, iucunditatem paucis perſtringentis Epiſtola* 119. Si quæ autem, *inquit*, figuræ ſimilitudinum, non tantum de cœlo, & ſideribus, ſed etiam de inferiori creaturâ ducantur, ad diſpenſationem Sacramentorum; eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris, mouendo affectui diſcentium accommodata, à viſibilibus ad inuiſiblia, à corporalibus ad ſpiritalia, à temporalibus ad æterna.

11. *Stylo vtor ſimplici, qui fundum ſuum referat, qui carnis Dominicæ dulcedinem aliqualiter ſapiat, & Chriſti vilibus Sacramentalium ſpecierum pannis inuoluti nuditatem exprimat: niſi quis floridum appellare velit, vbi flores, fluidum vbi fontes, gemmeum vbi gemmas deſcribit, ſcilicet à materiæ qualitate, non ab artis venuſtate. Dictione ſimiliter vtor perfacili, omnibuſque peruiâ, & forte non aliâ poſſem vti, ſi vellem, neque vellem, ſi poſſem: nec enim exinanitam in hoc myſterio Dei maieſtatem ſuperba eloquentiæ pompa, nec humilem Ieſum verborum addecent ampullæ. Nihilominus nolim exiſtimes, ita rebus ipſis ſermonem conuenire, quin ſæpius in hanc Euripidis vocem meritò erumpere debeas:* Hei hei! cur non res ipſæ inter homines

edunt vocem? *Ac proinde nihil habet ſtylus excellens, quàm quod à ſuo mutuatur argumento, venuſtatemque materies orationi conciliat, quàm oratio in aliis materiæ ſolet adferre. Attamen in Panegyrico liminari, fateor me paronomaſiis ſtuduiſſe, ſecutus hac in re Prophetarum diſertiſſimum Iſayam qui cap. 25. 6. de conuiuio Euchariſtico differens, ſtylo, vti res merebatur, floridiori, & elegantiori eximiam affectauit paronomaſiam Diuini ſuauitati epuli belliſſimè conuenientem. Sic enim ſcribit:* Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ: *Hebraicè*, miſte ſemanim, miſteſemarim; ſemanim memuchaiim, ſemarim Mezukkakim: *quàm paronomaſiam latinus interpres exprimere non potuit.*

12. *In primâ quidem huiuſce primi voluminis editione, mihi mens erat fuſioribus interpretationibus conciones redolentibus cuiuſuis Emblematis argumentum illuſtrare, illas tamen amicorum monitis morem gerens in aliam editionem diſtuli, tum vt ſtudioſæ iuuentutis, cui in libris comparandis magni ſumptus non adeo faciles, commodo conſulerem, tum vt Typographi parcerem expenſis, tum vt hunc primum tomum minus grauem quaſi ſubſequentium præcurſorem præmitterem. Quia verò, Deo fauente, plures Emblematum Euchariſticorum centurias editurus ſum; in qualibet præcipuas ſpectabilis naturæ partes ad arcani numinis ſolium ſiſto, vt eidem ſuo modo recens exhibeant obſequium, & ex iis ſymbola & emblemata eruo, ſeruato inter illas dignitatis ordine, vt lector pius per creaturarum gradus ſenſim ad Creatoris notitiam aſſurgat: ſic enim amœna tot rerum diſtinctarum varietas maiorem pariet voluptatem, & ſuauiorem ingeret lectionis illecebram. Quoniam igitur homo verè microcoſmus cæteris ſenſibilibus rebus longè præcellit, illis*

quoque in sanctissimi Sacramenti Veneratione præire iure suo debuit: sequuntur aues, quadrupedes, pisces, serpentes, insecta, zoophyta, arbores, plantæ, flores, fructus; subsequuntur inanimata, astra, meteora, montes, fontes, fluuij, gemmæ & aromata. Placuit autem *à naturæ contemplatione labores meos dudum Eucharistiæ consecratos auspicari, tum vt ab infimis pedetentim ad altiora progrederer, tum ne quid è studiis meis vel humanioribus efflueret, quod ad suam non reflueret scaturiginem, & ad tanti mysterij gloriam minimè redundaret, cui me, meaque omnia, vitam & mortem, tempus & æternitatem iam pridem consecraui, destinaui, dicaui: adeo vt non ab illo qui ab ortu ad occasum irrequietâ vertigine voluitur, vt Anaxagoras, sed ab immutabili iustitiæ sole* Christo, Philosophandi *initium sumens, me ad huius vnius speculationem, admirationem, & adorationem natum libentissimè profitear. Non is sum qui vllius inuidiam aut merear, aut verear, doctis disertisque viris planè inferior: si quis tamen suo me liuore non indignum iudicet, suoque inferiori inuidens & detrahens, sese quadantenus illi submittat, & hac ratione sibimetipsi detrahat incautus; meminerit, obsecro, illius* Plinianæ *sententiæ:* Disertus es? tantò magis ne inuideris, nam qui inuidet, minor est. Denique siue plus, siue minus, siue idem præstas, lauda superiorem, inferiorem, vel parem: superiorem, quia nisi laudatus ille est, non potes ipse laudari: inferiorem, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quàm maximum videri, quem præcedis, vel exæquas. *Sic ille Ethnicus omnino Christianè.*

13. *Hæc sunt (humanissimè lector) de quibus in huius operis vestibulo te præmonitum volui, quæ, vt opinor, æqui bonique consules. Cæterum quoniam in*

hac mortali vitâ, opus ab omni vitio defæcatum mihi elemento puro videtur rarius: purum enim bonum, non alibi quàm in Empyreo reperire est; ibi verò mixta sunt omnia: siquidem quantumuis lucubrationes nostræ, & ab argumenti dignitate, ac sanctitate, & à finis commendentur honestate, semper tamen alicuius vitij fœcibus conuincuntur admixtæ: idcirco huius opellæ meæ mixtum infelix, velim suas in partes ita resoluas, vt Deo optimo, maximo, bonorum omnium fonti, bonum omne (si quòd occurrit) mihi verò malum omne, reo vtique confitenti attribuas. Quia verò bonum necessario fluxu sequitur gloria, vt malum ignominia: ne, quæso, proprietates, vt ita loquar, suis ab essentiis abscindas, sed vnicuique, quòd suum est, æquâ iudicij lance decernens, Deo bonum; & eius appendicem gloriam, mihi malum, sequelamque illius ignominiam adscribe. Vale, & si placuerit, fruere.

SELECTA QVÆDAM SANCTORVM PATRVM DE TESTIMONIO CREATVRARVM TESTIMONIA.

PRIMVM S. *Chrysostomi in ps.* 148. Hoc sanctis in more positum, propter pium & gratum suum animum, vt cum Deo sint acturi gratias, accersant multos laudationis socios, & hortentur vt pulchrum munus secum obeant. Hoc etiam fecerunt tres pueri, qui quando erant in fornace, om-

nem creaturam, ad laudibus celebrandum quòd acceperant beneficium, & hymnos Deo dicendos conuocarunt. Hoc ipſum facit quoque Dauid vtrumque mundum vocans ſupernum & infernum, ſenſibilem, & eum qui percipitur ſolâ intelligentiâ. Hoc etiam facit propheta Iſaias, quando dicit: lætentur cœli; & exultet terra, quoniam miſertus eſt Dominus populi ſui. Vt qui enim ſoli non ſufficiant ad Deum laudibus celebrandum, quoquo versùs obeunt, vt in dicendis hymnis ſocios accipiant. *Et rurſus in Pſal.* 144. Turpe enim fuerit, vt homo qui eſt compos rationis, & omnibus quæ videntur præſtantior, ſit creaturâ, in Dei laudibus inferior. Non ſolum autem turpe, verùm etiam abſurdum: ſiquidem ipſa quotidie, atque adeo ſingulis horis emittit Domino glorificationem: cœli enim enarrant gloriam Dei, ſol & luna, & varius aſtrorum chorus, & pulcherrimus ordo cæterorum omnium ſuum prædicat Opificem.

2. *Secundum S. P. Auguſtini in Pſal.* 144. Deus gradibus quibuſdam ordinauit, & ornauit creaturam, à terrâ vſque ad cœlum, à viſibilibus ad inuiſibilia, à mortalibus ad immortalia. Iſta contextio creaturæ, iſta ordinatiſſima pulchritudo ab imis ad ſumma conſcendens, à ſummis ad ima deſcendens nuſquam interrupta, ſed diſſimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare ergo tota laudat Deum? quia cùm eam conſideras, & pulchram vides, tu in illâ laudas Deum. Vox quædam eſt mutæ terræ, ſpecies terræ. Nonne conſideratâ pulchritudine mundi huius, tanquam vnâ voce, tibi ſpecies ipſa reſpondet, non me ego feci, ſed Deus; ergo confiteantur tibi, Domine,

omnia opera tua, & ſancti tui benedicant te, vt in confeſſione operum tuorum ſancti tui te benedicant, ipſi ſancti tui inſpiciant creaturam confitentem, & illorum vocem audi benedicentem.

3. *Tertium S.* Proſperi *l. 2. de vocatione Gentium c. 4. vbi premens illa verba* Pauli *Act. 14.* Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora, *ſic diſſerit*: quòd eſt autem hoc teſtimonium, quòd ſemper Domino deſeruiuit, & nunquam de eius bonitate, ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus, quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur? cœlum ergo, cunctaque cœleſtia, mare, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetuâ maieſtatem ſui loquebantur Authoris.

4. *Quartum* S. *Bernardi c. 5. ſoliloq.* Te deſideranti amabilia quidem tua occurrunt, & à cœlo, & à terrâ, & ab omni creaturâ ſe mihi vltrò offerunt & ingerunt, in omnibus adorande & amabilis Domine, quæ quantò te manifeſtius & verius prædicant & approbant amabilem, tantò ardentius te mihi faciunt deſiderabilem. Sed heu! non ad fruendi ſuauitatem perfectam, & gaudium, ſed ad intentionis & defectus, non tamen ſine aliquâ ſuauitate tormentum. Sicut enim mea non tibi perfectè placent oblata, niſi mecum; ſic bonorum tuorum contemplatio reficit quidem nos dulciter, ſed

non ſatiat perfectè niſi tecum. Hæc eſt animæ meæ aſſidua exercitatio, hinc aſſiduè ſcabo, & ſcopo ſpiritum meum, & cum bonis & amabilibus tuis, quaſi pedibus & manibus, & totis innitens viribns ſurſum tendo ad te, in te, ſumme amor, ſummum bonum. *Et ſermone 8 in cœnâ Domini :* Deus ſit vult amari, vt cunctæ res ſimul amentur cum ipſo, & ſic vult amari, vt nihil præter ipſum ametur. Omnis naturaliter creatura iure creationis ab illo eſt, & omnis creatura, in eo quòd eſt creatura, bona eſt. Debet ergo ad hoc diligi creatura, vt in ipsâ creator ametur, non ipſa per ſe, at per eum qui illam creauit. Diligendus ergo eſt creator in cunctis creaturis, & cunctæ per ipſum creaturæ, & ſic cuncta diliguntur cum ipſo, & tamen ipſe ſolus diligitur.

Idem ſer. 3. Pentecoſtes. Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid ſit, quomodo ſit, & ad quid ſit conſtitutus. Et in eſſe quidem rerum inæſtimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè ſunt creata. Sanè in modo ipſa ſapientia ſingularis elucet ; quòd hæc quidem ſurſum, hæc verò deorſum ; hæc in medio ordinatiſſimè ſint locata. Si verò ad quid factus ſit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratiſſimos quoſque multitudine & magnitudine beneficiorum poſſit obruere. Potentiſſimè ſiquidem ex nihilo omnia, ſapientiſſimè pulchra, benigniſſimè vtilia ſunt creata. Veruntamen & fuiſſe nouimus ab initio, & adhuc multos eſſe videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus ſenſibilis mundi huius totâ ſenſualitate depreſſi totos ſe dederunt his quæ facta ſunt,

quonam modo, vel ad quid facta ſunt negligentes. Quid iſtos niſi carnales dicamus? pauciſſimos eſſe iam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuiſſe, quibus ſummum ſtudium fuit, atque vnica ſollicitudo modum & ordinem inueſtigare factorum, adeo vt plerique non modo vtilitatem rerum perquirere diſſimulauerint, ſed & ipſas magnanimiter ſpreuerint, cibo minimo ac viliſſimo contenti. Ipſi quidem ſeſe Philoſophos vocant, ſed à nobis curioſi ac vani rectius appellantur. Vtriſque igitur ſucceſſerunt viri prudentiores vtriſque, nimirum & quæ facta ſunt, & quomodo facta ſunt tranſilientes intenderunt aciem mentis, vt ad quid facta ſunt viderent. Nec latuit eos quoniam omnia propter ſemetipſum fecit Deus, omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ſe, aliter propter ſuos, in eo quippe quòd dicitur, omnia propter ſe, præueniens commendatur origo; in eo autem quod dicitur, omnia propter ſuos, magis exprimitur fructus ſequens. Omnia fecit propter ſemetipſum, gratuitá videlicet bonitate, omnia propter electos ſuos, pro eorum ſcilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finis. Hi ſunt ſpirituales viri ſic vtentes hoc mundo tanquam non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere veſtigantes, quonam modo mundialis hæc machina volueretur. Primi voluptate, Secundi vanitate, tertij veritate impleti.

5. *Concludo illuſtri Ariſtotelis teſtimonio l. 1. de partibus animal. c. 5.* In iis etiam, *inquit*, quæ in animantium genere minus grata noſtro occurrunt ſenſui, natura parens & author omnium, miras excitat voluptates hominibus qui intelligunt cauſas, atque ingenuè philoſophantur. Abſurdum enim nullaque

ratione probandum eſt, ſi imagines quidem rerum naturalium non ſine delectatione propterea inſpectamus, quòd ingenium vnà contemplamur, quòd illas condiderit, id eſt artem pingendi aut fingendi; rerum autem ipſarum, naturæ ingenio miraque ſolertiâ conſtitutarum contemplationem non magis perſequamur atque exoſculemur, modò cauſas perſpicere valeamus. Quamobrem viliorum animalium diſputationem perpenſionemque quodam faſtidio puerili ſpreuiſſe, moleſtéque tuliſſe dignum nequaquam eſt, cùm nulla res ſit naturæ, in quâ non mirandum aliquid inditum habeatur. Et quod Heraclitum dixiſſe ferunt ad eos, qui cùm alloqui eum vellent, quòd forte in quadam casâ furnariâ caloris gratiâ ſedentem vidiſſent, accedere temperarunt; ingredi enim eos fidenter iuſſit: quoniam, inquit, ne huic quidem loco dij deſunt immortales; hoc idem in indagandâ quoque naturâ animantium faciendum eſt. Aggredi enim quæque ſine pudore debemus, cùm in omnibus naturæ numen, & honeſtum pulchrumque inſit ingenium. Quippe cùm naturæ operibus iunctum illud præcipuè ſit, vbi nihil temerè viceque fortuitâ committatur, ſed alicuius gratiâ omnia agantur: finis autem cuius gratiâ quicquam vel conſtat, vel conditum eſt, boni honeſtique obtinet rationem. *Sic ille verè naturæ genius.*

ORPHEVS EVCHARISTICVS

PRIMVM EMBLEMA.

TOTIVS OPERIS IDEA

ORPHEVS ILLVSTRIORES NATVRÆ PARTES LYRÆ MODVLIS PELLICENS.



ORpheus vt primum vocales pollice neruos
Impulit, & dulces edidit ore sonos:

Siderei hæserunt abrubtis motibus orbes,
Et ſolitum attenti depoſuere melos.
Confluxere ſimul fidibus pellecta canoris
Aſtra, planetarum concomitante choro.
Sol ſtetit harmoniæ mirâ dulcedine fixus,
Nec iubar efflantes accelerauit equos.
Adfuit & Phœbe roſeo ſuffuſa rubore;
Ni pudor obſtaret, baſia mille daret.
Adfuit & variis diſtincta coloribus iris,
Inflexoque arcu Vatis in ora ruit.
Intercluſa nigris ſiluere tonitrua nimbis,
Mugituſque lyræ continuere modis.
Nubila nectareos diſtillauere liquores,
Perfudit zephyrus rore liquente comam.
Iurarunt elementa fidem, ventique frementes
Ad plectri modulos compoſuere minas.
Lenior erupit Siculis fornacibus ignis,
Præruptis cecidit mitior vnda iugis.
Muta procelloſos ſedarunt æquora fluctus;
Nilus iit tacitis per Catadupa vadis.
Pennatas acies circumuolitare videres,
Alarumque hilares plaudere remigio.
Cum Iouis armigero ludit ſecura palumbes,
Nec ſocium accipitrem blanda columba fugit.
Treicium mirata melos philomela ſub vmbrâ
Conticet, attentus gracculus ora tenet.
Non tigridem formidat ouis, neque dama leænam,
Concordeſque lepus vellicat ore canes.
Luxuriant per prata greges, lupus additus agnis
Ad plectri modulos commouet arte pedes.
Exercet panthera feris comitata choræas;
Has odor allectat, ſed magis icta chelys.
Fœdera cum placidis ſancit ſerpentibus ibis,
Pacificuſque elephas rhinocerota fricat.

Nulla leontophoni turbat formido leonem,
Nec crocodilæus membra canina timor.
Arrigit ad cantus aures immixta molossis
Cerua, lubens gallum clune leæna gerit.
Sibila compescit murenæ vipera coniux,
Fortius attractus suauis amore lyræ.
Cum platanis aurita venit de montibus ilex,
Et socias vites vlmus amica trahit.
Parnassi celeres descendunt vertice lauri,
Lætaque palladias linquit oliua domos.
Implicitâ palmæ contexunt fronde coronam,
Orphea perpetuo myrthus honore tegit.
Confusis salices ramis stipantur in orbem,
Mobile cedrorum construit ordo nemus.
Sylua Sabæorum pretiosos fundit odores,
Inciso vberius cortice thura fluunt.
Attollunt immane caput de gurgite cete,
Mitigat Orphæum monstra marina melos.
Delphines saliunt, lasciuaque littore iactant
Corpora, phocarnm grex spatiatur agris.
Maturas tellus segetes profundit, & vuas,
Lætus odoriferas explicat hortus opes.
Innumeræ veniunt Eoo ex littore gemmæ,
Vatis vt affusâ luce coruscet apex.
Quicquid in immenso cœlorum clauditur orbe,
Bistoniæ sequitur fila canora chelys.

APODOSIS.

Omnia Christe trahis crucis exaltatus in aram,
Flebilibusque moues saxea corda modis.
Tensa super lignum fidibus meliora canoris
Membra, nouum superis exhibuere melos.
Corpus nempe tuum plectro resonantius omnia
Allicit; hanc seruat nobilis ara lyram.

Illâ animas rupes, & ferrea pectora mollis,
Deque lupis blandas efficis agnus oues.
Non opus est stimulis, ad centrum sponte feruntur;
Dulce creaturis huc ab amore trahi.
Hostiæ vt in puncto, sic panis in orbe teneris;
Finis inest puncto, principium orbe latet.
Lineæ ab orbe fluunt, punctoque quiescere gaudent,
Punctus & orbis es; hinc cuncta creata trahis.
Seu centrum repetant, in puncto Numen habebunt;
Siue petant orbem, Numen in orbe tenent.
Authorem natura suum quia sentit, adorat;
Numinis arcani gaudet amore rapi.

FONS.

ORpheum Musæ filium mollissimis fidibus rationis etiam expertes feras demulsisse, omnes fabulosi testantur Scriptores, omnium fere pictorum colores loquuntur. Quare leo, & aper prope adsunt, Orpheum auscultant; & ceruus quidem, ac lepus minimè ab impetu leonis resiliunt, & quibuscumque in venatione terribilis hæc fera visa est, congregantur segnes ac remissi, cum ipso, vt apparet, feriante. Cæterum ne aues quidem inertes videris, non canoras tantùm, quibus suaues modulos concinere saltibus mos est: quin etiam vide clamosum gracculum, & stridulam cornicem, & Iouis aquilam. Hæc quidem qualis est alarum librata remigiis, vt sponte suâ defixis oculis Orpheum spectat, nec se ad proximum lepusculum prædæ scilicet oblita conuertit. Hîc porro constrictis maxillis (quæ ars est Orphei mulcentis) & lupi & agni, promiscuè attoniti saltatorium orbem versant. Maius porro quiddam animosus Pictor comminiscitur; nam arbores à radicibus auulsas ad auscultandum Orpheum ducit, atque

atque ipsi in orbem sistit. Pinus igitur & cupressus, & alnus & populus, hæ & aliæ quæuis arbores confusis ramis tanquam consertis manibus Orpheum circundant, ac certè Theatrum ipsius gratiâ non sine exquisito quodam artificio circumcludunt. Cerne iam vt aues in ramis consideant, & Orpheus in vmbrâ moduletur, ipsi quidem oculus mollitie simul atque igneâ solertiâ temperatus, Deoque plenus apparet, mente ad considerationem de natura Deorum semper intentâ. Forte etiamnum aliquid canit, ac supercilium quasi designaret carminum sensum, repente cum ipso mutatur ad motionum conuersiones. At pedum quidem læuus terræ nixus Cytharam sustinet incumbentem femori, dexter verò orditur modulos, pulsans soleâ pauimentum; manuum autem dextrâ plectrum firmiter tenens, extenditur supra fides incumbente digito, & palmâ introrsum nutante ac reflexâ, sinistra rectis ferit digitis fides. Ita Philostratus in Orpheo ex Translatione Caussini l. 11. eloquentiæ, descriptione 16. Nihi addo nisi versus Horatij in arte poëticâ fictionis huius causam complectentes:

Syluestres homines sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.

INTERPRETATIO.

1. EX hoc Poëtarum figmento sublimiorem sensum eruit Clemens Alexandrinus initio orationis adhortatoriæ ad Gentes, vbi Christum Orpheo præferens, ait: *Solus quidem certè ex iis qui vnquam fuerunt difficillimas feras homines mansuefecit; volucres quidem eos qui ex ipsis sunt leues, serpentes vero*

eos qui deceptores, & leones eos qui ſunt animoſi, & ad iram concitati; ſues autem eos qui ſunt voluptati dediti; lupos autem eos qui ſunt rapaces: lapides autem & ligna ſunt inſipientes qui crediderunt lapidibus. Et infra: *Has ergo immaniſſimas feras, & tales lapides, ipſe cœleſtis cantus in manſuetos homines transformauit: eramus enim, eramus nos quoque aliquando inſipientes, inobedientes, errantes, ſeruientes voluptatibus, & cupiditatibus variis, in malitiâ & inuidiâ degentes, odibiles, nos inuicem odio habentes: quando autem benignitas & humanitas apparuit Seruatoris noſtri, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſaluos nos fecit.* Nimirum Orpheus feras quidem lyræ modulis cicurauit, at efferatos hominum animos, à quibus diſcerptus fuit, mitigare non potuit, vtpote feris ipſis immaniores: illos vero Ieſus myſticus Orpheus cantu ſuo demulſit, & in vmbrâ arboris crucis modulatus, omnia ad ſeipſum pertraxit. Archimedem aiunt iactare ſolitum quoduis onus puſillis moueri poſſe viribus, quin & ſuæ demonſtrationis vi ſibi fidentem, ſi alteram terram cui inniti poſſet haberet, hanc ad illam ſuis ſe machinis attracturum, vt refert Plutarchus in Marcello: verùm quod inaniter iactabat hic Mathematicus, & verbo pollicitus, & opere exequutus eſt Chriſtus: *Cùm exaltatus fuero à terra*, inquit, *omnia traham ad meipſum*; Ioa. 12. 32. Vbinam verò magis exaltatus, quàm vel in aram Euchariſticam, vel in arborem crucis, vnde omnia traxit humanitatis ſuæ chely, cuius tot canoræ fides, quot arteriæ, totque vocales nerui, quot artus & nerui ſuper crucem extenti. Quidni enim humanitatem illam chelym eſſe dixerim? eo planè ſenſu quo S. Ambroſius l. 1. de Officiis c. 40. 7. Machabæos à tyranno diſ-

cruciatos cytharam ſeptem fidibus inſtructam appellat : his verbis : *Spectabat læta mater filiorum quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus, pluſquàm pſallentium cantibus delectabatur : pulcherrimam ventris ſui cytharam in filiis ſuis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ modulo dulciorem.*

2. Verùm vt olim nonnullus hanc organis muſicis appinxerat epigraphem, *non percuſſa ſilent.* Ita mirabili Dominicæ humanitatis lyræ, eamdem poſſem appingere, *non percuſſa ſilet*; quippe quæ niſi verberibus, clauis & lanceâ pulſata quaſi pectine fuiſſet, nuſquam ſonum edidiſſet in cruce mortalium allectiuum. Vnde & hic cum magno Leone ſer. 8. de paſſione exclamare licet : *O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria paſſionis! in quâ tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi. Traxiſti enim omnia ad te, & cùm expandiſſes tota die manus tuas ad populum non credentem tibi, confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit.* Diuinus itaque fidicen in crucis vmbrâ modulans omnia traxit ad ſeipſum. Ad eius concentum ſubſtiterunt cœleſtes orbes; ſol quaſi Chriſto cruci confixus ſtetit immotus; deficiente iuſtitiæ ſole luna de conditoris ſui erubeſcens ignominiâ eclipſim paſſa eſt; commixta luxerunt elementa, in lacrymas diffluxere ſilices, diſſilierunt montes, è tumulis rediuiua prodiere corpora, denique clauorum cuſpidem ipſa quoque inſenſibilia ſenſerunt; latro quantumuis arbori ſuffixus ad noſtrum fidicinem non pedibus accurrit, ſed affectibus; palantes diſcipuli cantus dulcedine reuocati ſunt. Petrus audito cantu fleuit amarè; Centurio dedit gloriam Deo, & crucifixum Dei filium eſſe proteſtatus eſt; aſtans multitudo ſaxei pectoris duri-

tiem pugnis emolliuit; immo & ſuos tortores, qui ſe traxetant ad mortem, membris in cruce extentis, quaſi totidem canoris fidibus clauorum pectine percuſſis attraxit ad vitam. *Vide*, ait Clemens Alex.loco cit.*quantum potuerit nouum canticum, homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris: hi autem qui planè erant vt mortui, qui eius, qui verè eſt vita, non erant participes, poſtquam cantici ſolùm fuerunt auditores, reuixerunt.*

3. At quemadmodum ad Orphea non eodem modo creaturæ conueniſſe finguntur; ſed reptaſſe ſerpentes, iuiſſe homines, cucurriſſe feras, aduolaſſe volucres, raptas fuiſſe arbores: ita, inquit Venerabilis Galfridus in allegoriis Tilmanni, *trahit Chriſtus, ſed aliter, atque aliter, quem quidam ſequuntur reptantes, euntes, currentes, volantes & rapti. Reptat pœnitentia, vadit obedientia, currit libera, & expedita perfectio, volat piæ deuotionis affectus, rapitur exceſſus ſacræ contemplationis: in cæteris enim nonnulla liberi arbitrij cooperatio, in eiuſmodi raptu tota ſolius gratiæ operatio eſt.* Reptans *Maria Magdalena trahebatur dominicis proſtrata veſtigiis, nec minus erat mirabile intus trahere eam, quàm ſuſcipere foris. Ambulabat communi greſſu, ſed inuitatus ad curſum triſtitiâ præoccupatus eſt, qui mandata quidem ſeruauerat à iuuentute ſuà, ſed conſilium perfectionis de relinquendis omnibus non admiſit; currebant alacres & expediti poſito gibbo cameli, qui venditis omnibus pretia ante pedes Apoſtolorum in commune diſtribuenda ponebant; volabant Apoſtoli, dum gaudentes ibant à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati; raptus eſt* Paulus, *& audiuit quæ non licet homini loqui.* Ita Galfridus. Vides quàm diſpari ratione ad noſtrum myſticum Orpheum confluxerint

homines? nempe licet idem ſit fidicen, eædem diuinorum artuum fides ſuper crucis plectrum extentæ, non idem tamen omnibus melos editur: tot diſtincti ſunt moduli, quot diuerſæ inſpirationes, quibus ad Dei notitiam allectantur.

4. Orphei lyræ hoc Poëtæ miraculum aſſingunt, quòd innata ferarum diſſidia ſuo modulamine compoſuerit, ſancitoque pacis fœdere inimicas reconciliarit animantes. Quòd elegantibus verſibus expreſſit Claudianus in præfatione l. 2. de raptu Proſerp. at quis non videat hoc figmento mirificè adumbratum quod Iſayas de Meſſia prædixit c. 11. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur; vitulus & vrſus paſcentur, & ſimul requieſcent catuli eorum.* Quam prophetiam Sibylla Erythræa græcis verſibus expreſſit quos refert Lactantius l. 7. Diuin. Inſtit. c. 24. qui ſic latinè reddi poſſunt: *Tunc lupi cum agnis in montibus verſabuntur, herbâque lynces pariter cum hœdis paſcentur, vrſi cum vitulis ſimul omnibuſque pecoribus, carniuorus leo comedet paleas ad præſepia, cum infantibus dracones orbis dormient.* Nimirum amabilis Ieſus diſcordes nationes quaſi feras ſibi hoſtiles humanitatis ſuper lignum extentæ plectro mitigauit, & ad ſuauem fraternæ charitatis redegit concentum. Quin & angelos homini læſæ Dei maieſtatis reo acriter infenſos demulſit, & æterni vinculo fœderis conſtrinxit, ſi Theophylacto credimus: *Crux*, inquit, *ad conditorem Chriſtum adducit cœleſtia, ſubterranea, terreſtria, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, vt non ſint amplius duo creaturarum genera angeli, & filij hominum, quædam in cœlo, quædam in terrâ, quædam prope, quædam longè; ſed vt iam ſint vna creatura omnium qui*

in Christo renouati sunt. Cui accinit Nazianzenus his versibus:

Quin etiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis, mortale ex finibus orbis
Collegit genus, atque homines contraxit in vnum,
Et mediis magnæ posuit Deitatis in vlnis,
Expurgans fœdas agnino sanguine sordes,
Ac scelus è medio tollens, quod clauserat astra.

En vt dulcem ex angelo, & homine dissonantíbus elicuerit harmoniam, ablatâ dissonantiæ causâ, scilicet peccato.

5. Mira quidem Dauidicæ virtus citharæ, vtpote quæ dæmonem à Saüle suo modulamine abigeret; vt habetur l. 1. Reg. c. 16. Nihilominus nunquam à regis animo, magnum illum dæmonem inferni conditorem, dæmonumque parentem (peccatum intelligo) numeroso potuit expellere concentu. At, vt cum Stromatæo loquar loc. cit. *Non talis est meus cantor Christus; sed venit dissoluturus acerbam seruitutem dæmonum tyrannidem obtinentium, ad suaue autem & benignum religionis & pietatis in Deum iugum nos traducens, in cœlum rursus euocat eos qui humi abiecti sunt.* Tantò proinde diuinus noster fidicen Psalte regio & peritior & potentior, quantò suo modulamine nequiorem spiritum profligauit, infernique tyrannum, hoc est, peccatum carnis suæ plectro procul ab hominibus abegit, illudque suæ victoriæ instrumentum nostris altaribus, ad æternam rei memoriam, appendit.

6. Huc vsque vidimus nostrum Orphea mysticum à terrâ in cruentum altare exaltatum, & in arboris vmbrâ modulantem, omnia ad seipsum attraxisse: restat vt eumdem in incruentum elatum altare, & in sactamentalium vmbrâ specie-

rum citharizantem admiremur, canoris humanitatis suæ fidibus homines sibi deuincientem. Fabulantur Poetæ Orphei lyram tot miraculorum operaticem inter sidera relatam fuisse, & à singulis Musis, quarum laudes vates ille eximius cecinerat, nouem stellis insignitam. Quàm quidem constellationem ita graphicè describit Manilius l. 1. Astronom. his versibus:

Et lyra deductis in cœlum cornibus inter
Sidera conspicitur, quâ quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu, manesque per ipsos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Huic cœlestis honos, similisque potentia causæ
Tunc syluas, & saxa trahens, nunc sidera ducit,
Et rapit immensum mundi reuolubilis orbem.

Fictitia quidem istius lyræ inter astra relatio: constat enim eam in templo, ad perpetuum Orphei monumentum, suspensam fuisse. Verùm sacra Christi humanitas passionis insignita cicatricibus lyra est, quâ creaturas omnes ad se pertraxit: hanc autem tum in astris, tum in aris ipse collocauit; in astris quidem, vt è paternæ solio dexteræ suos per totum empyrei ambitum splendores spargeret, & in omnes beatorum acies diuinum iubar ad gloriæ incrementum eiacularetur. Quippe nouem stellis illustris, puta quatuor accidentalis gloriæ dotibus, & quinque splendidis manuum, pedum ac lateris cicatricibus, triumphantem aulam incomprehensibili fulgore collustrat. In aris verò eamdem reposuit, nostrisque voluit asseruari in sacrariis, in suæ passionis memoriam, vnde per specierum nebulas, erumpentes, è plagis hiantibus, gratiæ & gloriæ inchoatæ radios vibraret, & militantem Ecclesiam illuminaret.

7. Iuxta Manilium lyra deductis in cœlum cornibus inter ſidera conſpicitur : etenim reuera huic inſtrumento muſico quædam conſtat ineſſe cornua: ita & myſtica Chriſti lyra cornua quædam oſtentat, ſed cornua copiæ, cornua fortitudinis, & inuictæ virtutis : *Cornua in manibus eius*, canit Habacuc c. 3. 4. *ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Operuit cœlos gloria eius*, en lyra inter ſtellas relata, en Domini humanitas in cœli vertice reſidens, & hinc in omnes cœlites ineffabile gloriæ lumen decutiens. *Et laudis eius plena eſt terra*, en eadem lyra noſtris appenſa altaribus, militantis Eccleſiæ in eius laudes effuſæ templum ſecretâ luce perfundens, & inſtar auroræ roſeis radiis felicitatis æternæ meridiem præcurrens; propterea ſubdit propheta : *Splendor eius vt lux erit; cornua in manibus eius*, ideſt in præpotentis Dei filij manibus emicat humanitas aſſumpta, tribus crucis affixa cornibus, tricornemque proinde citharam exprimens, quâ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & allectat omnia ſuauiter. *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius*, i. in his cornibus ſita eſt incarnati Verbi virtus & poteſtas præcipua. Quid enim illius humanitatis, aut ligno affixæ, aut in Sacramento abſconditæ viribus obluctari queat ? quis mortalium vel collibus immobilior ad eius modulos non incuruetur, & iſtis cornibus non facile pertrahatur ? quibus, vt vtar verbis Iulij Firmici l. de myſteriis & erroribus profanarum religionum c. 21. *Omnia & ſubleuantur pariter, & continentur, & hominum vita bene nititur.* In his igitur myſticæ citharæ cornibus abſcondita eſt fortitudo eius, vel vt legunt Septuaginta, poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ; quoniam amor ille quo prior dilexit nos, quaſi fortis ma-

china, mortales ad ipſum redamandum adegit. Cornu fortitudinis exemit in Caluariâ, cornu dilectionis in Euchariſtiâ, vtrobique cornua copiæ, quia pretioſum ſanguinem vtrobique ad extremam vſque guttulam copioſè profudit. Subdit Propheta: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Non ſuſtinet diabolus huius citharæ modulos, pſallente noſtro Dauide nefarius aufugit ſpiritus; egreditur ante pedes eius, quia priuſquam noſtris in cordibus, in ſacrâ ſynaxi recipiatur Dominus, iam virtute Sacramenti pœnitentiæ, & mors peccati & diabolus inde ſeſe proripuere, præſentem venturi numinis reueriti maieſtatem. Tandem concludit Habacuc: *Stetit & menſus eſt terram; aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi: incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Quid ad rem noſtram magis appoſitum? ecce enim vt ſuæ crucis cornibus, tribus manuum pedumque clauis, tribus myſticæ citharæ angulis, inſtar modulantis Orphei, terram omnem, montes, ſaxa, colleſque ſuum ad melos incuruatos dulci violentiâ pertraxit; idque ab itineribus æternitatis eius. Quænam illa æternitatis itinera? duo præcipuè, Caluaria & Euchariſtia; crux enim & Chriſto, & nobis ſtrauit iter ad æternitatem; Eiuſdem verò corpus glorioſum viam nobis aperit ad beatam immortalitatem, cuius ex Tridentino pignus eſt. Itaque per hæc æternitatis itinera, nationes omnes ad noſtrum Orphea aduolarunt, raptæ chelys ipſius dulcedine. *An non,* ait S. Bernardus ſer. 10. in pſ. Qui habitat, *Humiliatos iam cernere eſt colles mundi; dum ſublimes quique atque potentes deuotâ ſubiectione, inclinantur ad Dominum, & eius veſtigia adorant? nunquid non incur-*

uantur, cùm ab ipsâ suâ perniciosâ celsitudine vanitatis, & crudelitatis, ad humiles semitas conuertuntur misericordiæ & veritatis? Nec minus eleganter Augustinus l. 18. de Ciuit. c. 32. qui Septuaginta sequutus versionem, sic præmissum Prophetæ locum expendit: *Stetit & terra commota est; quid est, nisi quod stetit ad subueniendum, & terra commota est ad credendum? respexit & tabuerunt gentes, hoc est misertus est, & fecit populos pœnitentes: contriti sunt montes violentiâ, hoc est vim facientibus miraculis, elatorum contrita est superbia; defluxerunt colles æternales, hoc est, humiliati sunt ad tempus, vt erigerentur in æternum.*

8. De Orphei lyrâ supra cecinit Manilius, eam olim in terris auritas syluas, & saxa pertraxisse, nunc verò in cœlo cæteras inter constellationes coruscantem sidera ducere:

Tunc syluas, & saxa trahens, modo sidera ducit.

Filij Dei flexanima chelys, quondam silices præ nimio dolore dissilientes, & saxis duriora Iudæorum sibi insultantium corda, in caluariâ pertraxit; nunc in altaribus sidera pertrahit, idest, angelos ex empyrei vertice in templa ad sui venerationem euocat, fideles allicit ad mysteriorum participationem, piasque mentes sanctarum modulis inspirationum irretit, denique cœlestia simul, & terrena in vnum concinnat concentum; quodque magis admirere, Christianos harmoniæ dulcedine pellectos, excellentes efficit citharœdos citharizantes in citharis suis, hoc est, collaudantes Deum ore, & opere, linguâ & dextrâ, voce & plectro; ita vt non sola vox sonet, sed & manus consonet, verbisque facta concordent. Et verò quidni arte citharisticâ excellerent, quos ipsemet Iesus citharœdorum coryphæus edocet, monetque vt cru-

cem ſuam ferendo, de propriis membris, quaſi totidem canoris fidibus ſuper lignum extentis vocalem componant citharam, quæ tantò numeroſiorem diuinis auribus edat harmoniam, quantò magis eorum artus & nerui ſuper crucem fuerint extenſi. Verùm vt ſuauiores edant modulos, Chriſti lyram ab aris pendulam, ſacram videlicet eius carnem frequenter accipiant, & quoties ſeſe effeiratis abripi motibus ſenſerint, adaptatas huius lyræ fides, viuæ fidei, ſynceræque deuotionis pollice pulſent, vt animus indignans modulamine mitigetur. Scribit Pindarus Iouis ferocientem aquilam, vbi Apollineæ lyræ ſonos audiuit, prædæ, & fulminis oblitam, in placidum ſoporem confeſtim immerſam fuiſſe: quin & fulmen ipſum cantus dulcedine temperatum, concidente paulatim flammæ ardore, elanguiſſe. Quid igitur mirum, ſi diuinæ huiuſce lyræ placari poſſimus modulis, ſi quando indignatione commoueamur? quin mirum ſi arreptum iamque libratum in proximos iniquæ vltionis fulmen languidum abiiciamus? Appoſitè Philo libro quòd Deus ſit immutabilis: *Si quis*, inquit, *lyræ in modum animam muſicâ arte coaptatam, non ſonis acutis & grauibus, ſed rerum inter ſe contrariarum ſcientia, & meliorum ex his delectu, neque intendat plus æquo, neque remittat, emollitâ virtutum, rerumque ſuapte naturâ honeſtarum harmoniâ, conſeruans eam in eodem temperamento concinnè pulſandi pſallendique; id ſiquis pulchrè temperauerit, efficiet ſymphoniam longè optimam, quæ non in ſonoræ vocis fractos tonos deſinit, ſed in laudata vitæ officia.* Vtinam diuinis auribus huiuſmodi edamus ſymphoniam temperatis omnibus affectibus animi; quod quidem faciliori negotio præſtabi-

mus ſi noſtris pendulam ex Aris dominicæ humanitatis lyram deuotionis pectine feriamus; quandoquidem, *non percuſſa ſilet.* Illa nos incredibili lætitiâ perfundet, animi motus mitigabit, & ad Dei abſconditi pedes ſuauiter attrahet opertæ maieſtatis adoratores, apertæ charitatis admiratores, in illuſtriorum mundi creaturarum comitatu, quæ ſuum ad conditorem, *vltro veniunt, quòd amore trahantur.*



HVMANA SACRA.

SECVNDVM EMBLEMA.

AGNVS SPICIS TRITICEIS, FRVCTIFERISQ; PALMITIBVS AD ARAM, A DIVINO AMORE REVINCTVS.



Ces noeuds ne ſeruiroient de rien,
Si l'amour n'eſtoit mon lien.

HEV quam debilibus conſtringitur hoſtia vinclis!
Erro, nihil præſtat debile fortis amor.

Palmitibus, ſpiciſque Dei ſuprema ligatur
Maieſtas; ô quæ vincula! qualis amans!
Ecce reuincitur ſacris altaribus Agnus,
Nec libertatem grata catena rapit.
Aras ſponte colit, ſponte eſt captiuus amoris;
Ambit amans nexus, quos fabricauit amor.
Quod mirere magis, licet ignibus ardeat intus,
Depaſcantque auidæ membra tenella faces,
Aptaque materies ignis ſit palmes, & arens
Spica, tamen flammis inuiolata manet.
Quis putet intactis cohibere incendia ſpicis,
Palmiteque ardentes poſſe tenere rogos?
Hæc amor inuenit miracula, quemque polorum
Haud immenſa capit machina, cepit amor.
En adducta manu victoris amoris ad aram
Victima, læta mei rurſus amore mori.
Nexibus his vtinam diuinis vinciar aris,
Et Domini manicis, compedibuſque premar!
Spica mihi palmâ eſt pretioſior, vuaque lauro,
Quæ mihi dant Chriſti carne, cruore frui.

FONS EMBLEMATIS.

VIdes hîc diuinum Amorem, agnum niue candidiorem, ſpiceis, pampineiſque vinculis ad aram alligantem. Erutum eſt ex Scripturâ, Conciliis, ac Theologis hoc ſymbolum. Ex Scripturâ quidem, quia Ioan. 1. Chriſtus appellatur. *Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Et c. 13. præcipuus Euchariſtici operis artifex, non alius quàm amor diuinus memoratur: *Cùm dilexiſſet ſuos*, inquit Ieſu amaſius, *in finem dilexit eos*, ideſt, in Euchariſtiæ inſtitutione ſuæ erga nos infinitæ dilectionis exhibuit argumentum, & ad extremum vſque limitem amor eius peruenit, vltra deinceps progredi

impotens. Amor igitur agnum innocentem ad altare reuinxit. At quibus vinculis? ſpiceis, & pampineis, ſiue panis, & vini ſpeciebus, quibus quaſi quibuſdam compedibus intricatur, ne tranſactâ conſecratione ab aris auffugiat, quòd à Concilio Tridentino definitum eſt ſeſſ. 13. Can. 4. *Si quis dixerit, peractâ conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed tantum in vſu dum ſumitur, non autem ante, vel poſt; & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Chriſti corpus, anathema ſit.* Accedit communis doctrina Theologorum aſſerentium tandiu ſub ſpeciebus Chriſti corpus perſeuerare, quandiu manent integræ, & incorruptæ; cùm enim ſub iis loco panis ſubſtantiæ ſuccedat, tandiu ſub accidentibus illud remanere neceſſum eſt, quandiu ſubſtantia panis, ſi adeſſet, immaneret: hæc autem haud dubiè tandiu maneret, quandiu ſpecies integræ perſeuerarent. Vnde meritò inferunt corpus Domini, paniſque ſpecies à ſe inuicem pendere, tum vt eo modo exiſtant, tum vt gratiam animæ nutritiuam ſignificent, & producant. Species quidem à dominico pendere corpore, vt ſine vllius fulcro ſubſtantiæ ſingulariter exiſtant, gratiæque productionem attingant; quandoquidem nec à Deo ita conſeruarentur, nec gratiam producerent, niſi adorabilem carnem præcipuum mentis alimentum ſuo ambitu complecterentur: Corpus verò viciſſim à ſpeciebus dependere, vt modo Sacramentali exiſtat, id enim habet ratione ſpecierum, quibus corruptis illicò ſub iis eſſe deſinit; quin etiam ab iiſdem pendere, vt nutrimentalem gratiam ſignificet & producat in ratione Sacramenti, ſiue ſigni ſenſibilis:

quippe nisi specierum beneficio in hoc mysterio non sentitur. En purissimi Emblematis fontes, in quo prius Christum ad aram sisto, quam illustriores mundi creaturas, vt spontaneas occultæ maiestatis adoratrices adducam.

INTERPRETATIO.

1. INæstimabilis margarita libertas, eóque pretiosior, quò rarior; non illa regum diademata illuminat, nec hactenus suis eam opibus acquisiere profani principes, illustria Ambitionis mancipia, & purpurei superbientis fortunæ captiui. An ignoras, inquiebat filio regiâ dignitate insolescenti rex Antigonus, regnum nostrum splendidam esse seruitutem? cui si accedat grauior vitiorum seruitus; quis eum regnare æstimet, qui tot titulis seruus est, qui tot agnoscit sceptra, quot scelera, tot oneratur compedibus, quot criminibus, totque tyrannis famulatur, quot vitiis? Pulchrè S. Augustinus l. 4. de Ciuit. c. 3. *Malus*, inquit, *etiamsi regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum.* Quam porrò libertatem sperent subditi, vbi seruiunt Domini? alij igitur aureis, alij ferreis catenis onerantur, pro variâ cuiusque sorte, vincti tamen omnes specioso torquentur supplicio. Enimverò cum omnis seruitus misera sit, nulla videtur infelicior, quàm voluntaria, quæ non tam teneat, quàm teneatur: stultum est enim compedes suas, vel aureas adamare, & ipsa vinculorum ambitio, vel amentis est, vel amantis, vel vtriusque.

2. Quæ cum ita sint, quis non stupeat ad primum huius tabellæ conspectum? quis non miretur Dominum Iesum sub agni specie voluntariâ seruitute captiuum, victimam spiceis, pampineisque nexibus ad

ad aram reuinctam, demum de Deo vltrò seruiente triumphantem amorem? si dominantium Dominum seruilis premit necessitas, vbinam libertas? qua fronte iugum excutiet seruulus qui Dominum adorat in compedibus? Proh quanta in molli spicâ durities, & in fragili palmite firmitas! vt vinciant inuincibilem, subijciant omnipotentem, coerceant immensum, captiuentque vnicum captiuorum omnium redemptorem. Quis enim neget eum esse captiuum quem nimia erga homines charitas in sacrariorum ergastula compegit? an ille liber, qui sacerdotis voci obtemperat, qui ad illius nutum mouetur, qui modò subeat carceres, modò visitet infirmos, modò percurrat vrbium vicos, modò peccatorum ora subintret ac pectora, prout impellitur, atque agitur sacerdotis imperio? an eius seruitus dubia est, qui sponte tales nexus, catenasque patitur? Si vocatur ad custodiam, parendum; si postulatur ad aras, veniendum, si soluantur Sacramentalium specierum compedes, abeundum; Nimirum Agnus est iuxta Isiodorum, ab agnoscendo dictus, quod matris vocem, inter promiscuos totius gregis numerosi balatus, agnoscat; sic & Christus vocem sacrificantis agnoscit, eidem obedit, & vbi verba consecratoria prolata sunt, in arâ consistit.

3. Dura sanè peccati seruitus, à quâ non potuit eximi homo reus, nisi seruiret homo Deus. Descendit è paternæ solio claritatis in nostræ carnis ergastulum liber Dominus, vt seruos redimeret, satisfecit ad summos iuris apices, redemptiōnis nostræ pretium persoluit, delictorum soluit vincula, demùm hostis humani magnificus triumphator captiuam secum abduxit captiuitatem amabili seruitute liberam. Verùm nescio quo fato contigit

vt in nostræ assertione libertatis, captiuorum redemptor redemptorum fieret captiuus, quasi illos è doloris vinculis eximere non posset, nisi seipsum amoris nexibus intricaret. Equidem amor Græcis ἔρως ἀπὸ τοῦ εἴρειν, idest, à nectendo dicitur, quòd amantes strictissimè connectat. Vnde S. P. Augustinus: *Quid est amor*, inquit, *nisi quædam vita duo aliqua copulans, & quod scilicet amat, & quod amatur.* Tarquinius Superbus, si Eusebio Cæsariensi in suo Chronico credimus, excogitauit manicas, & compedes quibus torqueretur reus; Inuenit dæmonis furor delictorum vincula, quibus excruciaretur animus, commentus est numinis amor pretiosas catenas, quibus dum extricatur seruulus, intricaretur Dominus. At quænam redemptrices istæ catenæ, nisi species Eucharisticæ, quibus onustus liberator, ruptis scelerum nostrorum funibus suâ nos captiuitate assereret in libertatem? quod enim incruenti virtute sacrificij nostrorum soluantur vincula delictorum, & docent vulgò Theologi, & eleganti illustrat similitudine S. Chrysost. hom. 21. in Acta Apost. *Vide*, inquit, *annuntiatur tunc Sacramentum horrendum quod pro mundo dedit seipsum Deus, cum illo miraculo tempestiuè memor est ille eorum qui peccarunt. Sicut enim quando regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem quicunque victoriæ socij fuerunt; dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus; vbi autem transierit hoc tempus, qui nihil assequutus est, nihil obtinet: ita sanè & hic trophæorum, & celebrandæ victoriæ tempus est. Quoties enim*, inquit, *manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiate.*

4. Fœcunda sunt ista Saluatoris mei vincula, forte quod è triticeis spicis, fructiferisque Palmitibus contexta; quibus nihil fœcundius. Sed quid aliud

patiant, quàm noua vincula, tum ea quibus viatores Eucharistiæ cultui mancipantur, tum inextricabiles beatæ illius necessitatis nodos, quibus comprehensores ad clarè visæ diuinitatis dilectionem adiguntur? Felix seruitus, & amabilis captiuitas! quàm alacriter vestros nexus exosculor! me me, ô Amor fortissime, tuæ candidatum seruitutis simul cum agno constringe; quid moraris? famulum cum Domino iisdem liga vinculis. Aræ captiuitatem cuilibet præfero libertati. Funes isti cadent mihi in præclaris, etenim hæreditas præclara est mihi. Dirupisti, Domine, tuis vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, agnum vtique sacramentalibus speciebus tuas ad aras alligatum. Cæterum liceat mihi mysticis quibus Agnus innocens ab amore constringitur, vinculis auream subnectere Chrysostomi de Pauli catenis sententiam. Hom. 8. in Ep. ad Ephes. *Si quis in Dominum insanit, & eius amore vritur, nouit vim vinculorum. Si quis mihi daret totum cælum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Christo ad aram reuincto, eligerem vincula; si quis me faceret vnum ex potestatibus quæ sunt circa cælos, aut circa thronos, aut talem vinctum, potius optarem talis esse vinctus. Nihil est illâ catenâ beatius.* nihilque Sacramentalium specierum compedibus gloriosius quibus Dominus ab amore constringitur. *Quis hoc fecit*, inquit S. Bernard. tract. de charitate c. 8. *amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor, vt sciamus amoris fuisse quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est*, addo, quòd diuinitas altaribus alligata est, etenim, *non vincla tenerent, ni vinciret amor.*

TERTIVM EMBLEMA.

ECCLESIA GENVENSIS

AGNVM PASCHALEM SMARAGDINA GERENS IN PAROPSIDE.



CERNIS vt in rutilâ viridi ſplendore ſmaragdo
Agnum Paſchalem Virgo venuſta gerit.

Scilicet has Genuensis opes Ecclesia seruat;
Cui pro thesauro est vnica gemma satis.
Hac voluit Dominus celebrare paropside Pascha,
Quod venere intactos pura smaragdus amet.
Integra vt illæsi signum est illustre pudoris;
Sic in frusta abiens corpora spurca fugit.

APODOSIS.

Si nitidum vas Agnus amat, gemmâque teneri
Virgine diuini corporis vmbra petit.
Quàm puros res ipsa sinus, quàm munda requiret
Pectora virgineo flore decora caro!
Immortali inhias agno? de corde smaragdum
Confice; vas castum victima casta cupit.
Quo mage Paschali cælestis prænitet agnus,
Hunc quoque vase capi splendidiore decet.

Idem aliis versibus.

Vides vt agnus vase smaragdino
Gestit teneri, nempe smaragdinam
Cordis requirit puritatem,
Et Veneris saniem execratur.
Hostis nefandæ gemma libidinis
Libenter ornat virgineas manus:
Tactusque abhorrens impudicos,
Fracta fugit digitum salacem.

APODOSIS.

Illatus agnus vase smaragdino
Mysterium ingens signat Apostolis:
Docetque qualis gloriosam
Munditiès deceat synaxim.
Cælestis horti fragrat odoribus,
Pasci ambit inter lilia virginum;

Grauemque ab altari tremendo
Luxuriæ remouet mephitim.
Si talis vmbræ, qualis erit rei,
Viuenti & Agno debita puritas,
Cum Carne Christi virginali
Spurca venus minimè cohæret.

FONS EMBLEMATIS.

SMaragdinam Parop∫idem inæ∫timabilis pretij, in quâ Chri∫tus Dominus agnum Pa∫chalem cum di∫cipulis in po∫tremâ cœnâ comedi∫∫e creditur, ∫ummâ religione Genuen∫is a∫∫eruat Eccle∫ia, quam & diebus ∫olemnioribus ingenti cum apparatu confluenti populo ∫olet o∫tendere, prout à fide dignis viris oculatis te∫tibus didici, vt In∫titutionis Euchari∫tiæ refricet memoriam, & maiorem fidelibus in∫piret erga ∫anctissimum Sacramentum reuerentiam, & amorem. Nec vacat my∫terio Seruatorem moriturum ad po∫tremum Pa∫cha celebrandum, quod ardenti de∫iderio de∫iderauerat, catinum ∫maragdinum ∫elegi∫∫e, in quo agnum Pa∫chalem illu∫triorem Euchari∫tiæ figuram cum Apo∫tolis manducaret: quippe conuenit inter omnes ∫maragdum rerum venerearum, ob∫cœnæque libidinis prorsus impatientem e∫∫e, vt etiam Albertus magnus a∫∫euerare non dubitarit, cuidam Regi Hungariæ cum vxore, primâ nuptiarum nocte, rem habenti, ∫maragdum quam annulo gerebat in tres diui∫am fui∫∫e partes. *Proinde palam creditum e∫∫e comperio*, inquit, Franci∫cus Rueus l. 2. de gemmis c. 4. *ad ca∫titatem non mediocrem hunc lapillum habere proprietatem*. Scribitque Pierius l. 41. c. 40. propterea A∫tronomos ∫maragdum Veneri cæle∫ti dedica∫∫e,

& ad impetrandum eius numinis afflatum perquam idoneam esse profiteri. Nihil autem cælitus, subdit ibidem, non vndecunque purum, honestum & candidum mortalium animis, si Platoni, & veritati credimus, inspiratur. Hinc patet Emblematis Epigraphe: *quanta rei, si tanta figuræ munditiès.*

INTERPRETATIO.

1. VNde potius ordiar, quàm ab eximio S. Petri Damiani testimonio l. 1. Epist. 6. *Si Redemptor noster*, inquit, *tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modò de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à nutritio virgine tractaretur; & hoc cùm adhuc puerulus vagiret in cunis: à quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cùm iam immensus regnat in Cælis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus; quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, iam in paternæ maiestatis gloria sublimatus?* Liceat eodem mihi modo argumentari: Si Paschalis agnus Smaragdinâ Paropside pretiosissimâ cuiusuis immunditiæ impatiente in Domini morituri mensam illatus est, quantumuis vmbra dumtaxat, & figura foret Eucharistiæ, mox subsequuturâ sanctissimi Sacramenti institutione penitus abolenda: quanto magis Agnum Dei sine maculâ mundi sordes emaculantem pectore Smaragdinæ puritatis æmulo, & ab omni Veneris contagione secreto suscipere conuenit, maximè iam in cælis gloriosum, & in cælesti solymâ, cuius ipse lucerna est, ineffabili claritate circumfusum.

2. Enimverò si regales in mensas cibi nonnisi aureis inferuntur catinis, & pro dapum excellentiâ, Paropsidum crescit nitor & mundities; quis, vt par est, sui pectoris catinum emundat Sacro-

ſanctæ Chriſti humanitati capiendæ deſtinatum; qua, ſi diuinitatem excipias, quæ etiam in hoc epulo ſumitur, nulla cælitibus lautior eſca proponitur. Præuiam hanc animæ corporiſque munditiem ſatis ſuperque fidelibus inculcat ſummus ille calicum aureorum nitor, vt obſeruauit S. Chryſoſtomus hom. 3. in ep. ad Epheſios: *an non vides*, inquit, *vaſa abluta adeo nitida & ſplendida? his longe mundiores nobis oportet eſſe animas, his ſanctiores, & ſplendidiores, quare? quoniam illa propter nos fiunt talia.* Quaſi aureum iſtud os ita cum Ariſtotele philoſopharetur: propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale; at propter animas altaris vaſa mundantur, ergo decet animas longè iis eſſe mundiores. Quin & corda noſtra in Euchariſtiæ gratiam pœnitentiæ lauacro emaculantur; eò igitur nitidiora fieri congruit, quò purior eſt Domini caro, & defæcatior eius ſanguis. Quemadmodum enim ille ſacerdos iure extremo afficeretur ſupplicio, viuuſque combureretur, qui deteſtabili ſacrilegio pretioſum Chriſti ſanguinem in graueolentem matulam infunderet; ita qui ſordido pectore venereâ ſanie purulento corpus adorabile ſuſcipit, æternæ gehennæ cruciatus procul dubio promeretur.

3. Propterea clamat Iſaias c. 52. mundamini qui fertis vaſa Domini, quænam illa vaſa Domini? Num manus adorandæ hoſtiæ ſanctificata contactu patenâ aureâ ſacratior? Num ſacerdotis os toties diuino cruore impurpuratum, aureo calice ſanctius? Num eiuſdem pectus de Deo ſaginatum auguſto ſacrario nitidius? Hæc itaque ſunt propriè vaſa Domini, non mortua ſed viua, Deique cruore quaſi fragranti balſamo toties inuncta &

consecrata, quæ sacerdotes accuratissimè mundare debeant, vt summæ obsonij munditiei vasorum nitor vtcumque correspondeat. Hinc eos S. P. Augustinus l. de singularitate clericorum ijs hortatur verbis: *Considerate quale sit diuinis Sacramentis insistere; altari vacare debent, qui de altari viuunt, & talis conuenit cura sinceritatis Sacramentis, qualia sunt Sacramenta ipsa, quibus exhibent officia seruitutis, ne contra Deum offendant ipsa quæ tractant.* Quo quidem sermone planè fulgureo minus terrificum existimo tonitrui mugitum: quippe si talis conuenit cura sinceritatis sacerdotibus, qualia sunt ipsa Sacramenta; quæ sanctitas animæ, quæ cordis innocentia, quæ pectoris, orisque puritas ijs sufficiat, quibus ex suo munere competit ingredi sancta sanctorum, Christum omnis gratiæ fontem tangere, osculari, manducare? *quanta rei, si tanta figuræ mundities.*



EMBLEMA QVARTVM.

ADAMI, ET EVÆ NVDITAS ARIETIS PELLE AB IPSO CREATORE OPERTA.



L'innocence de la victime,
Couure la honte de leur crime.

PRotoparens miserande, quid hac nudatus in vmbrâ
Iustitiæ amissa veste; pauore tremis?

Num pudet auulsis solùm velasse pudenda
Frondibus? ad Dominum confuge, veste teget.
Iam mactauit oues, pellesque à corpore vulsit;
His gelidos artus induet exuuis.
Quid trepidas? accede dolens de crimine, parcet;
Lapsus es? extollet; nudus es? ipse teget.
Insontem mulctare nefas, vt conscius inde
Viuat; ouis moritur, pelle potitur Adam.
Ne moriatur homo, Christus morietur, eamque
De lacera carnis vestiet exuuio.
Mitis ouis cecidit dextrâ mactata Tonantis,
Apta trementis Adæ pellere pelle gelu.
Golgothæ in excelsâ cadet Agnus postmodo rupe,
Qui scelerum frigus carne calente fuget.
Num mortale gelu est, quod nec demitiget agnus.
Qui tegit immensas pectore, pelle faces?

FONS EMBLEMATIS.

QVæritur cuius animantis essent pelles, quibus Deus tunicam pelliceam Adæ lapso, & peccatori fecit? sancta Hildegardis in Epistolâ ad Prælatos Moguntinenses, cùm per illos diuinis fuisset interdicta, asserit fuisse ouis. Sic enim scribit: *Ouis præ aliis animalibus patiens, humilis, mansueta, & munda existit; vnde etiam Deus pelliceas tunicas primis parentibus per inobedientiam à claritate quâ vestiti erant denudatis, pelles scilicet ouium pro veste tribuens, significationes ouis calliditati antiqui serpentis opposuit, & tali veste eos obtexit, ne nudi paradisum exirent. Ipse enim æternus Deus qui in scientiâ suâ æternaliter habuit tunicam, idest, humanitatem filij sui, ad cuius imaginem hominem fecit, quemadmodum Moyses ipsum ad imaginem Dei creatum esse testatur, hominem deceptum vocauit, & tali veste induit; in hoc*

ostendens Verbum, scilicet vnicum filium suum sibi coæternum, ad requirendum & liberandum hominem, ex virgineâ naturâ humanitate induendum; vt in significatione ouis, patiens, mansuetus, humilis existeret, & absque omni maculâ vllius contagij mundus. Ioannes enim Baptista, & cæteri Prophetæ idem in Spiritu sancto intelligentes eum nomine agni & ouis sæpissimè appellant: ipse namque est immaculatus agnus. Ita sancta Hildegardis premens hunc locum Genesis 3. 21. *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.*

INTERPRETATIO.

1. NOn absque mysterio Deus protoparentes originalis innocentiæ stolâ spoliatos, ouinis pellibus induit, vt eorum posteris innueret, ignominiosam animæ nuditatem non aliter, quam Agni diuini semel cruentè in cruce, pluries in altari incruentè mactati exuuio contegi posse; cuius corpus pretiosa vestis est, ad sponsæ venustiorem ornatum. *Vestis*, vt obseruat S. P. Aug. ser. 15. de verbis Apost. *aliunde accipitur, non cum capillis nascitur: pecora, non homo, de suo vestiuntur.* Si de suo vestem iustitiæ non habet homo; à quo illam accipiet, nisi à Deo qui factus est homo, vt nudum hominem vestiret in cruce nudus homo? A quo nisi ab illo Agno mitissimo, cui flagellis excoriari placuit, vt propriis nos indueret exuuiis? vbi autem nos aptius induat, quàm in Eucharistico epulo, vbi suos conuictores nuptiali propriæ humanitatis stolâ contegit & exornat? *bona siquidem est stola caro Christi*, inquit, eleganter S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. c. 4. *quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit; bona stola quæ vniuersos induit veste iucunditatis.*

2. Quicumque igitur huius agni carne ſaginatur, pretioſâ melote operitur, quam Eliæ pallio iure præfert S. Chryſoſt. hom. 2. ad pop. Antioch. vbi Dominum huic aſſimilans Prophetæ, qui curru igneo raptus in cœlum, melotem qua tegebatur, Elizæo pro maximâ hæreditate reliquit, probat omnes ſacris myſterijs imbutos longe excellentiorem veſtem recipere: *Elias enim*, ait, *meloten diſcipulo reliquit; filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit: ſed Elias quidem exutus; Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Quo teſtimonio nihil ad rem noſtram opportunius, cum Agni Euchariſtici carnem, meloti, hoc eſt, lanatæ ouis pelli comparet: μῆλον enim Græcè, latinè ouis dicitur, ac proinde quiſquis adorabili carne veſcitur, ineſtimabili melote tunc adornatur, quaſi rurſum agnus ille *propriis ſontem induat inſons exuuiis.*



EMBLEMA QVINTVM.

LEÆNA SANCTO MACARIO

CATVLORVM ILLVMINATORI AGNI PELLEM OFFERENS.



QVis pudor ingratis! feritatem gratia tangit,
Condignamque refert grata leæna vicem.

Affuſo cœcæ ſoboli pro lumine grates
Soluit, & agninas conſecrat exuuias.
Fœta parens ægros catulos, & lumine captos
Macarij ſupplex iecerat ante pedes.
Quem genibus flexis, mœſtiſque rugitibus orans,
Mouerat vt medicam ſuppeditaret opem.
Ille tenebroſæ prolis, matriſque miſertus
Annuerat votis, reddideratque diem.
Officij memor illa viro pellem obtulit agni,
Dulce Leoninæ pignus amicitiæ.

APODOSIS.

Munus idem in ſanctis offert Eccleſia templis,
Lumen vbi proli reddidit alma Trias.
Illa leæna, cui eſt ſponſus leo, dedicat agnum,
Lucis enim authori lucida dona placent.
Exuuias neſcit pro luce reponere inanes;
Splendidius grates integer Agnus aget.

FONS EMBLEMATIS.

SAnctus Macarius Antonij diſcipulus leænæ ſpeluncam habuit cellulæ ſuæ vicinam: quadam autem die catulos ſuos cæcos ad illum producit bellua, & ante pedes eius ponit: at ille cùm intellexiſſet pro cæcitate catulorum beſtiam ſupplicare, rogauit Dominum vt eis redderet viſum; quo recepto matrem ſequentes redeunt ad ſpeluncam. Et pòſt ipſa cum catulis ſuis regrediens, pelles ouium lanatas plurimas, velut munus pro ſuſceptâ gratiâ ad ſenem defert, morſu oris enectas, iiſque ante fores eius depoſitis abſcedit. Ita Ruffinus l. 11. hiſt. Eccleſ. c. 4. Addit Baronius to. 4. Annal. ad annum Chriſti 372. Melaniam iuniorem inter Romanas matronas nobi-

lissimam à sancto Athanasio donatam esse ouinâ pelle, quam dono acceperat à sancto Macario Abbate, oblatâ ipsi à leæna in gratiarum actionem pro catulis cæcis ab ipso luci redditis.

INTERPRETATIO.

1. LEæna mater Ecclesia: quidni enim leæna dicatur sponsa Leonis de tribu Iuda? catuli cæci, peccatores, quos parens optima sacris offert altaribus incruenti virtute sacrificij diuinitus illuminandos; Macarius Leunculorum illuminator, Christus; agnina pellis leoninæ gratitudinis monimentum, agnus Eucharisticus, quem Ecclesia in gratiarum actionem pro filiorum resipiscentiâ per sacerdotes immolat. quòd enim Missæ Sacrificium cæcas mentes illuminet, quatenus ijs gratias excitantes à Deo impetrat, quibus peccati tenebræ dissipantur, & extinctus gratiæ sanctificantis fulgor sensim renascitur, docet Tridentina Synodus sess. 22. vbi asserit hoc sacrificio crimina & peccata etiam ingentia dimitti.

2. Christo igitur Ecclesia quasi leæna præ dolore rugiens, filios vti cæcos leunculos in altari sæpius offert, vt per accidentium quibus inoluitur nebulam illuminatricis gratiæ radios transuibret. Nec frustra; quot enim cæci accesserunt, & videntes recesserunt? Num cæcus leunculus Guillelmus dux Aquitaniæ, Leonini fautor schismatis? ipse tamen sacrificantis Bernardi precibus, & virtute sacrificij mox illuminatus ante sacratissimam hostiam corruit. At quale tandem Eucharistico pro filiorum illustratione pia mater offeret? non aliud profecto, quàm agnum Eucharisticum qui & beneficijs impetrandis, & gratijs agendis

per

per se sufficiat. Rectè siquidem dixit S. P. Aug. l. 1. contra aduers. legis c. 18. *Vnde Deo maiores gratiæ sunt agendæ, quam per Christum, quod faciunt fideles in Ecclesiæ sacrificio?* Non ingrata igitur Ecclesia agnum integrum viuum & immortalem in gratiarum actionem Deo illuminanti immolat *sobolis pro lumine sacrum.*



EMBLEMA SEXTVM.

IOSEPH FRATRIBVS SVIS TRITICVM SIMVL, ET ILLIVS PRETIVM LARGIENS.



ANnonam; pretiumque simul lagiris Ioseph
Fratribus indignis? hoc iubet vltor amor.
Vendere iis nescis quorum liuore fuisti
Venditus, haud vltor, altor at esse cupis.

Hanc amor exposcit vindictam ex hostibus vnam,
Triticum vt immeritis det, pretiumque simul.

APODOSIS.

Frumentum pretiumque simul sic donat egenis
Fratribus, & gratis pane redemptor alit.
Gloria primogena est, non vendere fratribus escas;
Quæ pretium excedunt quodlibet, ecquis emat?
Gratia frumenti pretium est, contritio cordis,
Copia virtutum, Christus id omne dedit.
Frumentum si vellet iis venundare, nemo
Solueret, hinc pretium donat, vt illud emant.
Nec tamen illud emunt, pretium quia venditor offert;
Grates, qui gratis tritico aluntur, agunt.
Scilicet hoc pretium est annonæ nobilis vnum,
Reddita pascenti gloria tota Deo.

FONS EMBLEMATIS.

IOseph sanctissimus Patriarcha, vt c. 42. Genesis legitur, iussit ministris suis, vt implerent fratrum suorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam, qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt, apertoque vnus sacco, vt daret iumento pabulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis: reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique mutuò dixerunt: quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? *Sic amor vindicat* vt cum sancto Chrysologo loquar ser. de filio prodigo.

INTERPRETATIO.

1. SAnctus Augustinus ser. 81. de tempore vbi inter Iosephum & Christum D. longum Paral-

lelum instituit, his concludit verbis: *Ioseph erogauit triticum, Christus erogare dignatus est Dei Verbum.* Addo frumentum electorum, quod indignis licet hominibus non solum fratricidij, sed & deicidij reis liberaliter elargitus est, ne fame consumerentur. De quo quidem frumento loquens Osee Propheta, ait: *conuertentur sedentes in vmbrâ*, siue vt vertit Chaldeus Paraphrastes, *habitabunt in vmbra Christi sui, viuent tritico*, siue vt legunt Septuaginta, *inebriabuntur tritico.* Quamuis enim nullus materiali tritico inebriari possit; Eucharistico tamen facile possunt inebriari sub vmbrâ Christi quiescentes, quod eidem vinum germinans virgines siue diuinus cruor admisceatur, vt proinde saturari nequeant cælesti tritico, quin vino permixto pariter inebrientur.

2. Mira quidem Ioseph erga fratres charitas enituit, quod eorumdem inuidiâ Madianitis venditus, cùm tantum scelus vlcisci posset, non solùm ijs ignouit, sed & muneribus cumulauit, conuiuio magnifico excepit, & eorum odium pietatis lacrymis abstersit, quin & sufficientem annonam tritici gratis concessit. Quanquam enim in speciem illud vendere visus fuerit, pretium ab ijs exigendo, gratis tamen reapse dedit, qui pecuniam palàm acceptam clam in singulorum saccis ab œconomo reponi præcepit, vt triticum tantò magis æstimarent, quantò gratis illud accepissent. Sed aliquid amplius in sacra synaxi præstat Dominus, dum & cœleste frumentum, & illius pretium liberaliter impertitur, haud ignarus inæstimabilem hanc electorum annonam nullo posse comparari pretio, nisi quòd emptor à venditore gratis acceperit. Pretium autem præuias ad illius

ſuſceptionem diſpoſitiones intelligo, puta, fidem, ſpem, charitatem, cordis contritionem, gratiæ ſanctificantis aliarumque virtutum ornatum, quæ cùm gratuitò nobis eroget, quoniam natura noſtra nimis egena eſt ad pretium huiuſmodi perſoluendum, relinquitur nobis non vendi triticum, ſed donari. *Rem pretiumque magnificus largitur amor.*



EMBLEMA SEPTIMVM.

THEODOSIVS DIACONVS

POST MORTEM CONSTANTI IMPERATORI FRATRICIDÆ CALICEM IN SOMNIS PROPINANS.



ECquid id est? Constans gelido terrore tremiscit,
Conscius & sceleris nocte dieque furit.
Sæpius in somnis occisi fratris imago
Sæuitiem exprobrans, membra pauore quatit.

Sanguine spumantem pateram, mi suscipe frater,
Inquit, eo diram pelle liquore sitim.
Fraternâ quid cæde rubens haurire recusas?
Ebibe vindictæ poculum, & emorere.
Non est ille calix, tibi quem porreximus olim;
Quippe furoris is est, ille salutis erat.

APODOSIS.

Sacrilegus paribus furiis agitatus inhorret,
Vrget atrox nemesis, discruciatque reum.
Nocte, dieque animum sceleris furialis imago
Lancinat, & calicem porrigit, vnde bibat.
In somnis sæpe ante oculos astare videtur
Christus, & admoto tangere labra scypho.
Hunc bibe, succlamat, iusti cratera furoris;
Ora quid auertis? vi, deicida, bibes.
Vindictam à superis pollutus crimine poscit,
Voxque profanati sanguinis astra ferit.
Ad fæces hunc vsque bibes, vt numinis irâ
Ebrius, æternis ignibus ausa luas.
Deliciis & suppliciis, vino atque veneno
Plenus, alit iustos, sacrilegosque necat.

FONS EMBLEMATIS.

1. EX Baronio ad annum Christi 659. *Constans imperator,* inquit, *sceleribus scelera iungens, impulsu malorum dæmonum, fratrem suum Theodosium consecratum iam* Diaconum *nece abstulit, ita crudeliter fratricidium sacrilegio magis infamans. De nefando facinore breuiter hæc tantum ex Theophane Græcorum habent Annales: Anno decimo octauo imperij Constans germanum suum fratrem Theodosium interfecit; quem quidem offensus ab eo antea, operâ Pauli Patriarchæ attonsum Diaconum consecrari voluisset; à quo mini-*

ſtrante idem Imperator, ſancto Sanguinis poculo, in ſacro-ſanctis myſteriis, impertitus fuiſſet. Hæc vero ſubiicit Baronius: *Haud impune patrauit: exigit enim fuſus ſanguis innocuus à Deo vindictam, vt omnibus vitæ diebus, inſtar Cain, conſcientiæ ſtimulis agitatus profugus & vagus viueret ſuper terram; eo infelicior, quod non, ſicut ille, ſignum accepit à Domino, ne ab aliquo interficeretur: quippe qui Syracuſis in balneo, à quodam Andrea Troili filio miſerè occiſus fuit. Sed tragœdiæ exitum ex Cedreno accipe, in Græcorum Annalibus: Is ergo Theodoſius à morte ſuâ, ipſi Conſtanti crebrò, per quietem, viſus eſt, habitu diaconi, poculum ſanguine plenum porrigens, atque dicens: Bibe frater. Ac ſi diceret,* ſubiungit Baronius, *inebriare fraterno ſanguine, quem fudiſti, tale decet propinare poculum ſanguine plenum auidæ crudelitati. Explere cruore germani porrigentis; non vt olim in Eccleſiâ porrigebat, in tuarum redemptionem culparum, Sanguinem Chriſti; ſed in vltionem paratum. Sume de manu, non ſanguine Agni refectum poculum, quo percuſſor Angelus abigatur, ſed qui vltorem excitet in te Deum. Accipe ſanguinem victimæ, non quo ſancitum eſt fœdus, ſed quo tua eſt damnatio comparata. Porrigo calicem non ſalutarem, ſed irâ Dei poculum plenum, quod haurias neceſſe eſt. Meus ecce ſanguis, qui tuum à Deo vindice ſuis vocibus expoſcit. Eius viſionis acerbitate victus Imperator Syracuſas nauigio petijt, vbi à tyranno oppreſſus fuit.* Hactenus Baronius. Adeo verum eſt illud Senecæ tragedi: *ſequitur ſceleſtos vltor à tergo Deus.*

Et illud Horatij: *raro antecedentem ſceleſtum*
Deſeruit pede pœna claudo.

INTERPRETATIO.

1. INter ſacra Diaconorum miniſteria, præcipuum illud & illuſtrius extitiſſe, vt Domini-

cum Calicem in Missæ sacrificio fidelibus administrarent, constat, tum ex liturgiis SS. Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, tum ex Cypriano lib. de lapsis, vbi referens quid, ipso sacrificante, paruulæ cuidam, quæ panem mero mixtum, de pereuntium immolatione sumpserat, acciderit, hæc habet: *Vbi verò solemnibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit; faciem suam paruula, instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labiis obturantibus premere Calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus; & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta maiestas.* Tum ex his S. Laurentij verbis ad Sixtum Papam, apud Ambrosium l. 1. offic. c. 41. *quid ergo in me displicuit, Pater? Num degenerem me probasti? experire certè, vtrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem? Cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Hoc igitur præcipuo Diaconorum ministerio in Ecclesiâ Constantinopolitanâ fungens Theodosius, sæpius fratri suo Constanti Imperatori Dominicum Calicem in sacrâ synaxi porrexerat.

2. Porrò Calix Eucharisticus verè præclarus & peroptimus, ac cælestibus diffluus deliciis, non vinum effundit impiis, at venenum; quod iis non diuini amoris calix sit, sed furoris, de quo Isaias ad perduellem Ierusalem c. 51. *Bibisti de manu Domini Calicem iræ eius, vsque ad fundum Calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.* Vbi alludit ad Hebræorum morem, qui crucis supplicium subituris,

vinum aromatibus condîtum propinabant, quod iudicium euerteret, & ſenſuum viuacitatem obtunderet. Quod Dominus ſibi de more porrectum ebibere noluit, vt viuacior eſſet ad ſenſum doloris. Theodoſius igitur Diaconus qui ſæpius ex officio fratri ſuo Conſtanti Imper. Dominicum ſanguinem in ſacrâ mensâ porrexerat, eidem fratricidij reo, diuini furoris Calicem ſæpius in ſomnis propinabat, ſubmonens, vt in criminis vltionem ad fæces vſque biberet. Bibe, frater, aiebat non pretioſi cruoris ambroſiam, ſed furoris abſynthium; non vinum germinans virgines, ſed venenum ad inſaniam adigens mundi ſapientes; prægusta gehennæ imminentis amaritiem, & inebriare diuinæ vltionis toxico. Si perfidus Imperator fratrem in ſomnis ſibi cratera propinantem adeo reueritus eſt: quo vultu, quo ve animo ſacerdos ſacrilegus Chriſtum iudicem incredibili gloria & maieſtate circundatum, hiulcas cicatrices oſtentantem, tonãtem, fulminantem, æternum anathema iaculantem, furoris implacabilis Calicem porrigentem ſuſtinebit? Si nunc indignationem eius guttatim è Calice ſtillantem deglutire nequit, quo pacto ſpumantem vltione pateram & ſupra labra intumeſcentem, in die furoris Domini, ad fæces vſque hauriet? nec enim fæx eius eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ, quomodo fulguream vocem audiet, *tuum hinc bibe frater ſupplicium*?

EMBLEMA OCTAVVM.
THEODORVS PAPA
MONOTHELITARVM DAMNATIONI, DOMINICI CALICIS LIQVORE, SVBSCRIBENS.



RArum atramenti genus olim ex murice factum est;
Solius hoc leges scribere regis erat.
Rarior encausto diuini stilla cruoris;
Munit eâ summus sancta statuta Pater.

Scribitur hæreſeos damnatio ſanguine Chriſti,
Maximi id encauſtum Nobile Pontificis.
Exitium hæreticis pretium eſt commune ſalutis,
Venduntur que lupi, quo redimuntur oues.

APODOSIS.

Flebile decretum proprio ſic ſanguine ſcribet
Chriſtus, vt æterno puniat igne reos.
Sanguis adorandus vindictum expoſcet ab aſtris,
Sacrilegiſque calix exitialis erit.
Quàm durum reprobis damnari hoc ſanguine, cuius
Gutta vel vna probis cauſa ſalutis erit!

FONS EMBLEMATIS.

PYrrhus Patriarcha Conſtantinopolitanus Monothelita, cum Româ (*vbi hæreſim abiurauerat*) diſceſſiſſet, & Rauennam perueniſſet, vt canis ad vomitum ſuum reuerſus eſt. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine conuocatâ Eccleſiæ, ad Sepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & diuino Calice expoſtulato, ex viuificato ſanguine in atramentum ſtillauit, & ita propriâ manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati facit. Ita Theophanes apud Baronium ad annum Chriſti 648. n. 15. qui addit: hanc excommunicationem Pyrrhi tunc per Theodorum Papam Romæ factam habent Annales: ſed de ſanguine Chriſti ex Calice diſtillato in atramentum, in ſignum maledictionis, & damnationis æternæ in ritibus ſacris Eccleſiæ Romanæ, haud eiuſmodi de his reperitur eſſe præſcripta lex, vel factum ipſum aliquo alio, quod ſciamus, declaratum exemplo. Huc referri poſſunt quæ ſcribit Pancirolus de Encauſto: E*x purpurâ*, inquit, *atramenti genus conficiebatur, quod En-*

caustum nominabatur, Hoc soli Imperatores priuilegiis & literis subscribendis vtebantur, aliis omnibus sub pœnâ rebellionis id erat prohibitum, eos videlicet post publicationem bonorum omnium capitali non immeritò pœnâ plectendo, qui eo fuissent vsi. Id ipsum & Nicetas lib. de vitâ Manuelis Imper. confirmat, dum ait, eum in ipso Imperij initio Constantinopolim misisse literas, rubro aureoque sigillo, & serico filo munitas, & conchæ, siue purpuræ sanguine pictas.


INTERPRETATIO.

I. COnstat inæstimabilem Christi Sanguinem nostræ salutis esse pretium, *Quem*, vt cum Clemente 6. loquar, extrauag. vnigenitus, *in arâ crucis immolatum, non guttam Sanguinis modicam (quæ tamen propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisset) sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Hinc pretium magnum vocatur ab Apostolo 1. Cor. 6. *empti estis pretio magno* & ab Aug. illius interprete: *Sanguine Christi comparati estis; agnoscatis pretium vestrum: illo quippe emit, qui pretiosum sanguinem fudit.* Quî fit igitur, vt istud humanæ redemptionis pretium plerisque sit exitium, & ille cruor Dei pro debitoris, quo deleta est cautio hominis debitoris, pluribus grauioris sit causa damnationis? quî fit vt ille Christi Sanguis, melius, i. meliora postulans, quàm Abelis, non veniam, at vindictam aduersus impios exposcat? Nempe vt veros sui ipsius adoratores emaculat, ita sacrilegos profanatores condemnat; & vt scribit S. Bern. ep. 7. *quasi tuba sanguis ille exaltat vocem suam; & si vocem eius tu non audis, audit eum ille de cuius latere manauit: quomodo namque proprium non audit, qui Abel Sanguinem audiebat?* Suum ergo

Sanguinem vindictam aduersus impios clamantem audit Dominus & exaudit, indeque Encaustum Imperiale conficit, quo lethali sententiæ in eosdem latæ subscribat.

Quem diuinæ iustitiæ rigorem satis Theodorus Papa declarauit, quum Pyrrhum hæreticum Monothelitam relapsum anathemate feriens, damnationis decretum, Dominici Sanguinis Encausto subsignauit. Quid enim durius, quàm redemptionis damnari pretio, ab eoque Calice mortem æternam haurire, vnde cæteri vitam hauriunt immortalem? Adeo vera est hæc Apostoli sententia. *Voluntariè peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Cum enim in nouâ lege nobis vnica supersit hostia criminum expiatrix; quisquis illius sanguinem pollutum duxerit, nulla ei superest, quâ diuinum furorem leniat, sed sola restat terribilis iudicij expectatio, & ignis æterni combustio, quæ sacrilegorum nequeat absumere substantiam, aut terminare pœnam, quod eorumdem nesciat delere culpam. Heu! caueamus, ne de pretioso sanguine summorum Pontificum vertex Dominus ferale conficiat Encaustum, quo nostræ capitali sententiæ subscribat: quo nihil ad dolorem acrius: nihil ad cruciatum atrocius, nihil ad desperationem potentius. *Res dura salutis damnari pretio.*

EMBLEMA NONVM.
BETHLEHEM ADONIDIS
IDOLO AB ADRIANO IMPERATORE
PROFANATA.



VIrginis, & Veneris non se patiuntur amores:
Purus adest Iesus, spurcus Adonis abest.
Cur igitur simulachra tui, Venus impia, amantis
In Bethlehem video, & mixta profana sacris?

Hoc opus est Adriane tuum: quis Adonidi eamdem
Virgine cum Domino crederet esse domum?

APODOSIS.

Ara piis Bethlehem est vini domus inclyta panis;
Nascitur hic Iesus, possit vt esse cibus.
In Bethlehem idolum petulantis Adonidis infert,
Qui sacra abhorrendis polluit illecebris.
Nempe à Christicolis colitur lasciuus Adonis,
Quum Venere altaris contemeratur honos.
De Bethlehem panisue domo fecisse lupanar,
Est scelus, æterno quod nec in igne luas.

FONS EMBLEMATIS.

HAdrianus Imperator existimans se fidem Christianam, loci iniuriâ, perempturum, in loco passionis simulachrum Iouis consecrauit; & Bethlehem Adonidis fano profanata est, vt quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est, vt pateretur; passus est, vt resurgeret; surrexit, vt regnaret; iudicatus est, vt iudicaret. In Bethlehem quoque vbi agnouerat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ibi principes hominum inficiati saluatorem Deum, infames hominum amores, mortesque coluerunt. Prodita nouo sidere regis æterni cunabula, vbi supplices cum suis opibus adorauerunt Chaldæi, ibi barbaras libidines sacrauerunt Romani. Vbi natum Saluatorem cum exercitu Angelorum concinentes cælesti gaudio salutauerunt illustratâ nocte Pastores, ibi Veneris amasium mixtæ semiuiris planxere meretrices. Proh dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit? vbi sacra nati Saluatoris

toris infantia vagiebat, illic Veneris lamenta fingentium lasciuis luctibus ritus vlulabat; & vbi Virgo peperit, adulteri colebantur. Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora nostris proxima Constantini. Ita disertè S. Paulinus epist. 11. ad Seuerum; ad quem hæc S. Hieronymus ep. 13. *Ab Adriani temporibus, vsque ad Imperium Constantini per annos circiter octoginta Bethlehem nunc nostram, & augustissimum orbis locum lucus inumbrabat Thamus, idest Adonidis; & in specu vbi quondam Iesus paruulus vagijt, amasius Veneris plangebatur.*

INTERPRETATIO.

1. QVid filio Virginis, cum amasio Veneris? quid præsepio Saluatoris, cum simulachro Adonidis? quid fonti puritatis, cum fomite libidinis? quid Angelis Natalem Dominicum hymno cælesti concelebrantibus, cum impudicis mulieribus lasciui adolescentis interitum lamentantibus? quid speluncæ Bethlehem cælis sacratiori, cum arâ Adonidis lupanaribus ipsis obscœniore? Num te pudet, Hadriane Imperator, sacra profanis immiscere, & Virginitatis sacrarium spurcis temerare sacrificiis? sed quid inuehor in principem ethnicum? cùm idem sacrilegium in dies renouent plerique Christianorum? Nunquid præsepe Bethlehemiticum altare nostrum incruentum, in quo panis ille viuus qui de cælo descendit, non Iudææ, sed Ecclesiæ Pastoribus colendus, nec orientis Regibus, sed occidentis Imperatoribus exponitur adorandus? Nunquid Bethlehem Ecclesia Catholica, in quâ iugiter apponitur panis Angelicus de purissimo Mariani cordis sanguine materiatus, & Spiritus sancti feruore in virginalis sinus clibano nouem

menſium interuallo concoctus, vt fieret hominum cibus verus, & viuus?

2. Chriſtus in Bethlehem naſcitur infantulus; in arâ renaſcitur quotidie vir perfectus. In Bethlehem vagit pannis inuolutus; in arâ ſecretis inſpirationibus erudit, & prædicat præceptor diuinus. In Bethlehem non tam viuere, quàm mori incipit homo mortalis; in arâ nuſquam moriturus reſurgit, & exoritur immortalis. In Bethlehem infantiæ diffluit lacrymis; in arâ gloriæ rutilat fulgetris. In Bethleem faſciis alligatur; in arâ Sacramentalium ſpecierum vinculis conſtringitur. In Bethlehem multitudo cæleſtis exercitus concinit, Gloria in excelſis; in arâ eumdem hymnum cum Sacerdote canit turba populi fidelis. Naſcentem in Bethlehem ambabus vlnis excepit Virgo mater; renaſcentem in arâ, & ore mandit, & pectore ſuſcipit dignus Preſbyter. Quidni igitur ad aræ ſacris onuſtæ conſpectum mixtis gaudio lacrymis, in eaſdem, quibus ſancta Paula Romanarum nobiliſſima Bethlehem olim ſalutauit, voces erumpam? *Salue Bethlehem domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cœlo deſcendit: Salue Ephrata regio vberrima, atque fructifera, cuius fertilitas Deus eſt.* Quidni cum eadem oculis fidei intueamur in altari, non infantem pannis inuolutum, ſed virum perfectum accidentium velis inuolutum, non Magos, ſed Chriſtianos principes ibidem Dominum adorantes, Paſtoreſque Eccleſiæ ſummum animarum Paſtorem reuerentes? quidni rurſus cum eadem confidenter dicamus: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius: hæc requies mea, quia Domini mei patria eſt, hîc habitabo, quoniam Saluator elegit eam?* Vti refert S. Hieronymus in eius vitâ.

Quidni tandem cum mellifluo Bernardo aram aſpicientes exclamemus : *O Bethlehem parua , ſed iam magnificata à* Domino *! magnificauit te , qui factus eſt in te paruus ex magno. Quæ tibi ciuitas (ſi audeat) non inuideat pretioſum illud ſtabulum , & illius præſepij gloriam? in vniuerſâ ſiquidem terrâ , iam celebre eſt nomen tuum , & beatam te dicunt omnes generationes; vbique glorioſâ dicuntur de te ciuitas* Dei ; *vbique pſallitur; quia homo natus eſt in eâ , & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Sic ille ſer. 1. in Vigiliâ Natiuit. Nunquid enim ara noſtra parua , tam anguſtis circumſcripta limitibus ? ſed tamen magna , quoniam à Deo abſcondito magnificata , magnificat illam Chriſtus, quoties in ea de magno fit paruus: quis enim minor eo qui ſponte deliteſcit in puncto , ſuis anguſtiis auguſtior, ſuis altaribus altior , ſuis latebris illuſtrior , ſuis vmbris clarior ? Nunquid in arâ quotidie renaſcitur Deus homo? Nunquid eam profundâ baſi fundauit Altiſſimus , qui ibidem de altiſſimo quotidie fit humillimus ?

3. Enimvero non ſolùm ara noſtra Bethlehem, ideſt domus Panis dicitur , quòd, vt ait S. Gregorius ho. 8. in Euang. *Ille per materiam carnis ibidem appareat , qui electorum mentes internâ ſatietate reficit;* Sed etiam Ephrata meritò appellari poteſt , quo nomine priùs vocabatur Betlehem , quòd , referente Adrichomio in deſcriptione Terræ ſanctæ , rerum omnium frumenti potiſſimum & vini copiâ abundet. Ephrata ſiquidem, interprete Hieronymo, duplicem habet ſenſum aræ noſtræ ſummopere congruentem. Primùm enim interpretatur , fructifera : quis verò fructus vberior , quàm frumentum electorum , & vinum germinans virgines, quàm virginalis terræ fructus ille ſublimis, quo Eccleſiâ

per omnes orbis plagas longè latéque diffuſa paſcitur iugiter, ac enutritur? Vnde opportunè dixit Hieronymus commentario in Michæam: *Cuiuſnam telluris fœcunditas cum Bethlehem vbertate conferri poteſt? Cateræ regiones frumentum ferunt, oleum, vinum; fructuumque copiam aliorum; at Bethlehem panem cæli protulit.* Secundò Ephrata interpretatur, furor: & ſignificat, ait idem Doctor, Herodis inſaniam, qui ibidem furens odio in Chriſtum, propter eum omnes occidit infantes. Vtramque expoſitionem complectens Ambroſius enarratione prima in Michæam ita loquitur: *Bethlehem domus panis eſt; Ephrata domus furorem videntis. In Bethlehem natus eſt de Mariâ Chriſtus; eadem autem Bethlehem, quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus eſt Chriſtus: & ideo iam non domus furoris, ſed domus panis, quia panem recepit eum, qui de cœlo deſcendit. Domus autem furoris Ephrata, quia illic Herodes dum Chriſtum requirit, perimi ſtatuit infantulos.* Ita eſt, ita eſt, ara incruenta quæ dignè accedentibus Bethlehem eſt, i. domus panis; impiis & ſacrilegis, Hadrianica impietate, idolum Adonidis in eâ erigentibus verè Ephrata eſt. i. domus furoris; quod ibi iuſto furore ſuccenſus Dominus, in ſui Corporis profanatores atrociter ſæuiat, & æternis deſtinet cruciatibus. Concludo cum Petro Bleſenſi ſer. 38. *Quicunque ad altare Domini accedit inquinatus luxuriâ; iuxta filium Virginis idolum ponit Veneris*, atqui, *non compatiuntur amores Virginis & Veneris.*

EMBLEMA DECIMVM.

SPONGIA FELLEA

CRVCIFIXI IN EVCHARISTICO CALICE, NON SINE MYSTERIO, RECONDITA.



DIVinum cratera tumens cur ſpongia felle
Implet? amareſcens exulet inde liquor.
Nil niſi nectareum pretioſi ſanguinis hauſtus
Spirat, amaritiem non amat iſte calix.

Fallor, amat mortis diuina dilui aceto;
Creſcit ab immixti fellis odore ſapor.
Si ſapis; hunc acri bibiturus dilue felle:
Crede mihi, arcano ſpongia melle madet.
Delicias à felle nouas ſacer elicit hauſtus;
Ambroſiamque Dei *fel morientis olet.*

FONS EMBLEMATIS.

IN Plateâ quæ martyrium & Golgotha continuat, Exedra eſt, in quâ calix Domini ſcriniolo reconditus per operculi foramen, tangi ſolet, & oſculari; qui argenteus calix hinc inde duas habens anſulas ſextarij Gallici menſuram capit; in quo illa eſt ſpongia Domini potus adminiſtra. Ita Venerabilis Beda lib. de locis ſanctis c. 2. meminit Baronius ad annum Chriſti 34. to. 1. Annal. numero 63.

INTERPRETATIO.

1. SPongiam Dominici potus adminiſtram, quam ſibi Ieroſolymis oſtenſam fuiſſe teſtatur Venerabilis Beda, Romæ nunc ſummo honore in Baſilicâ Lateranenſi aſſeruari ſcribit Baronius ad annum Chriſti 34. num. 126. quam & ait ruborem quemdam adhuc retinere, quem ſemel imbiberit, quaſi aliquando Domini ſanguine tincta fuerit. Vnde coniicit madidam prius ſanguine ſpongiam, atque preſſam, aceto poſteà, & hyſſopo ſuperinfuſam (proh ſcelus!) ſacratiſſimo Saluatoris ori à militibus admotam. Nempe immaniſſimi tortores, vt Domini cruciatus diutius protraherent, ſpongiam de induſtriâ parauerant, quam hiantibus ipſius plagis, ad ſiſtendum manantis cruoris profluuium, opportunè admouerent. Siquidem ea vis in-

eſt ſpongiæ, vt fluentem ſanguinem cohibeat, ſi Plinio credimus l. 31. c. 11. ſcribenti veteres ſpongiâ conglutinaſſe vulnera, quam ob cauſam ſauciatis in amphitheatro gladiatoribus continuò in hunc finem adminiſtrabatur. Quem ad morem haud dubiè alludit Tertullianus l. de ſpectac. c. 25. his verbis: *Poterit & de miſericordiâ moueri defixus in morſus vrſorum, & ſpongias Retiariorum.* Quod Retiarij vulneribus in ipſo conflictu acceptis illicò ſpongias admouere ſolerent. Sic igitur imbutam Dominico Sanguine ſpongiam presſerunt carnifices, cùm pendens Chriſtus exclamaſſet: ſitio, & aceto hyſſopo condîto (cui etiam ſiſtendi ſanguinis vis indita eſt) madefactam, confeſtim arido ipſius ori admouerunt.

2. Hanc porro ſpongiam diuini cruoris murice purpuratam, & oris attactu, & pectoris eius anhelitu conſecratam, non ſine ſingulari myſterio, occultâque ſancti Spiritus inſpiratione Chriſtiani veteres in Euchariſtico Calice recondiderunt, vt tacitè poſteris innuerent ambroſeum huiuſce Calicis ſaporem, & ineffabiles Euchariſtiæ delicias non aliunde, quàm ex felleâ Dominicæ Paſſionis amaritudine promanare. Mira planè Euchariſticæ ſuauitatis cum mortis amaritie connexio: quid enim calicis deliciis, cum Crucis ſuppliciis? quid ambroſiæ, cum aceto? quid melli, cum felle? Neque tamen vlli Calicis delicias guſtare licet, niſi Dominici fellis amaritiem prælibarit. Iuſſit quippe Dominus admirabile Sacramentum inſtituens, vt in amariſſimæ mortis ſuæ memoriam nectareum ſui cruoris Calicem hauriremus, & præuiâ fellis & aceti, quod in Cruce guſtauit, mordacitate, illius ebibendi appetitum irritaremus.

3. Quis autem aut verbis edisserat, aut animo concipiat admirabiles Eucharistici crateris delicias, vbi dulcedo ipsamet quasi in proprio fonte degustatur, vt ait S. Thomas opusc. 57. quam ille solum plenissimè nouit qui expertus est, iuxta illud Psaltæ regij: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Verum has delicias à felle Passionis inseparabiles satis ostendit Doctor Angelicus, dum mortis memoriam simul cum huius Sacramenti suauitate coniungit: his verbis loco cit. *suauitatem huius Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritalis dulcedo in suo fonte gustatur; & recolitur memoria illius, quam in suâ Passione Christus monstrauit excellentissimæ charitatis.* Ne quis Eucharistici Calicis suauitatem aliunde, quàm ex felleæ Passionis commemoratione promanare suspicaretur.

4. Eleganter de mensâ Eucharisticâ dixit S. Chrysologus ser. 1. *Mensa hæc nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis & gloriæ.* Quidni enim gloriæ delicias ab eo Calice hauriamus, vbi sanguis diuinus gloriæ splendoribus fulgurat, vbi Christus suas & nostras delicias inclusit. Quippe nullibi verius quàm in hoc salutis epulo dicere potuit, quod Prouerb. 8. 31. longè antea dixerat: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; quòd nullibi intimè magis nostris mentibus & corporibus vniatur: hic enim, vt cum Laurentio Iustiniano loquar ser. de Eucharistiâ, *Nobiscum habitat, de nobis lætatur, vt suis nobiscum deliciis perfruatur: quemadmodum in sapientiæ volumine testatur, dicens: & deliciæ meæ esse cum filiis hominum: Non quidem vt suas â filiis hominum captet delicias, sed vt cum filiis hominum communicet proprias. Nequaquam enim imprudenter arbitrandum est, quòd Deus vllam ab Angelis, seu hominibus lætitiæ percipiat*

causam, cum eosdem Spiritalibus, & æternis faciat exuberare deliciis: Ipse etenim sibi ipsi gaudium est, beatitudo perennis, sempiternæ essentialesque deliciæ. Verùm ob præcipuum, quem ad homines gerit, dilectionis affectum, illis impertiendo proprias, eorum suas asserit esse delicias. Huc vsque sanctissimus protopatriarcha Venetus.

5. Verumtamen illi solum ineffabiles anticipatæ gloriæ delicias in hoc Sacramento prælibant, qui Dominicæ mortis memores, suauissimum hauriendo Calicem, felle madidam spongiam in ipso inclusam exugunt, & diuinæ Passionis amaritiem auidâ mente prægustant, vt præuia fellis molestia subsequentem acuat delectationem. bellè siquidem ait S. P. Aug. l. 8. Conf: c.3. *Eas ipsas voluptates humanæ vitæ, etiam non inopinatis, & præter voluntatem irruentibus; sed institutis, & voluntariis molestiis homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi molestia; & ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Vbique maius gaudium maiori molestiâ præceditur.* Vis ergo Eucharistici Calicis inebriari deliciis? eas diuinæ mortis amaritie tempera, spongiam, felle imbutam, in Calice reconde: neque enim sapit, nisi felleus amaror mentem bibentis præimbuerit: *omnis ab isto felle sapor.*

EMBLEMA XI.
SANCTVS LVCIANVS
MARTYR, IN PROPRII PECTORIS ARA SACRIFICANS, MOX IPSE IMMOLANDVS.



QVis vidit vnquam tale ſacrum? parem
Quis immolauit victimam? inediâ,
Sitique languens Lucianus
Sacra facit manibus reuinctis.

Extentus alto robore, corporis
Compage laxâ, diuidit hostiam,
Mactatque romphæâ superni
Eloquij, ac prece præpotenti.
Idem Sacerdos, araque, sanguinem
Corpusque Christi consecrat, & suis
Offert adorandam synaxim
Discipulis moribundus heros.
Mysteriorum mensa quidem deest;
At supplet aram martyris inclyti
Pectus, cruentatis hiulcum
Vulneribus, saniemque ructans.
Adstans tremendo turba sacro facit
Templum vel ipso sanctius æthere:
Tali Sacerdos apparatu
Nemo Deo prius immolarat.
Mox ipse ad aram victima corruit,
Cœlumque votis fortiter arietans,
Ter Christianum se professus,
Sydereos penetrat recessus.

APODOSIS.

Sic Christus olim se manibus ferens,
Ara, & Sacerdos factus, & hostia,
Litauit æterno Parenti
Carne suâ, proprio & cruore.
Hoc sæuientis fulmina numinis
Sacro repressit: solus idoneus
Dei furentis mitigare
Iustitiam Deus immolatus.

FONS EMBLEMATIS.

INuictissimus martyr Lucianus, & fide & patientiæ consummatione illustris, in equuleo ex-

tensis pedibus manibusque reuinctus, inediâque pene consumptus totos quatuordecim dies, quod idolothytis vesci recusaret in carcere, circumstantes discipulos consolans: Ero, inquit, vobiscum, & diem festum Theophaniorum vobiscum celebrabo, recedam autem postridie. Cùm ergo aduenisset dies festus qui expectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc vltimam à magistro consequi mysterij celebrationem: videbatur autem esse dubium, quonam modo mensam in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cùm multi quidem, tunc partim adessent, partim autem accederent. Ille autem: mensa quidem, inquit, erit nobis hoc meum pectus, non vt arbitror, Deo futura minus honesta eâ, quæ fit ex inanimi materiâ; templum autem sanctum vos mihi eritis me omni ex parte circundantes. Cùm igitur omnes eos martyr fecisset in orbem consistere, vt inter se inuicem alter prope alterum stantes, eum tutò comprehenderent: iussit suo pectori imponi signa diuini sacrificij, postquam autem hæc fecissent, in cælum protinus sustulit obtutum, cùm iam vix posset extollere, precesque peregit consuetas. Deinde cùm plurima diuina esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita, & ipse fuit particeps Sacramentorum, & transmisit ad eos qui aberant. Et hunc quidem diem transegit cum eis, vt erat pollicitus. Postridie autem cùm venissent quidam ab Imperatore visuri, an adhuc viueret (videbatur eis valde mirandum, quòd vitam huc vsque produxisset) postquam prope se stantes aspexit eos qui venerant, cùm se quantum poterat extendisset, & ter dixisset, sum Christianus, simul cum vltimâ voce emisit spiritum. Ita habent legitima eius acta apud Metaphra-

ſtem die ſeptima Ianuarij, quæ laudat Baronius ad annum Chriſti 311. numeris 7. 8. & 9.

INTERPRETATIO.

1. CHriſtum Diuinitatis oleo perfuſum, & indelebili vnionis hypoſtaticæ charactere ſignatum, verum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech conſtat ex Apoſtolo ad Hebræos 7. quippe qui corpus & ſanguinem ſuum panis & vini ſpeciebus inuolutum Deo Patri obtulerit, in ſupremi ipſius dominij, propriæque ſeruitutis agnitionem, & placantem ſimul & placabilem hoſtiam, ancipiti conſecratorij Verbi gladio mactauerit. *Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi*, inquit Cypria. ep. ad Cæcilium, *quam D. N. I. Chriſtus qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech, i. panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & Sanguinem?* Hanc fidei veritatem hîc fuſiùs probare non vacat. Sacerdos igitur eſt Chriſtus, immo & victima, quippe qui vt homo ſemetipſum Deo in odorem ſuauitatis in incruento immolauit altari. Hinc Ambr. l. 3. de fide c. 5. *Idem Sacerdos, idem & Hoſtia, & Sacerdotium tamen & ſacrificium humanæ conditionis officium eſt.* Rationem reddit S. Aug. 10. de Ciuit. c. 2. his verbis, *Mediator effectus Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, cùm in formâ Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt, tamen in formâ ſerui ſacrificium eſſe maluit quàm ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & Sacerdos eſt, ipſe offerens & oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacrificium.*

2. Quanam autem ratione fuerit etiam altare, idem in Pſal. 33. expendens id quod de Dauide ſcribitur 1. Reg. 21. ferebatur in manibus ſuis, ait. *Quo-*

modo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam non inuenimus; in Chriſto autem inuenimus: ferebatur enim in manibus ſuis, quando commendans corpus ſuum, ait: hoc eſt Corpus meum: ferebat enim illud in manibus ſuis. Vnde infero Chriſtum Corpus ſuum quaſi victimam, ferentem altaris vice functum fuiſſe. Sanè ſi ſecundùm Iſidorum l. 5. orig. c. 14. altare dictum eſt quaſi alta ara; quid altius Chriſto, cuius magnificentia ſuper cœlos eleuata eſt? has autem tres Sacerdotis, altaris & hoſtiæ functiones in vnâ Chriſti perſonâ connexas viuacius exprimere mihi non licuit, quàm S. Luciani martyrio, qui de circunſtantibus diſcipulis quaſi de viuis lapidibus Deo templum extruens, de proprio pectore altare erigens, ſeſe Hoſtiam amore flagrantem obtulit, in cuius proinde Sacrificio, tres Sacerdotis, altaris & Hoſtiæ conditiones vnà concurrunt.

3. Hunc Sacerdotem, æmulabundus Chriſtianus allaboret, vt ſuper cordis amore flagrantis aram ſancti Spiritus vnctione conſecratam, ſeipſum iugiter in holocauſtum offerat, feruidæ orationis ſuffitum exhalet, corporiſque ſui macerationem, vt Hoſtiam viuentem, immolet, quatenus ſimul eſſe mereatur, Sacerdos, ara, & victima. *Quid enim,* inquit S. Leo ſer. 3. in ſuæ aſſumptionis anniuerſario, *tam Sacerdotale eſt, quàm vouere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis Hoſtias de Altari cordis offerre? Et quod eſt altare holocauſti,* addit S. Gregorius hom. 22. in Ezechielem, *niſi mens bene viuentium, qui peccatorum ſuorum memores, lacrymis ſe lauant, carnem per abſtinentiam macerant, vbi ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro conſumitur?* En quâ ratione iuſti queant eſſe, tum Sacerdotes, tum altare holocauſti, immò & Hoſtiæ

viuentes. *Etenim qui membra ſua mortificant*, verba ſunt Origenis l. 9. in ep. ad Rom. *Hoſtiam viuentem rationabiliter offerunt, & legem ſacrificiorum quæ in Leuitico eſt, ſecundùm ſpiritalem intelligentiam complent: ſi ſuperbiam vincunt, immolant vitulum; ſi iracundiam ſuperant, arietem; ſi libidinem, hircum; ſi vagos & lubricos cogitationum reſecant volatus, columbas & turtures.* Felix, cui datum eſt, vt hac ratione ſit *Idem ara, ſacerdos, victimaque.*



EMBLEMA XII.

VELVM VIRGINALE SANCTÆ AGATHÆ, AETNÆVM COHIBENS INCENDIVM.



ASpice, vt erumpens Aetnæ fornacibus ignis
Florentes liquido sulphure inundet agros.
Aspice vastatas flagranti flumine vites,
Fœdatum piceo turbine cerne diem.

Qui

Quis tantæ occurrat ſtragi, montiſque tonantis
Audeat impauido culmen adire gradu.
Aduolat vrbs Catanenſis atrocibus obuia flammis,
Obiicit & rapidis tenuia vela rogis.
Quod mirere, Agathæ cedunt incendia velo;
Martyris Aetnæus numen adorat apex.

APODOSIS.

Aetna caro eſt, ſtygio ſuccenſa libidinis igne,
Cuius edax ardor pectus & oſſa vorat.
Illius immanes furias ſacra vela coercent,
Virgo quibus Ieſus, virgo Triaſque latent.
Prima Trias virgo, virgo eſt de Virgine natus:
Quidni his virginibus cederet vna Venus?
Si venas malus inflat amor, ſi pectus adurit;
His animum velis obtege, victor eris.

FONS EMBLEMATIS.

SVrius & Franciſcus Haræus qui vitas ſanctorum ex Surio accuratè collegit; die quinta Februarij S. Agathæ natali conſecratâ, hæc habet. *Paganorum multitudo fugiens aliquando ad Sepulchrum S. Agathæ virginis, tulerunt velum eius contra ignem; vt comprobaret Dominus quod à periculis Aetnæi incendij, meritis beatæ Agathæ martyris ſuæ eos liberaret.*) Huius miraculi meminit Vincentius in ſpeculo Hiſtor. l. 6. c. 45. fuſius id refert Ribadeneyra in vitâ eiuſdem Martyris. Illudque inſinuat S. Damaſus Papa in hymno eiuſdem Virginis:

Ethnica turba rogum metuens,
Huius & ipſa meretur opem
Quos fidei titulus decorat,
His venerem magis ipſa premat.

Sic Aetnam Strabo l. 6. Geographiæ pagina mihi 189. deſcribit: loca ſuperiora montis huius tum nuda, tum cineroſa ſunt, & per hyemem niuibus referta. Ipſa verò montis cacumina multas ſuſcipiunt mutationes, veſcentibus incendiis; nunc quidem vnum in craterem collabente igne, nunc diuiſo effluente, nunc igniti emittuntur riui, nunc flammæ fumoſæue fuligines, nunc exhalat lapides. Neceſſe namque eſt meatus ipſos ſubterraneos cum his pariter accedentibus variari. In ſummitate campus planiſſimus, cineroſo incluſus ſupercilio, cuius in medio cineroſus cernitur tumulus, ſupra tumulum recta in ſublime conſurgit nebula. Hactenus Strabo. Sed ad rem noſtram apaptius Iuſtinus l. 4. perennis huius incendij cauſas inueſtigans, ait: Ipſa terra tenuis eſt ac fragilis, & cauernis quibuſdam ac fiſtulis ita penetrabilis, vt ventorum tota ferme flatibus pateat;necnon & ignibus generandis nutriendiſque ſoli ipſius naturalis vis: quippe intrinſecus ſtratum ſulphure, & bitumine traditur; quæ res facit, vt ſpiritu cum igne inter interiora luctante frequenter, & compluribus locis, nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Aetnæ montis per tot ſæcula durat incendium, & vbi acrior per ſpiramenta cauernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. Vndis ipſis alitur incendium: Neque enim in tam anguſtis terminis aliter durare tot ſæculis tantus ignis potuiſſet, niſi & humoris aleretur nutrimentis. Vndæ igitur ſorbentis æſtus voragine colliſæ, Aetnæ montis perpetuos ignes faciunt: nam aquarum ille concurſus raptum ſecum ſpiritum in imum fundum trahit, atque ibi ſuffocatum tamdiu tenet, donec per ſpiramenta terræ diffu-

ſus, nutrimenta ignis incendat. Sic ille.

INTERPRETATIO.

1. NVllum aptius libidinis hominem interius & exterius fœtido ardore conſumentis Hieroglyphicum, quàm ſulphureum Athnæi montis incendium. *Quid enim eſt aliud ſulphur*, inquit, S. Greg. l. 14. mor. c. 10. *niſi fomentum ignis? verumtamen ſic ignem nutrit, vt fœtorem grauiſsimum exhalet. Rectè igitur in Sulphure peccatum carnis accipitur, quod dum peruerſis cogitationibus quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æterna incendia præparat; & dum fœtoris ſui nebulam in mente reprobâ dilatat, contra eam, flammis ſubſequentibus, quaſi nutrimenta ſubminiſtrat. Quod enim per ſulphur fœtor carnis ſignetur, ipſa ſacri eloquij teſtatur Hiſtoria, quæ contra Sodomam pluiſſe ſulphur & ignem Dominum narrat; qui cum carnis eius ſcelera punire decreuiſſet, in ipsâ qualitate vltionis, notauit maculam criminis: ſulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruerſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit vt igne ac ſulphure perirent.* Equidem vt Aetnæ ſolum bituminoſum ventorum flatibus permeabile generandis nutriendiſque ignibus peridoneum eſt; ita caro noſtra tenuis ac fragilis, interno peccati ſuccenſa fomite, facile flante nequiſſimo ſpiritu exardeſcit in libidinem, & infamis luxuriæ mephitim exhalat.

2. Quem verò potentiorem obicem graſſanti intus incendio homo fætido ardore cinereſcens opponat, quàm virginale Dominicæ carnis velum, quo diuinæ gloria maieſtatis noſtris attemperatur aſpectibus, ad cuius ſplendorem mortalis oculus conniueret, niſi interpoſitum humanitatis & Sacramentalium ſpecieum velum emicantia gloriæ

fuletra ret underet? Velum illud est Virginis & martyris, vtpote quod non solum adorandam Triadem, quæ ex Gregorio Nazian. *Prima virgo est.* sed & ipsam Christi humanitatem, quæ simul martyr & virgo est, obuelat. Hoc velum aduersus libidinis incendium frequenter opponere didicerat S. Alexius, cuius ope inuiolabilem, inter innumera Veneris incentiua, seruauit integritatem. Nimirum Eucharistiæ velo obumbratus, inter coniugalis amoris tædas miraculosè frigescebat. *Sedat enim Eucharistia sæuientem membrorum legem*, ex S. Cyrillo Alex. l 4. in Ioan. c. 17. & vt ait Ambros. ser. 19. in Psal. 118 expendens illud Threnorum 4. 20. *In vmbra tua viuemus in gentibus: Vmbra tua caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerauit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum quæ restinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuersarumque passionum incendia temperauit.* Scilicet, *Sacris cedunt incendia velis.*



EMBLEMA XIII.

S. HENRICVS IMPERATOR

GLOBVM AVREVM IMPERII INSIGNE, DE MANV SVMMI PONTIFICIS SVSCIPIENS.



Il reçoit l'Empire du monde,
Caché soubs cette forme ronde.

IMperij ne vides fulgens insigne, globumque
Cuius inest apici crux adamante nitens?
Sphærica forma notat commissas orbis habenas;
Numinis intactam crux pretiosa fidem.

Hac meritò gemmis rutilo ſupereminet orbi;
Nempe triumphali eſt terra ſubacta cruce.
Quadruplici circum radiantes ordine gemmas,
Ornamenta animo principe digna puta.
Cæſari inungendo pomum hoc Pater optimus offert,
Orbis & Imperium tradit in orbiculo.

APODOSIS.

Aureus ille Globus ſummi eſt inſigne Monarchæ;
Triticei ſed enim eſt clarior orbis honor.
Ille notat regnum fluxum, terreſtre, caducum;
Iſte dat æterni regna beata poli.
Ille ornat regem, vitiis, heu! ſæpe ſubactum;
Edomitis reges motibus iſte facit.
Ille notat Dominum; Dominum ſed continet iſte:
Ille quidem Reges; ſed facit iſte Deos.
Ille crucis ſignum gemmato in vertice præfert;
Iſte cruci fixum fert hominem, atque Deum,
O mirum! minimo panis datur orbis in orbe
Imperium, toto dignius empyreo.

FONS EMBLEMATIS.

BAronius tom. 11. Annalium ad annum Chriſti 1013. de Sancti Henrici Imperatoris inauguratione hæc refert ex Glabro: Anno Dominicæ Incarnationis 1013. licet inſigne Imperiale diuerſis ſpeciebus prius figuratum fuiſſet, venerabili tamen Papæ Benedicto Sedis Apoſtolicæ viſum eſt admodum intellectuali ſpecie, qui idem inſigne præcepit fabricari quaſi aureum pomum, atque circundari per quadrum pretioſiſſimis quibuſque gemmis, ac deſuper aureum crucem inſeri. Erat autem inſtar ſpeciei huius mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere per-

hibetur; vt dum illud reſpiceret terreni princeps Imperij, foret ei documentum, non aliter debere imperare, vel militare in mundo, quàm vt dignus haberetur viuificæ crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diuerſarum gemmarum decoramine, videlicet Imperij culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Cumque poſtmodum prædictus Papa Imperatori Henrico huiuſmodi Imperij inſigne; in conſpectu totius Romanæ plebis, tradidiſſet; ſuſcipiens illud hilariter, circunſpectoque eo (vt erat vir ſagaciſſimus) dixit: Optime Pater, iſtud facere decreuiſti noſtræ portendendo regimen Monarchiæ, qualiter ſeſe moderari debeat, cautius prædocuiſti. Deinde manu gerens illud auri pomum ſubiunxit: Nullis melius hoc præſens donum poſſidere, ac cernere congruit, quàm illis qui pompis mundi calcatis, crucem expeditius ſequuntur Saluatoris. Qui protinus miſit illud ad Cluniacenſe Monaſterium Galliarum.

INTERPRETATIO.

1. QVis niſi iniquus rerum æſtimator Globum Imperialem Euchariſtico præponat orbiculo? ſi enim ille aureus erat, quis neſciat Corpus Domini prorſus aureum eſſe, auro vtique cœleſtis Solymæ vitro pellucidiore, quod in ipſo refulgeat, & auri claritas, & vitri puritas, & beatifica charitas, quæ Apoc. 3. dicitur. *Aurum ignitum & probatum.* Appoſitè Chryſoſt. ho. 45. in Ioan. *Quemadmodum*, inquit, *ſi quis liquefacto auro manum vel linguam iniiciat, quam primùm deauratur; ita anima immerſa Sanguine Chriſti aurea redditur.* Si Globus Imperialis quadruplici gemmarum ordine rutilat;

quidni & Corpus Domini, tot radians ſardonicibus, quot cicatricibus, præcipuè verò quatuor beatitudinis dotibus, impaſſibilitate, ſubtilitate, agilitate, & claritate; ſiue quatuor naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypoſtaticæ gradibus inſignitum. Si Globo Imperiali crux adamantina ſupereminet; in Euchariſtiâ apicem tenet Crucis Paſſioniſque memoria fidelibus altâ mente recolenda. Si Globus aureus tranſitoriũ denotat Imperium; Euchariſticus orbiculus æternæ felicitatis Symbolum eſt, quo non modo cœleſte Imperium, ſed & ipſummet cæli poſſidemus Imperatorem; cuius coronæ & naturæ conſortes, non Reges modo, ſed etiam Dij meritò nominemur. Pomum aureum intus vacuum, quo terreni vanitas Imperij deſignatur; orbis autem Euchariſticus intus plenus & omnino ſolidus, quo perpetua regni cœleſtis ſtabilitas indicatur: quid enim humanitate Chriſti plenius, in qua in habitat plenitudo Diuinitatis? quid diuina Verbi hypoſtaſi ſtabilius? quid demum totâ Trinitate durabilius? Globus aureus Imperatorem denotat, non efficit; orbis Euchariſticus Imperatores inaugurat, dum vitiorum cæterarumque cupiditatum nos reddit triumphatores. Tandem, vt parallelum finiam, Globus Imperialis ſolam Crucis imaginem in apice præfert; orbis verò triticeus ipſummet Dominum Crucifixum, & hunc non in extremis agentem, non mortuum, ſed rediuiuum & immortalem oſtentat.

2. Verùm vt nulli principi Imperialia conferri ſolent inſignia, niſi prius Romanorum Rex creatus fuerit, quod olim fiebat ab Archiepiſcopo Mediolanenſi Nouum Romanorum Regem pallio, armil-

lis, annulo, ſceptroque induente, eiuſque capiti ferreum Diadema, Chriſti patientis clauo inſignitum imponente; quo ritu Carolum Magnum Modoetiæ fuiſſe coronatum vetuſtiſſimi tradunt annales; ita nefas Chriſtiano aureum Euchariſtiæ Globum porrigere in Imperij inſigne, niſi prius carne, mundo, dæmone perdomitis, extinctiſque rebellionis internæ facibus ſeſe ſui ipſius regem eſſe, & cupiditatum Dominum oſtenderit: nec enim panis Euchariſticus ſapit aut delicias præbet niſi ſolis Regibus. Et quemadmodum Romanorum Rex, antequam pomum aureum præcipuum Imperij inſigne de manu ſummi Pontificis acciperet, coronâ ferreâ redimiri ſolebat, cui S. Helena vnum è clauis Dominicis olim inſeri curauit: Vnde, vt refert Bſouius in ſuo Romano Pontifice c. 44. cum ea corona ferrea, Caroli quinti Cæſaris capiti Bononiæ ſolemni ritu imponeretur, ſubito perculſa horrore concio obriguit, ad aſpectum ferri per diuina Chriſti membra olim adacti; ac tanquam manantia innoxio ſanguine trophæa Crucis, & Chriſtus ipſe, totaque facies acerbiſſimæ mortis ante oculos obuerſaretur, à coronati Cæſaris aſpectu ad violentos ictus, diuinique lanienam corporis animum aduertit, profundâ Paſſionis meditatione. Ita priuſquam nobis Euchariſtiæ conferatur orbiculus, Dominicæ Paſſionis meminiſſe conuenit, ac velutis clauis Chriſti configi, cum triumphali ipſius epulo cenſeantur indigni, qui non ante fuerint ipſius clauis Cruci confixi. Totus igitur nobis ad ſacram ſynaxim accedentibus ille figatur in corde, qui pro nobis totus fixus eſt in cruce, viciſſimque toti figamur in

illius cruce, vt ipſe totus noſtro figatur in corde, à profundâ Paſſionis eius meditatione, ſpiritale Imperium auſpicemur, clauoque quaſi diademate corda noſtra coronemus; tunc enim merebimur, & diuini cruoris inungi Balſamo, & aureum de manu Sacerdotis, Euchariſtiæ pomum, & *Minimo capere orbis in orbe Imperium.* Imo ipſummet Imperatorem Chriſtum.



EMBLEMA XIV.

ANTIOCHVS REX, DATIS HOSTIIS IVDÆOS AD DEDITIONEM ADIGENS.



DVm frustra Antiochus Solymæ ferit ariete turres,
Ciuesque inuictos obsidione premit.
Illuxit festiua dies celeberrima genti:
Multa deest sacris victima danda focis.

Rex pius inducias vltrò concessit, & vrbi
Agmina taurorum, largaque thura dedit.
Magnifica indomitas domuerunt munera turmas,
Quasque furor nequiit vincere, vicit amor.
Quippe pium facinus Solyma admirata libenter
Paruit eximio religione duci.
Pugnandi genus ecce nouum, bellumque stupendum;
Quos non arma domant, missa holocausta domant.

APODOSIS.

Hactenus indomitum frustra oppugnauerat orbem,
Diluuio, flammis, sulphure, cæde, Deus.
Vna rebellantem domat Eucharistica mundum
Victima, victorem reddit & illa Deum.
Est ballista potens pietas, amor ariete quouis
Fortior; hæc animos machina sola quatit.
Nec mirum si sancta Deo nos dedere cogit
Hostia, quâ se homini dedidit ipse Deus.

FONS EMBLEMATIS

EX Iosepho l. 13. Antiquitatum: Antiocho, qui Religiosus nuncupatus est, Ierosolymam obsidente, & acriter oppugnante, licet conatu irrito, ob incredibilem obsessorum ciuium fortitudinem, & murorum ac propugnaculorum firmitatem machinis bellicis inconcussam: quum dies festus tabernaculorum illuxisset, Hyrcanus Iudæorum princeps septem dierum inducias occasione festi solemnis à rege postulauit: quas ille non solùm vltro concessit, votisque tam piis annuit, sed etiam victimas, taurosque auratis cornibus adornatos, magnamque aromatum vim in vasis aureis & argenteis, ad portas vsque vrbis, cum solemni pompâ deduci iussit. quod sacrificium susceperunt

adductum, qui ante portas ſtabant, & ad templum adduxerunt. Ipſe autem traditâ Sacerdotibus hoſtiâ, & ampliſſimâ militibus annonâ in caſtrâ rediit. Regis clementiam & religionem admirati Iudæi, feſto peracto, depoſitis armis vltrò ſe in illius fidem dederunt. Quippe Hyrcanus laudans eius modeſtiam, & animaduertens ſtudium ipſius erga Deum, petiuit ab eo vt patriam eis conuerſationem reſtitueret; qui ad omnem pietatem flexus, legatis id conceſſit, & obſidionem ſoluens diſceſſit.

INTERPRETATIO.

1. SEntentiosè Seneca l. 1. de Clementiâ *Nullum, inquit, ornamentum principis faſtigio dignius, pulchriuſque eſt, quàm illa corona ob ciues ſeruatos, non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc diuina potentia eſt gregatim, ac publicè ſeruare, multos autem occidere & indiſcretos, incendij ac ruinæ potentia eſt.* Id altâ mente repoſuerat Antiochus rex, qui religioſus dictus eſt, dum memorabili pietatis, & clementiæ exemplo, maluit Iudæos, humanitate ſibi deuincire, quàm armorum vi vincere, & ſubiugare, ac de eorum potius cordibus, quam de vrbibus triumphare. Hoc illuſtrius præſtitit Rex regum Dei filius, ab aſſumptæ humanitatis inſtanti, non ſolum homo, ſed & humanior factus erga homines. Quippe cùm in veteri teſtamento mortales perduelles læſæque diuinæ maieſtatis reos, diluuio, ſulphureis imbribus, incendiis, bello, fame, peſte, cædibus, ad ſpontaneam deditionem adigere vix potuiſſet, maluit deinceps amore quàm furore pugnare, & illuſtriorem triumphis omnibus victo-

riam magnificâ ſui Corporis Hoſtiâ reportare. Mirum equidem eſt, ac ſtupendum, quot olim machinis cordis humani propugnaculum oppugnarit, vt veluti ruinosâ muri laceri labe tandem intus irrumperet. Etenim hoſtilem exercitum æmulabundus, qui vbi fulmineis glandibus muros rebellis cuiuſpiam ciuitatis euertere nequit, flumini vrbem alluenti moles ingentes obiicere aſſolet; diuque frementes vndas, quaſi carcere coercere, vt rupto demum aggere vehementius irruentes, muros euertant, aut ciues fatali vortice ſubmergant. Primam hanc obſidendi viam tentauit, immiſſo Cataclyſmo; ſed irrito conatu: perſtiſtit enim ſuo in facinore homo peruicax, diluuij licet fluctibus propemodum obrutus & ſubmerſus. Iterum humani cordis arcem nouis concutit machinis Deus exercituum, & vltionum Dominus, ſulphureoſque imbres quaſi ignitas glandes, fulmineoſque globos in infamem pentapolim vltrice dexterâ iaculatur: ſed fruſtraneo rurſus impetu. Durius quippe ipſis adamantibus cor humanum nec flammis colliquefieri, nec ardentis ſulphuris torrente potuit vnquam emolliri. Quid hîc agat aut moliatur Dei filius? circumſpicit animo quâ ſit in perduelles impreſſionem facturus; collatis omnibus cæleſtis exercitus copiis inuadit & oppugnat; plurimas Chiliades, Angelorum gladio cædit, bello, peſte, fameque diuexat, neque tamen tam validâ oppugnantium impreſſione, arce potitur. Tamdem diuturnioris obſidionis pertæſus, carnis humanæ trabeâ indutus, armorum vi indomitos, blanditiis flectere nititur, fidem tentat, ad deditionem hortatur, iamque imminente Paſchalis ſolemnitatis die, magnifico apparatu ſemetipſum immolans, victricem Proprij Corporis

hoſtiam, ignito probatoque diuinæ charitatis auro fulgidam, perduellibus dono mittit, in indelebile Regiæ clementiæ monimentum. Cum ecce, ô ſubitaneam & inſperatam planè rerum mutationem! inuicti hactenus perduelles, excellentis adeo victimæ munere pellecti, vltro ſe obſidentis Theandri poteſtati permittunt, & inexpugnabilem ſui cordis arcem ſpontaneâ tradunt deditione.

2. O verè victricem Corporis Chriſti victimam tantæ victoriæ parentem! ô planè triumphalem Hoſtiam hoſtilibus copiis potentiorem. Nimirum bellè & appoſitè cecinit olim Ouidius:

Victima quæ dextrâ cecidit victrice vocatur,
Hoſtibus à domitis Hoſtia nomen habet.

Glorioſum proinde victimæ nomen non mereretur Euchariſtia, niſi victrici Domini de Humano corde triumphantis dexterâ mactaretur, nec hoſtia diceretur, niſi hoſtiles copias antea ſubiugaſſet. Ea ſane victoria hòc videtur illuſtrior, quò ſine Hoſtium cæde parta, eoque palma pulchrior quò ſolius victoris cruorè irrigata eſt; & vel hoc vno Ieſuanæ humanitatis opere, ſecretam ipſius diuinitatem mundus agnoſcere potuit: diuinum enim opus eſt, quos poſſis fulmine conterere, eorum beneuolentiam ambire, & ad ſynceri amoris Sacrificium vel inuitos inuitare.

Nam cum vincamur ab omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis;

Vt egregiè cecinit Claudianus.

3. Chriſtus igitur non ſolum, vt olim Antiochus obſeſſis Iudæis, magnificentiſſimum deſtinauit holocauſtum, verùm ipſemet fieri voluit holocauſtum, & ſolemnis victima: *Pro nobis victor & victima*, inquit opportunè S. P. Aug. l. 10. Conf. c.

vltimo, *& ideo victor, quia victima; pro nobis Sacerdos & sacrificium, & ideo Sacerdos, quia sacrificium.* Reuera ideò victor, quia victima; quod Eucharisticæ victimæ partas debeat de perduelli homine victorias. Neque enim vnquam ita magnificè deditam humani cordis arcem intrasset victor, nisi priùs amor de victore fecisset victricem victimam, & hostiam hostium domitricem, mundique triumphatricem, vt ideo S. Eligius hom. 8. Eucharistiam appellet, *Sacramentum quo subiugatus est mundus.* Cui accinens Aug. l. 12. contra Faustum c. 28. ait. *Ipse mihi Christus in Ioseph inuenitur, qui persequentibus, & vendentibus fratribus in Aegypto, post labores honoratur. Didicimus enim labores Christi in orbe gentium, quem significabat Aegyptus, & nunc videmus honorem Christi in eodem orbe terrarum, erogatione sui frumenti, sibi omnia subiugantis.* Quid est enim erogatione sui frumenti sibi omnia subiugare, nisi triticeâ victimâ de hominibus triumphare; o bene nuncupatam ab hostibus domitis Hostiam! o semper victricem victimam! *Nôn hostis, at Hostia vincit.*



HVMANA

HVMANA PROFANA.

EMBLEMA XV.

THESPIENSIS ATHLETA, ANTE PVGNAM, AMORI SACRIFICANS.



Auant le combat il s'anime,
Offrant a l'amour sa victime.
15

VN de cupidineis athleta aduoluitur aris?
Imbellisne regit bella cruenta puer?
Bellorum Bellona faces accendit, & armis
Præsidet, at strages pupulus odit Amor.

Bellum est Martis opus, Martem bellator adoret,
Hunc meritò, in pugnæ limine, sacra decent.
Quid iuuat Athletas tenero succumbere Amori?
Mollis molle colat numen Amoris amans.
Erro, suos habet athletas; sua castra Cupido;
Prælia miscet amor, pugnat & omnis amans.
Certamen si firmet amor, victoria certa est;
Ampla trophæorum crescit amore seges.
Quem palmæ non vrget amor; sternetur ab hoste,
Dulce decorumque est laudis amore mori.
Pugnam igitur moderatur amor, sine numine cuius
Visum est Thespiadis prælium inire nefas.

APODOSIS.

Ante crucis durum certamen Christus amori
Immolat, ipse simul victima; mysta, sacrum.
Victima victrici dextrâ victoris amoris
Corruit, & dulcis nempe tyrannus amor.
Est dolor, est & amor Dominum qui mactat ad aras,
Sacrum orditur amor, prôsequiturque dolor.
Sanguineæ pugnæ ni prælusisset amoris
Hostia, non adeo laurea certa foret.

FONS EMBLEMATIS.

VOlaterranus lib. 32. Philologiæ c. 5. hæc refert ex Athenæo: *Thespienses Erotidia celebrabant, sicuti Olympia Lacedemonij, & ante pugnam Amori sacrificabant, ac si in amore certantium, & certâ amicitiâ, victoria consisteret.* Cretenses in præliis optimos, ac pulcherrimos amore deuinctos secernebant, ac per eos annua sacra fiebant. Apud Athenienses sacra cohors appellata ex amatis & amantibus consistebat, in quâ summa erat fiducia, vt tradit Alexius; quasi armis etiam ipse amor præsideret.

INTERPRETATIO.

1. NOn possum non admirari Thespiensium Athletarum morem, vt in arenam descensuri, Amori potius, quàm alteri numini bellorum præsidi thus adolerent, & hostias immolarent: Prudentius enim agere viderentur, si Bellonæ, vel Marti armorum numinibus, iuxta cæterarum gentium ritum, ante certamen litarent. Quid enim imbelli puero cum armis, & gladiis? Quid amori, cum furore bellico; quid aureis cupidinis sagittis, cum ferreis hastis & iaculis? quid demum amoris blanditiis, cum cædibus affine est? Nihilominus re maturius expensâ, Thespienses hac in parte cæteris gentibus sapientiores existimo, quod amoris victimâ pugnæ cruentæ præluderent, & Cupidini potius quàm Marti sacrificarent: Amor n. reliquos affectus suo motu versat & rapit, vt primum mobile cœlos inferiores, & ab eo tum audacia in periculis, tum fortitudo in aduersis, tum furor Martius in bellis, tum spes victoriæ in cõflictu, cæteraque id genus tanquam à proprio fonte dimanant. Quis porro, sine animi alacritate, sine martiali feruore, sine spe victoriæ manus cum hoste conserat? Quis in acie miles animosè decertet, nisi vincendi libidine, vel amore gloriæ, vel spoliorum cupidine succensus? Neque vero adeo à Castris, & militiæ laboribus abhorret amor, vt plerique sibi fingunt; quin potius Ouidio teste l. 2. de arte amandi:

Militiæ species amor est, discedite segnes;
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox & hyems, longæque viæ, sæuique labores,
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.

Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum,
Frigidus in nudâ sæpe iacebis humo.

Idemque l. 3. Amorum.

Quis nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis
Et denso mixtas perferet imbre niues?

Quæ omnia de honesto amore dicta volumus. Amor igitur iure armorum præses censeri potest, cui proinde meritò litari oporteat, in certaminis limine, ab iis quos victoriæ spes animat, & gloriæ cupido vehementius inflammat; his etenim indubitata videtur victoria qui sub amoris vexillo stipendia merentur; quoniam authore Virgilio

Omnia vincit amor.

2. Solemnem hunc Thespiensium morem Christus Dominus sequutus est; siquidem arduum & difficile cruentæ Passionis aggressurus certamen, quo, vt loquitur Apostolus 2. Coloss. 2. *Expolians Principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso,* Crucisque lanceâ cui ipsemet affixus dæmonem erat transfixurus, in Caluariæ campo dimicaturus; quasi suorum oblitus attributorum, ingenitæque virtutis, ac generositatis immemor, soli amori incruentam proprij Corporis Hostiam immolauit; vt & salutis nostræ, & propriæ gloriæ amore succensus alacriter hostile Iudæorum penetraret agmen, crucem fortiter ferret, cruciatus vinceret, Tartareas potestates triumpharet, demum spoliis onustus, ac victoriis inclytus suo sepeliretur triumpho. Quippe vt cum magno Basilio loquar, hom. 22. *Diabolus in eo crucifixus est, quem se crucifixurum, & in eo mortuus, quem morte se extincturum sperauerat*: & *Claui Christi*, inquit S. Leo ser. 10. de Passione, *perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum.* Itaque cum po-

tentiſſimo inuictoque hactenus hoſte pugnaturus, cruento conflictui, incruentâ prælufit amoris hoſtiâ, ex quâ nouam animi fortitudinem, & ſpiritalem alacritatem in ipsâ acie mutuaretur.

3. Nimirum bellatrix Euchariſtia Chriſtianorum præliis aduerſus dæmones initis præſidet, pugnantes roborat, trepidantes firmat, nobileſque generoſitatis aculeos infigit. Eam ob rem à d. p. Auguſtino *annona præliantium* emphaticè nuncupatur to. 8. in Pſ. 143. v. 3. *Qui hanc annonam*, inquit, *dedit pugnanti, quid ſeruat vincenti? ego ſum*, inquit, *panis viuus qui de cœlo deſcendi. Hæc eſt annona præliantium de horreis inuecta Dominicis.* Cur autem annona præliantium dicta eſt? niſi quia præliantes ſub Chriſto milites, in acie non ſolùm inuictos, ſed & inuincibiles facit. Hinc non abſque myſterio Iſaias de Euchariſtico conuiuio Propheticè loquens, illius apparatum magnificum non Deo vt pacis principi, ſed vt Domino exercituum ſignanter attribuit: Iſay. 25. 6. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.* Quorſum iſtud, niſi vt nobis inſinuet Euchariſtiam Chriſtianorum præſidere certaminibus, in eâque Chriſtum ſeſe non pacis principem, ſed armorum, dominumque exercituum oſtentare; quaſi hac bellatrice amoris victimâ, conflictum auſpicetur, hoſtes fundat, victoriam referat, & triumphum? Propterea idem Propheta c. 30. 32. adiecit. *In bellis præcipuis expugnabit eos*; vel vt ad rem præſentem opportunius ex Hebræo legit Forerius: *in ſacrificiis expugnabit eos*; quoniam Euchariſtiæ crucisque duplici ſacrificio, de potentiſſimis hoſtibus glorioſè triumphauit. Cur autem, niſi quia in vtroque ſacrificio Amori immolauit? cuius

virtuti nihil omnino resistere potest; cuius ardori nihil arduum occurrit; quòd, teste Augustino ser. 9. de Verbis Domini; *omnia sæua prorsus facilia & prope nulla efficiat.* Et tract. 48. in Ioan. *Non recusatur labor, vbi adest amor: quoniam qui amat, non laborat. Omnis labor non amantibus grauis est, amantibus leuis. Si tot labores cum auaris portat cupiditas, nobiscum Charitas non portat?* Meritò igitur in monte Sion amori litauit Dominus, vt amor feruidus labores imminueret, cruciatus mitigaret, crucis pondus alleuaret, pugnantem sese corroboraret, victorem denique coronaret. Nos quoque quoties Dæmonis, mundi, carnisue tentationibus vehementius oppugnamur, Redemptorem æmulabundi, Eucharisticâ victimâ, pugnam auspicemur, vt triumphalis amoris victimæ virtute victores, amori diuino trophæa nostra consecremus. Nullus enim in acie succumbit, qui Domini sequutus exemplum. *Pugnæ preludit amoris victimâ.*



EMBLEMA XVI.

SCELETVS AEGYPTIORVM MENSIS INFERRI SOLITVS.



Nil epulis cum morte, fouent conuiuia vitam:
Quid facit has inter mortis imago dapes?
Aegypti morem agnosco, sceletique superbis
Illati mensis triste ministerium.

Exequiis epulas affines, pocula bustis,
Contiguosque thoris indicat esse rogos.
Lethi epulare memor, nam sæpe paropside fertur
Parca sepulchrales occuluisse faces.

APODOSIS.

Mensa Sacerdotum diuinæ mortis imago est;
Nectareo tegitur passio amara cibo.
Verbi etenim gladio seiunctus corpore sanguis,
Non vitæ speciem, sed mage mortis habet.
Nos impassibiles Crucifixi passio reddit,
Vitam immortalem mortis imago parit.
Conuiuit Domino, cui mors est mente reposta:
Viuere vis? mortis numinis esto memor.

FONS EMBLEMATIS.

CIrcumferebatur apud Aegyptios, inter pocula, Sceletus, hoc est, corporis osseâ duntaxat compage extantis effigies, in memoriam Manerotis, Isidis, vt aiunt, alumni, quem annis innocentibus immaturâ morte fata præripuerunt. Ita Herodotus l. II. Petronius in satyrico meminit huius moris, versusque adfert in hoc spectaculo cantari solitos:

Eheu nos miseros! quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos aufferet orcus.
Ergo viuamus, dum licet esse bene.

Quibus accinunt illi epulones apud Isaiam c. 22. 13. *Comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* dementes qui de mortis appropinquatione rectè sentientes, circa præparationem ad mortem adeo turpiter errarent, verè non cras morituri, sed potius, ob istam in re mortis hæresim, hodie mortui, vinoque sepulti.

INTERPRETATIO.

1. NIhil hoc ſapienti Aegyptiorum more laudabilius, quem ſequutus eſt Chriſtus mortalium ſapientiſſimus, dum amariſſimæ mortis ſuæ memoriam, quaſi quemdam Sceletum, in Euchariſticam menſam intulit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem; quotieſcumque enim*, ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Vnde infero ſtrictiſſimam conuiuium inter & mortem intercedere affinitatem, & analogiam; aliàs incarnata ſapientia nuſquam Euchariſticum epulum, in ſuæ mortis recordationem, inſtituiſſet. Quamquam enim in Sacramentorum inſtitutione quælibet ſigna etiam à re ſignificatâ prorſus aliena aſſumere potuerit; quia tamen omnia ſuauiter diſponere aſſolet, ſigna ſemper rebus ſignificatis ſummè conſentanea ſelegit, quò facilius in earum notitiam, ex Symbolorum intuitu, duceremur. Hinc baptiſma cum interiori mentis ablutione, confirmationis vnctio, cum interno robore, panis & vini ſpecies, cum ſpiritali animæ refectione, cætera denique Sacramenta cum rebus quas denotant ſingularem habent analogiam; vt propterea audacter ſcripſerit S. Auguſtinus ep. 23. ad Bonifacium: *Si Sacramenta quamdam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent.* At Euchariſticum epulum, in Ieſuanæ mortis Sacramentum, diuinitus inſtitutum eſt, ac proinde ſpecialem habet cum morte ſimilitudinem.

2. Re vera penitius epuli naturam introſpicienti mihi, omnibus ſui partibus mortem ipſam re-

dolere viſum eſt; nec enim fit panis ex tritico, niſi prius moriatur granum, quod viuebat in culmo: vt fiat vinum ex botro, moritur acinus, quem vitis animabat; vt inſtruantur fercula, variæ animantium ſpecies, aues, piſces & feræ perimuntur, quarum cadauera nonnunquam ſanie fluida, auidis conuiuis apponuntur, adeo vt quis aptius æquiuſque epulum nuncupare poſſit commortalitatem, quàm conuiuium, vbi tot innocentes vitæ palmari ventriculo in dies immolantur; vt idcirco iure Seneca mortis accelerationem potiſſimum conuiuiis, tot cæſarum animantium cadaueribus inſtructis, adſcribat, his verbis: *Quidquid auium volitat, quidquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus; quære nunc cur ſubitò moriamur, quia nempe mortibus viuimus.* Iſtudne eſt conuiuari & conuiuere? an potius tot cæſis animantibus commori, quorum mortibus non tam viuimus, quàm morimur. Equidem nihil opus eſt Ægyptiorum Sceleto ad mortis memoriam conuiuis refricandam, cum tot ſint in menſâ mortis ſymbola, quot fercula, totque ſceleti inter dapes circumferantur, quot auium ferarumque cadauera apponuntur. Eſt & alia ratio cur epulum idoneum videatur mortis Symbolum, quod nuſquam menſæ ſoleamus accumbere, niſi iam aliquâ noſtri parte mortui: Nunquid enim ea ſubſtantiæ pars emortua cenſenda eſt, quæ cùm prius animata viuenſque exiſteret, calore natiuo ſenſim aſſumpta eſt? omnino. At epulæ in hunc finem potiſſimum inſtitutæ ſunt, vt radicalis humidi diſpendia reſarcirent, depaſtamque corporis portionem cum quodam fœnore reſtituerent. Ex parte igitur mortui epulamur, quorum pars prius animata, natiui

caloris actione, interiit. Huc accedit quod facilis ſit ab epulo ad tumulum tranſitus : epulantes enim filij Iob in domo fratris primogeniti, illius repentino caſu obruuntur. Et multi alij inter epulas interierunt : adeo verum eſt illud Ambroſij l. de Elia & ieiunio c. 14. *Rogas ad iucunditatem? cogis ad mortem; inuitas ad prandium? efferre vis ad ſepulchrum; cibos promittis? tormenta irrogas; vina prætendis? venena ſuffundis.*

3. Quæ cùm ita ſint, non admirari non poſſum ſapientiam Saluatoris, dum epulum Euchariſticum tam idoneum ſuæ mortis Symbolum elegit: qua in re idem præſtitit quod olim Creator in paradiſo terreſtri, qui cum homini de ſuauioribus huius horti fructibus opiparum inſtruxiſſet epulum, tot inter magnifica fercula Sceletum circumtulit, mortiſque terrorem his verbis incuſſit: Gen. 2. 17. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, vt mortis memoria originalem innocentiam, eiuſque appendicem immortalitatem conſeruaret. Ita Chriſtus ſuis conuiuis mortis ſuæ memoriam, vt beatæ immortalitatis obſtetricem maximè commendauit, vt dum bene mori, ipſius mortem meditando diſcerent, per mortis memoriam ſibi vitam parerent immortalem. Quiſquis igitur ad immortalitatem aſſpiras, ſacræ menſæ accumbens. *Lethi epulare memor.*

EMBLEMA XVII.

VIR MACEDO OLIM PRIVS APRICIDA, QVAM CONVIVA.



Defaicts ce monſtre redoutable,
Auant que de t'assoir a table.

Difficilis ſpumantis apri venatio, qualem
Nutrit in vmbroſis Attica terra iugis.
Lex tamen à Græcis longos ſeruata per annos,
Præcipit hanc iaculis exagitare feram.

Nec cuiquam licuit solemni accumbere mensæ,
Ni prius vnum extra rete necasset aprum.
Condimentum epuli labor arduus, empta cruore
Dulcius esca sapit: Cæde, deinde sede.

APODOSIS.

Nulli fas Domini *regali accumbere mensæ,*
Ni prius immanem vi superarit aprum.
Hic aper aut scelus, aut vitium est, quem gratia victrix,
Contritique potest cædere cordis amor.
Cœlesti dignos epulo victoria reddit:
Nec nisi victores regia mensa capit.
Quisquis in hoc epulo, superûm cum rege, sedere
Ambis, aprum sceleris cœde, deinde sede,

FONS EMBLEMATIS.

REfert Athenæus l. *1.* dipnosophistarum c. 11. Macedones in more habuisse, vt nullus discumberet inter conuiuas, nisi prius aprum extra retia interfecisset: tunc enim licebat illi in conuiuio sedere. Hanc autem feram eleganter depingit Apuleius lib. 8. de Asino aureo: Ad feruidos dissonosque canum latratus, aper immanis atque inusitatus exurgit, toris callosæ cutis obesus, pilis inhorrentibus, corio squallidus, setis insurgentibus, spinæ hispidus, dentibus attritu sonanti spumeus, oculis flammeus, aspectu minaci, impetu sæuo, feruentis oris, totus fulmineus.

INTERPRETATIO.

1. PRiscum hunc morem Catholica pro viribus obseruat Ecclesia, neminem famosi criminis, & maximè vulgatæ libidinis reum diuinæ mensæ sinens accumbere, nisi præuiæ pœnitentiæ

venabulo aprum illum animæ vineam deuaſtantem transfixerit ; remittit publicos peccatores, admittit pœnitentes infernalis apri ſpoliis onuſtos. Et meritò, quippe ſi ab idolorum ſacrificiis, eorumque participatione ſcortatores olim arcebantur, vt teſtatur Libanius to. 2. ora- 35. his verbis: *Non licet iis qui ſcortati fuerint participare ſacris:* Multo minus licebit ſacrilegiis Sacerdotibus, recentis adhuc luxuriæ mephitim exhalantibus, Sacroſanctis veri numinis participare myſteriis, ne fulgureo latentis maieſtatis anhelitu perimantur. Enimuero vt venatori ſudore madido dulcius ſapiunt epulæ, ita pœnitenti lacrymis perfuſo Euchariſticum conuiuium ; quaſi diuturnus labor, quo acriter aduerſus vitia prauoſque mores depugnauit, eſuriem acuerit, diuinæque carnis ſaporem adauxerit ; quemadmodum & peccatrix anima, quam Chriſtus diu venatus, tandem victricis gratiæ iaculo confixit, ſuauior ipſimet eſca eſt, & lautior Angelorum cibus. Quis enim ineffabiles delicias pro dignitate explicet, quibus perfunditur pœnitens, dum fletu quaſi ſudore diffluus, occiſo illius vitij, quo infeſtabatur, apro, ad cœleſtes admittitur epulas, præ diuturnâ eſurie panis Angelici auidiſſimus, pretioſique Calicis ſitientiſſimus? Quam merentiori iure, deguſtatis huius epuli ferculis exclamare poteſt, quam olim Artaxerxes, in fugâ hordeaceo pane, & aridis ficis paſtus : Dij boni, cuiuſmodi voluptatis hactenus inexpertus fui? Nempe ſuauius ſapere ſolent eſurienti, diuturniſque laboribus exhauſto. Proinde cibum illum eximium præuiæ contritionis pretio comparare ſtudeamus, nec accipiamus gratis, ſed acquiramus, Eſau deteſtantes ſocordiam, qui, teſte

S. Laurentio Iuſtiniano tract. de ſobrietate c. 3. *Ideo primatus amiſit benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm acquirere.* Apoſtoli ſiquidem ſententia eſt: *qui non vult operari, non manducet:* ex qua S. Auguſtinus to. 3. l. de opere Monachorum c. 1. infert, *Nos abſque labore, periculosè à Domino alimenta ſumere.* Vnde eiuſdem Apoſtoli ſequentes exemplum, quem gratis panem ſuum manducaſſe nuſquam contigit, panem ſuperſubſtantialem gratis accipere caueamus: ne eumdem periculosè comedamus. *Neque enim otiosè dictum eſt homini*, ait opportunè S. Ambr. in Lucam, *quod nulli aliorum animantium: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo; his enim animalibus quæ naturâ irrationabilia ſunt, iuſſu Dei, terra pabulum miniſtrare præcepta eſt: ſoli autem homini, vt rationabile quod accepit exerceat, vitæ curſus in labore præſcribitur.* Vt inde colligamus diuinum panem in noſtri vultus ſudore comedendum eſſe, nullique peccatori Euchariſticis epulis accumbere licere, niſi quem arduus pœnitentiæ labor dudum exercuerit. Eapropter Euchariſtia, ſingulari quadam emphaſi, ſacris in codicibus, præda nominatur, vt optimè doctiſſimus Muiſius inter recentiores aduertit, in illud Pſ. 110. *Eſcam dedit timentibus ſe.* Obſeruat enim in fonte Hebræo reperiri particulam Thereph. quæ prædam potius, quàm eſcam ſignificat, vt inde nobis inſinuetur carnem Dominicam quaſi ferinam prædam, præuio labore conſequendam eſſe, maximè verò grauioris ſceleris quaſi immanis apri Euchariſticam ſegetem vaſtantis venatione.

2. Cæterum quod ſpectat ad apri venationem, hæc ad rem noſtram, ex Geſnero in apro, obſeruaui; primùm fuſcâ & villosâ veſte vtendum eſſe,

quo myſticè innuitur ad moderandos libidinis motus aſpero corpus noſtrum macerandum eſſe cilicio, iuxta illud Dauidis: *ego autem cùm mihi molesti eſſent, induebar cilicio. Caſtitas enim*, inquit, Chryſoſtomus hom. 50. in Pſalm. *ſine comitibus ſuis, ieiunio videlicet, & temperantiâ, cito labaſcit, quod ſi his quaſi adminiculis roborata fuerit, perfacile coronabitur.* Secundum, venatorem niſi primo ictu lethale vulnus apro inflixerit, de vita periclitari, niſi forte aut arborem conſcendat, aut humiliori loco ſoli planitiem amplexus, totis membris ſe premat; quod fera nequeat recuruis dentibus niſi ſublimem & elatum attingere. Quo tacitè admonemur nos de ſalute periclitari, niſi impuræ ſuggeſtioni dæmonis ſtatim initio totis viribus obluctemur; quod ex eâ oriatur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine obduratio, ex obduratione deſperatio, ex deſperatione peccati deffenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Si tamen obſcœnæ tentationi imbecillis anima ſuccubuit, duplex adhuc ei ſuppetit remedium, vel vt crucis arborem illico conſcendat, carnem in deliciis enutritam eidem affigendo, timoris & pœnitentiæ clauis; vel vt coram Deo exinanita ſuam infirmitatem humiliter agnoſcat, & priorem ſuperbiam, luxuriæ admiſſæ flagello, caſtigatam deteſtetur. Impuritas enim faſtus flagellum eſt, ex mente S. P. Auguſtini ſer. 57. ſuper Mathæum: *Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedire cadere, vt in eo ipſo in quo ſe extollunt, humilientur. Quid enim prodeſt cui eſt continentia, ſi dominetur ſuperbia?* Sanè vt in humi proſtratos

ſtratos nihil poteſt libidinis aper, ita in elatos nimioque faſtu turgidos acriter inſurgit, quos tandiu vexat, & exagitat; donec innatæ imbecillitatis memores, ſub potenti Dei manu humilientur, gratiæque ſubſidium ſibi neceſſarium implorent. Veriſſimè ſiquidem dixit Caſſianus in collatione Abbatis Moyſis, *Tandiu ſpiritu fornicationis animam neceſſe eſſe impugnari, donec ſe bellum gerere ſupra vires agnoſcat, nec labore vel ſtudio propriam victoriam obtinere ſe poſſe, niſi Dei fuerit auxilio & protectione ſuffulta.*

3. Demum vt apud Macedonas, nulli in conuiuio licebat accumbere, niſi prius aprum extra retia percuſſiſſet; ita nunc nulli Chriſtiano in ſacrâ menſâ diſcumbere conceditur, niſi prius mortalis ſceleris, & maximè libidinis aprum pœnitentiæ iaculo transfixerit; cùm omnes impudicos à virginali ſuo epulo virgo Ieſus longè arceat. *Sciendum enim eſt*, ait eleganter B. Algerus l. 1. de Sacramento altaris c. 22. *quia agnum Dei ſiue maculâ, qui Virginis eſt Filius luxurioſi, ſumunt periculoſius, quia cùm in Sacramento Chriſto vniri debeamus conformitate Paſsionis & munditiæ, nihil ſic aduerſatur paſſioni crucis, vt voluptas, nihil ſic munditiæ, vt fœditas, nihil ſic eius vnioni, vt fornicariæ ſocietatis vnitas.* Igitur ô Chriſtiane, ſi forte libidinis apro infeſtaris, illum prius percutere ſatage, quàm ad Virginalem altaris menſam præſumas accedere. *Cæde, deinde ſede.*

EMBLEMA XVIII.

AGNVS TANAGRÆORVM VRBIS EXCVBITOR, ET CVSTOS CREDITVS.



QVid iuuenis Veneris domitor, vultuque decorus
Agnum, vrbis circum mœnia, gestat ouans?
Debilis hic nimium custos, speculator inanis;
Belliger imbellem despicit hostis ouem.

Fallor, is armipotens Tanagræos proteget agnus:
Suadet id orta graui religione fides.

APODOSIS.

Excubat ante fores animæ Eucharisticus Agnus,
His munire sinum conuenit excubiis.
Christicolæ veteres hunc circumferre solebant,
Et vallare sacro corpore cordis opes.
Dum licuit, nares, oculos, auresque, suasque
Illius attactu sanctificare manus.
Dira tyrannorum rabies dum sæuiit, Agnus
Iste Leoninis restitit impetibus.
Clara tulit claros, Agno custode, triumphos:
Virgo triumphauit virgine tecta Deo.
Tutus ab hoste manet, cui belliger excubat Agnus:
Numine nemo potest excubitore capi.

FONS EMBLEMATIS.

TAnagræi eum qui cæteris puberibus formâ præstare videtur, festo die Mercurij, eligunt, vt agnum humeris portans muros vrbis lustret. Hoc enim existimant ad firmitatem ciuitatis attinere, & simili ratione à Mercurio vsurpatum. Ita Pausanias in Bœoticis pagina mihi. 294.

INTERPRETATIO.

1. NEmini dubium est lapsum hominem, quasi ruinosam vrbem hostium insidiis & intestinis seditionibus obnoxiam, ac captiuitatis periculo proximam, diuinâ iugiter indigere protectione, Angelorum excubiis, gratiarum præsidio, valloque Sacramentorum, ne dæmon iterum per laceri muri hiatum irrumpens omnia deuastet. Quæ porro custodia firmior quàm ipse Agnus

Euchariſticus, quo carnis ſopitur rebellio, quo mundus cum ſuis terroribus, erroribus & amoribus vincitur, quo diabolus irruptionem moliens longius arcetur? qui quidem vbi cordis arcem iſtius agni munitam excubiis ſenſerit, & os noſtrum quaſi ciuitatis ianuam diuino cruore illitum & intinctum perſpexerit, de illius expugnatione deſperans protinus obſidionem ſoluit. Cuius rei typum in agno Paſchali licet inſpicere, cuius ſanguinis illitus Angelum exterminatorem procul abegit, vt eleganter proſequutus eſt Chryſoſtomus hom. ad Neophytos tom. 5. *Vis*, inquit, *huius Sanguinis audire virtutem? redeamus ad eius exemplum, & priorem typum recordemur. In Aegypto, nocte mediâ, Aegyptiis Deus plagam decimam minabatur, vt eorum primogenita deperirent, quia primogenitum eius populum detinebant. Sed ne amata plebs Iudæorum vnà cum illis periclitaretur, quia vnus locus continebat vniuerſos, remedium diſcretionis inuentum eſt, proinde exemplum mirabile, vt diſcas in veritate virtutem, ira diuinæ indignationis ſperabatur, & mortifer domus ſingulas circuibat. Quid igitur Moſes? occidite*, inquit, *agnum anniculum, & ſanguine eius linite ianuas. Quid agis Moſes? ſanguis ouis rationabilem hominem liberare conſueuit? valde*, inquit, *non eo quod ſanguis eſt, ſed quia* Dominici *ſanguinis per eum demonſtratur exemplum. Nam ſicut regnantium ſtatuæ quæ ſine ratione ſunt & ſermone, nonnunquam ad ſe confugientibus hominibus animâ atque ratione decoratis ſubuenire conſueuerunt, non quia ſunt ære confectæ, ſed quia retinent imaginem principalem; ita & ſanguis ille qui irrationalis fuit, animos habentes homines liberauit, non quia ſanguis fuit, ſed quia huius ſanguinis oſtendebat aduentum. Et tunc Angelus ille vaſtator cum linitos poſtes atque*

aditus peruideret, transiccit gressus, & non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium in ore lucentem sanguinem veritatis Christi, templi postibus dedicatum, multò magis se subtrahit. Si enim Angelus cessit exemplo, quantò magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Hactenus aureum os planè aureè. Nempe pro foribus Hebræorum Paschalis agnus excubans in sui cruoris illitu, vrbes eorum à vastatoris Angeli Romphæâ exemit, quòd Agnum immaculatum Christum præfiguraret: quantò magis igitur ille idem agnus viuus & gloriosus pro foribus animarum nostrarum, non vnicâ duntaxat sui parte, videlicet sanguine, sed & corpore & animâ, & totâ diuinitate excubias noctu diuque agens, tartareas Potestates à cordis arce poterit arcere, vt iis non solum inexpugnabilis, verùm & inaccessibilis videatur.

2. Non ignoro quod Nicocli Regi scribit Isocrates, nullum tutius esse quam virtutum satellitium, illudque Plinij, in suo Panegyrico. *Fidelissimam Principis custodiam esse ipsius innocentiam, arcem inaccessam, inexpugnabile munimentum, munimento non egere: frustra se terrore succingere, qui septus charitate non fuerit.* Verùm nisi virtutum nostrarum satellitio, & innocentiæ custodiæ præsideat Agnus Eucharisticus, tandem continuis dæmonis incursibus fatigatæ quælibet virtutes nutabunt primùm, mox leuiter quasi per exigua interualla nictabunt, & obdormiscent, denique clausis graui sceleris somno luminibus omnino sopientur, vt in cordis arcem omni custodiâ destitutam aduersarius facile irrumpat. Procurent itaque sibi reges exquisitam

corporis ſui cuſtodiam, fidiſſimoſque ac fortiſſimos σωματοφύλακας grandi mercede conducant: ego verò non alium aduerſus inferorum caſtra cuſtodem ambio, quàm Agnum inuictiſſimum, quo propugnante nulla me dæmonis, mundi, carniſve tentatio queat expugnare, de quo idem merentiori iure dici poſſit, quod olim de Cæſare ſcripſit Seneca l. de breuitate vitæ, *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Neque tamen quia Chriſtus nobis inuigilat, idcirco ſtertendum eſt, quin imò paſſim in Euangelio vigilare & orare nos admonet, ne tentationi ſuccumbamus, quòd ſpiritus quidem promptus ſit, caro autem infirma. Quid enim æquius, quàm vt miles propriæ ſaluti inuigilet, qui ſuum Imperatorem pro ſe iugiter excubantem videt? Eapropter nos velut inermes, inter inimicas acies dux noſter conſtituit, vt earum metu, ſublatâ reſiſtendi fiduciâ, aduerſus torporem & ſomnum depugnemus. Sicut olim Paulum Aemilium feciſſe memini, qui in bello contra Perſem ſuſcepto, prudenter inſtituit, vt milites ſine armis vigilias agerent, vt præ inſtantis inimici formidine, ademptâ reluctandi fiduciâ, contra ſomnum dimicarent. Excubat igitur Agnus Euchariſticus, vt nos excubias agere doceat, inuigilat nobis vt nos ipſi vigilemus; ne criminis aliquando graui ſopore obruti, à peruigili dæmone incauti opprimamur. Bellè S. Bernardus ſer. 11. in Pſ. 90. *Quid nos ſoli nobis non adſumus? quid ſoli negligimus nos ipſos? an ideo diſſimulandum nobis, quia vndique ſubuenitur nobis? Imò verò propterea ſtudioſius vigilandum: Neque enim tam magna pro nobis in cœlo*

pariter & in terrâ sollicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur; non tam multiplex nobis custodia, nisi ob multiplices insidias poneretur.

3. Felices igitur, ac circumquaque tutissimi, quibus diuinus ille Agnus iugiter excubat! quâ enim ratione improuisos occuparet inimicus, quibus peruigil arcani numinis oculus inuigilat? quamobrem Christiani veteres cùm agnum Eucharisticum à Sacerdote porrectum siue manibus lotis, siue Dominicalibus suis reuerenter acciperent, eumdem fronti, oculis, auribus, naribus, labiis, & pectori admouere consueuerant; vt sacri Corporis contactu, quasi firmissimâ custodiâ sese præmunirent aduersus hostium incursus. Verum abrogatâ hac consuetudine, ob maiorem sanctissimi Sacramenti reuerentiam, cùm iam à Sacerdotibus mysticus ille agnus non amplius in manus fidelium, vt antea, sed in os immitteretur; S. Cyrillus Hierosol. Catechesi 5. mystagogicâ communicantes hortatur, vt recentes à communione digito tangant labia contactu Corporis & Sanguinis Domini sanctificata, ac deinde eodem digito, quasi transfusâ prioris contactus virtute, oculos, frontem, labia, pectus aliaque membra sanctificent; quod nihil aliud est, meo quidem iudicio, quàm agnum circumferre ad firmiorem trepidantis animæ custodiam. Ad rem facit quod in vitâ sanctæ Claræ narratur, nempe Saracenis Monasterium, cui s. virgo præerat, inuadere conantibus, ægra se ad portam adferri voluit, vnáque vas in quo sanctissimum Sacramentum erat inclusum, ibique orauit in hunc modum: Ne tradas, Domine, bestiis ani-

mas confitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti. In cuius oratione ea vox audita est, Ego vos semper custodiam. Saraceni autem partim se fugæ mandarunt, partim qui murum ascenderant, capti oculis præcipites ceciderunt. Vsque adeo verum est, nullam animam posse ab hoste intercipi huius agni custodiâ præmunitam.

Felix quam victima vallat.



EMBLEMA XIX.

EXERCITVS OLIM OVE CANDIDA LVSTRARI SOLITVS.



Les trouppes nettes de leur crime,
Triomphent par cette victime.

19

Aspice vt instructas ter circum ducta phalanges,
Purgatrix scelerum candida lustret ouis.
Cæsa deinde cadat fumantes Martis ad aras,
Placeturque pio sanguine Bellipotens.

Nempe olim pugnare nefas, nisi victima mitis
Immiti caderet sacrificata Deo.

APODOSIS.

Armorum Deus ambit ouem, desiderat agnum,
Ordiri à sacris prælia iusta iubet.
Christicolas acies innoxia victima lustrat,
Carne suâ saturos roborat illa duces.
Hæreticos domat imparibus Montfortius armis;
Certa, Dei armatum corpore palma manet.
Sacra triumphales parit Eucharistia lauros;
Hostia si pugnet, vincit ouatque fides.

FONS EMBLEMATIS.

LVstrari exercitum nisi oue, & tauris qui puri essent, non erat fas; qui postquam, ter circum instructas acies ducti erant, præcedente pompâ, & gressu composito Marti immolabantur. Ita Alexander ab Alexand. l. 5. cap. 27. *Si exercitus*, inquit, *esset lustrandus, is instructus oue & tauro in campo Martio lustrabatur, armatosque milites pedites, equitesque lauro coronatos rem diuinam, & lustrale sacrificium facere oportebat sub diuo. In quo id magnopere seruatur, vt qui hostias ducunt, eligantur bonis nominibus; inde certa omina, & felices successus toto exercitui captantes.*

INTERPRETATIO.

I. LVstrare interdum idem esse ac expiare vulgo docent Grammatici. Hinc illud Virgilij l. 6. Aeneidos:

Idem ter socios purâ circumtulit vndâ,
Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ
Lustrauitque viros.

Ideſt, expiauit ſocios Miſeni funere pollutos. Simile quid Moyſem egiſſe legimus Exod. 24. in ſanciendo Iſraelitici populi cum Deo fœdere: tulit enim dimidiam partem ſanguinis holocauſtorum, & miſit in crateras, partem autem reſiduam fudit ſuper altare, tanquam diuinus fecialis ad percutiendum fœdus cœlitus deſtinatus. Deinde verò ſanguinem ipſis crateribus contentum, reſperſit in populum, vtique aquâ permixtum, tum vt liquidior & ſparſilis fieret, & ad numeroſæ plebis luſtrationem idoneus, tum vt viuacius Calicis Euchariſtici liquorem exprimeret; cui modicum aquæ, ex Eccleſiæ præcepto, permiſcetur. Quem quidem luſtrationis ritum fuſius explicans Apoſtolus ad Hebr. 9. 19. ait: *Accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cum aquâ, & lanâ coccineâ & hyſſopo, ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit.* Non vſus ad id felicis oliuæ ramo, vt Ethnici veteres, ſed hyſſopi faſciculo, lanâque purpureâ fluidi ſanguinis bibulâ, quæ Chriſti carnem innocentiæ candore niueam, ſed demum proprio cruore impurpuratam denotaret. Ac ſi populus Iſraël cum Domino fœdus iciens, moxque contra Chananæos dimicaturus, a ſcelerum maculis expiari, luſtrarique non potuerit, niſi iis quæ ſacram Euchariſtiam, pretioſamque Domini carnem & ſanguinem adumbrarent.

2. Enimverò quemadmodum olim inſtructæ acies, ouis candidæ ter circumductæ à Sacerdotibus, Martique dehinc immolatæ cruore in ipſos milites reſperſo luſtrabantur, felicem ſibi pugnæ futuræ ſpondentes exitum, ſi ab impolluto Sacerdote luſtralis Hoſtia mactaretur: ita apud Chriſtianos principes vſus inualuit, vt exercitus ſuos non prius in certaminis campum aduerſus infideles

producerent, quam oblato Missæ Sacrificio, milites iam exomologesi lustratos, sacrâ synaxi, & agni Eucharistici sanguine roborassent. Ita planè se gessit Romani dux exercitus Mascezil manus cum tyranno Gildone conserturus, vti refert Paulus Orosius l. 1. c. 36. Ipsum à B. Ambrosio in somnis admonitum, post noctem orationibus, hymnisque peruigilem, *Ab ipsis cælestium Sacramentorum mysteriis in hostem circumfusum processisse, ac signiferum accepto vulnere manu debilem coegisse pronum inclinare vexillum, quo viso, reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum existimantes, certatim sese ad Mascezilem signis tradidere conuersis.* Quam victoriam Claudianus etsi ethnicus non profanis suis numinibus, sed Deo singulari, cuius corpore & sanguine Mascezil & exercitus eius prius expiatus fuerat, adscribit, ita concinens:

Quo, precor, hæc effecta Deo? robusta vetusque
Tempore tam paruo potuit dementia vinci.

Mascezilis pium exemplum sequutus Ramirus rex Oueti, cum sui primo prælio victi Saracenis terga præbuissent, die sequenti, à S. Iacobo monitus vt exercitum Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis lustratum in hostes produceret; præcedente eodem Apostolo vexillifero, septuaginta barbarorum millia cæcidit, vt legitur in Chron. Hispan: l. 13. c. 52. & ex Tudensi refert Baron. ad annum Christi 844. Id attendens S. Henricus primus Imperator, Sacratissima Eucharistiâ, ante prælium communire solebat exercitum, expiatione prius factâ delictorum, & ita lustrato oue candidâ exercitu victoriam semper retulit, teste Bonfinio de rebus Hungaricis decad. 2. l. 1. Quid hîc memorem inuictissimi Herois Simonis Montifortij Comitis victorias de

numerosis Albiensium hæreticorum copiis, paruâ manu militum sacrâ communione præmunitorum reportatas? adeo vt octingenti duntaxat equites, & mille pedites Catholici, de centum mille hæreticis Eucharistiæ virtute triumpharent. Nimirum hæc mystica ouis ouationem parit, & victrix victima victores efficit sui participes.

3. At, inquies, quid Agno huic innocenti, cum bello, cum exercitu, cum hostium strage? Imò vero magna illi cum armis connexio, quippe qui hactenus de hostilibus inferni copiis suo cruore triumphum retulerit, vnde & Christianis aciebus non mediocres in pugnæ limine, generositatis infigit aculeos, tacitoque inspirationum balatu potentius, quam tubæ sonitu, infidelium turmas exterret, quod olim in agno Paschali præfiguratum fuisse memini, quem à die decima primi mensis, ad decimam quartam Hebræi in Ægypto commorantes idcirco seruare iussi sunt, vt frequentibus balatibus, quasi quibusdam tubæ clangoribus, eosdem ad mox ineundum cum Ægyptiis certamen excitaret. Sic enim sentit Rupertus l. 2. Comment. in Exod. c. 3. expendens illa verba Exodi c. 12. *Et seruabitis eum vsque ad 14. diem mensis huius. Cur*, inquit, *vt quid tandiu ante tolletis, tanto tempore seruaturi? Videlicet vt dum ille præsto est, causa quoque eius corda vestra sollicitet, ne sitis immemores, vel imparati, quia transeundum est; dum ille tot ante diebus de profectione parandâ vos admonet: quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitu exituras castrorum acies excitet.* Vnde idem Doctor rursus enucleans hæc verba Exodi c. 12. 17. *Obseruabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terrâ Aegypti:* eximiè notat, signanter à Deo potius dictum esse: educam exercitum vestrum, quàm

populum vestrum, vt inde colligerent mirificam Agni Paschalis cum exercitu & præliis connexionem, cuius esu corroborati, non graui veterno torperent, sed potius aduersus inimicos strenuè decertarent. Sic ille l. 2. in Exod. c. 15. *Signanter dicit, Exercitum vestrum, videlicet quia non ad otia & ludicra eximus de terrâ Aegypti, de domo antiquæ seruitutis, sed ad pugnandum aduersus principes & potestates, aduersus huius mundi rectores tenebrarum harum.*

4. Nimirum velut otiosus videtur in militum pectoribus Agnus Eucharisticus, & sub ipsâ Sacramentalium specierum togâ, pacem potius spirare, quàm bellum; verùm hoc eius otium summopere negotiosum est & operosum, cuique Christiani duces tot illustres de Turcis, Saracenis, hæreticis, aliisque infidelibus victorias iure referre debeant acceptas. Idem enim in ipsâ acie & conflictu præstare mihi videtur, ac Moyses, qui cùm, Iosue aduersus Amalecitas in æquatâ acie pugnante, otiosus in monte sederet, eleuatis tamen in cœlum manibus suorum animos erigebat vt vincerent, vti legimus Exod. 17. 11. *Cúmque leuaret Moyses manus vincebat Israel.* Quam populi victoriam supplicis potius otio Prophetæ, quàm exercitus studio partam admirans Ambrosius l. 3. Offic. c. 1. eleganter ait: *Moyses cùm otiosus staret, præliabatur; nec solùm præliabatur, sed etiam de hostibus quos non contigerat, triumphabat. Adeo otiosus, vt manus eius alij sustinerent, nec minus, quàm cæteri, negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterat vincere qui dimicabat.* Simili fere ratione Agnus diuinus in piorum militum pectore conclusus, quamuis imbellis & otiosus videatur, pugnat nihilominus, & inimicas acies occultâ virtute pro-

ſternit. Vnde meritò in has voces prorumpere licet Exod, 17. n. 16. *Manus ſolij Domini contra Amalec*; Ideſt manus Ieſuanæ humanitatis, quæ diuinitatis thronus & ſolium eſt, contra hoſtes, vt legunt 70. *In manu occultâ pugnat Dominus contra Amalec*, quod ſecretá virtute Deus abſconditus de noſtris hoſtibus triumphet. Eapropter Euchariſtia panis fortium dicitur, quòd Chriſtianis militibus aduerſus infidelium acies incredibilem fortitudinem inſpiret, debiles roboret, deſides animet, nutantem denique victoriam confirmet. Cuius rei typum habemus eximium eodem lib. Exod. 16. vbi populus Iſraëliticus prius legitur manna, cæleſtique pane præmunitus, quàm ab Amalecitis ad pugnam prouocatus: vt hinc intelligeremus Chriſtianos exercitus prius manna Euchariſtico, ſacraque communione refici debere, quàm cum hoſte manus conſerere, ſic enim pugnare, triumphare eſt, quòd victrix altaris victima victores efficiat, quos carne ſua ſaginat. Adeo vera eſt Emblematis Epigraphe *Luſtratæ acies hac victimâ ouabunt.*



EMBLEMA XX.
SPONSVS IPSO NVPTIARVM DIE VELAMINE OBNVPTVS.



L'espoir d'un chaste mariage,
L'oblige a voiler son visage.

CVr caput obnubit sponsus? quia nubere gestit:
Nuptiæ, ab obnupto vertice, nomen habent.

APODOSIS.

Nube Sacramenti Christus se obnubit, amicæ
Possit vt amplexu liberiore frui.

Ipse

Ipse Deus Christi caput est, nisi nuberet illud,
Non animæ eximius nubere posset amans.
Maiestas oculorum aciem perstringeret ingens;
Gloriæ ab immisso fulgure cæca foret.
Opportuna igitur specierum candida nubes,
Quæ dat huic sponsi corpore & ore frui.

FONS EMBLEMATIS.

AB aliquibus gentibus vsurpatum est, vt vittâ purpureâ candido distinctâ, aut veste versicolori, sicut apud Latinos vsus erat, noua nupta, sponsusque amiciantur, vel caput obnubant, vt veteribus mos erat, vnde nuptiæ. Hinc apud Spartanos in more fuit, vt virgines innuptæ, & quæ nullo coniugij fœdere iunctæ essent, facie inuelatâ & apertâ, nuptæ verò nisi velatâ parte oris, & operto capite foras non prodirent. Alexander ab Alex. l. 2. Genial. dierum c. 5.

INTERPRETATIO.

1. NVptiæ à nubendo dictæ sunt, quod noua nupta dum viro traderetur, præ pudore caput obuoluere, & velaminis nube vultum obnubere soleret. Hinc S. Isidorus l. 9. Etymol. c. 8. *Nuptæ,* inquit, *dictæ, quod vultus suos velent; translatum nomen à nubibus, quibus tegitur cœlum. Vnde & nuptiæ dicuntur, quod ibi primùm nubentium capita velentur: obnubere enim cooperire est.* Christus incomparabilis fidelis animæ sponsus, vt nuptias in altari cum ea celebret, nuptiali ritu, non solum gloriosam faciem Seraphicis spiritibus adorabilem, sed & totam humanitatem libenter Sacramentalium nube specierum obnupsit, ne imbecillem mentis aciem diuinitatis suæ fulgetris & mortales oculos intole-

rabili vultus fulgore perſtringeret. Eaſdem porro rationes, quæ veteres ad caput operiendum induxere, Dominum ad velum Sacramentale ſuſcipiendum permouiſſe autumo. Duas ſolùm hîc profero quarum prima extitit pudor & verecundia virginalis. Hinc apud Danielem c. 13. legimus caſtiſſimam Suſannam in balneo pudicum corpus velo cooperuiſſe, & idcirco à flagitioſus ſenibus eius pudicitiæ inſidiantibus retegi iuſſam, vt illius aſpectu ſuam libidinem vtcunque explerent. Sic enim habet ſacer textus: *Iniqui illi iuſſerunt vt diſcooperiretur (erat enim cooperta) vt vel ſic ſatiarentur decore eius.* Simili virginei pudoris ratione permotum Saluatorem crediderim, dum ſeſe Sacramentalibus velis operuit. Pudet enim illum impudentiæ noſtræ, quoties videt ſacrilegos pudendis criminibus conſpurcatos ad ſacram ſynaxim impudenter accedere. Siquidem intolerabilis impudentiæ nemo non arguat aſſeclam, qui ſub ipſis Imperatoris oculis, Imperatrici vim inferre audeat. Quod olim Aſſuerum regem ipſi Aman his minacibus verbis exprobraſſe memini: *Etiam reginam vult opprimere in domo meâ me præſente.* Mortalium igitur impudentiſſimus ille ſit neceſſe eſt, qui recenti libidine pollutus auguſtam Verbi diuini ſponſam humanitatem fœdis audeat attrectare manibus, & execrabili ſacrilegio conſpurcare. Quod in vltimâ cœnâ impudenter executus eſt Iudas Proditor, & quotidie plerique Sacerdotes impudici perfidiæ ipſius æmuli moliuntur; vt propterea minimè mirum videri debeat, ſi præ pudore ſeſe caſtiſſimus ſponſus in Sacramento velauerit, vtpote qui de ſacrilegorum inuerecundiá planè verecundetur & erubeſcat.

2. Postremam rationem, que ad huiusce Emblematis interpretationem maximè facit, ex illo loco Genesis c.24. 65. eruo, vbi narratur Rebeccam Isaac nupturam, ad primum illius aspectum & occursum, confestim præ virginali verecundiâ pallio vultum operuisse: sic enim habetur: *Rebecca conspecto Isaac tollens citò pallium suum, operuit se.* Vbi pro Latinâ voce P*allium.* Hebræa vox Saiph significat muliebre velamen, siue lineum, siue sericum, quo mulieres Arabicæ caput & faciem solent operire; de quarum more laudabili, ita disserit Tertull. l. de velandis virginibus, easdem ad caput velandum adhortans: *Iudicabunt vos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totum tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidiam fruì lucem, potius quàm totam faciem prostituere.* Rebecca igitur Arabicarum more virginum, sponsi sui Isaac primo fruitura complexu, velo sericeo, præ pudore, faciem operuit; quasi non ei liceret nubere, nisi virginali velo prius obnuberetur. Christus itaque nuptialis huius ritus obseruator sese Sacramentali velo obnupsit animæ fideli nupturus, nec enim aliter sponsa meticulosa, in sacrâ synaxi ad illius auderet aspirare complexus & oscula; nequamprimum ad incomprehensibilem diuini vultus gloriam, noctuæ instar intenebresceret, & præ timore examinis ad tantæ maiestatis corrueret occursum. Quam quidem rationem eleganter & fusè prosequitur S. Laur. Iustinianus l. de casto connubio c. 24. his verbis: *Quis nisi suaderet Dominus, diuina ausus esset sumere Sacramenta? Moses sanctus, cùm oues pasceret in deserto, vocem Dei vocantis illum de rubo audire non potuit, nisi calceamenta, quæ in pedibus habebat, extraheret. Populus quoque Hebræo-*


rum, monti in quo Deus *loquebatur, propter fulgura & tonitrua quæ ſentiebat, appropinquare auſus non eſt.* Sed *& Elias* Propheta, *cum Deum in ſibilo auræ tenuis audiſſet, exterritus pallio ſuo vultum operuit. Vnde ergo nunc tanta eſt in Eccleſiâ Dei fiducia, vt diuina maieſtas eſſentialiter præſens ſit, & intrepido ad illam accedat animo, non ſolum iuſtus, verùm etiam peccator & injuſtus? Nam etſi ſub viſibili lateat ſpecie Verbum, & impaſſibilis ſit illius caro, certiſſimum tamen eſt quod declinat in manus hominum, & ab iis manducatur. Nam Verbi ſunt verba illa dicentis, Qui manducat meam carnem & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Hæc itaque fiducia non de meritis prouenit manducantium, ſed ex ineffabili bonitate Verbi ſic volentis. Taliter namque ſe in* Sacramento *hoc voluit exhibere hominibus, vt formâ opertus viſibili non videretur, vt à fidelibus præſens eſſe non dubitaretur, vt ſepoſito ſeruili timore, ardentius ſumeretur. Si enim qualis eſt humanis intueri voluiſſet aſpectibus, nullus eſſet qui* Dominicum *auderet manducare corpus. Prudentiſſimo igitur Dei Verbum vſum eſſe conſilio perſpicuè claret, vt ſe corporaliter daret hominibus, & tamen accidentibus velatum, quatenus ex præſentiâ noſceretur charitas, & per operimentum viſibilis formæ, humana ad ipſum accedere auderet infirmitas.* Dignum *quippe fuit, vt inſtitutio hæc* Sacramentalis *potius ad charitatis promotionem, quàm timoris ordinaretur fidelium.* Hactenus ſanctiſſimus Patriarcha.

3. Immortalis itaque ſponſus in nuptiali altaris thalamo animæ fideli copulandus, velis ſpecierum radiantem vultum obnupſit, vt illa, timore depoſito, confidentius in eius prorueret amplexus; quam proinde vti dilectiſſimam Dei abſconditi ſponſam his verbis blandiſſimè compellat S. Ber-

nardus ſer. 2. in Dominicam ſecundam poſt Epiphaniæ octauam: *Vnde tibi, ô humana anima, vnde tibi hoc? vnde tibi tam inæſtimabilis gloria, vt eius ſponſa merearis eſſe, in quem deſiderant angeli ipſi proſpicere. Vnde tibi hoc, vt ipſe ſit ſponſus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, vt ſis ſocia menſæ ſocia regni, ſocia denique thalami, vt introducat te rex in cubiculum ſuum? Iam enim deſponſata es illi, iam nuptiarum prandium celebratur, nam cœna quidem in cælo, & in æternâ aulâ paratur.* Audacter igitur in eius amplexus inuola, quippe vt tibi nuberet vltrò ſe Sacramenti velis obnupſit quo fiduciam augeret, *Vt nubat ſeſe obnubit.*



AVES
EMBLEMA XXI.
PHOENIX REDIVIVVS
PRISTINI CORPORIS RELIQVIAS ORE CONGLOBANS.



Morte triumphatâ, quicquid de corpore restat,
In feretro Phœnix conglobat ore pio,

APODOSIS.

Vnde ſenex audit, vel in ipſo flore iuuentæ,
Chriſtus, & in lacrymas pœne ſolutus abit?
Vnde genæ pallent? rugis cur vultus aratur?
Membra tremunt longis attenuata malis?
Scilicet innocuum conſumpſit inedia corpus,
Secretuſque dolor, continuuſque labor.
Ipſe tamen proprio quicquid de corpore reſtat,
Panis in orbe, epulans conglobat ore pio.
Contractos artus macie, iugique labore,
Arctius in modico pane coëgit amor.

FONS EMBLEMATIS.

AIunt Heliopolitani Phœnicem ex Arabiâ proficiſcentem, in templum Solis geſtare patrem myrrhâ obuolutum, & in eo templo humare. Sic autem geſtare; primùm ex myrrhâ ouum componere, quantum ipſe ferre poſſit, deinde ferendo illud experiri. Hoc expertum ita demum ouum exenterare, atque in illud parentem inferre, & quâ parte ouum exinaniuit, patremque intulit, eam partem aliâ myrrhâ induere, & cum tantumdum ponderis impoſito parente effectum ſit, obſtructo rurſus foramine, baiulare illud in templum Solis. Ita Herodotus l. 2. quem ſequutus Lactantius in ſuo poëmate de phœnice ſic canit:

Aſt vbi primæuâ cœpit florere iuuentâ,
Euolat ad primas iam reditura domos.
Ante tamen proprio quicquid de corpore reſtat,
Oſſaque, vel cineres, exuuiaſque ſuas,
Vnguine balſameo, myrrhâque & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.

INTERPRETATIO.

1. PRætermiſſis pluribus huius auis proprietatibus, quæ mirificè Domino ſub Euchariſticis ſpeciebus deliteſcenti conueniunt; huic vni præſertim immorabor, quod, vt ſuprà cecinit ſuo in poëmate Lactantius, prioris corporis reliquias, ouo myrrhæo includat, ac pio ore conglobet. Quid autem aliud egit Chriſtus Euchariſtiam inſtituens? Nonne ſacratiſſimi Corporis inediâ, fame, ſiti, itineribus, vigiliis, curis, laboribus, ac ærumnis pœne conſumpti reliquias, ore pio conglobauit, dum eaſdem in orbiculari conſecrati panis formâ, verbi conſecratorij virtute, concluſit? Equidem Corpus Domini aſſiduis laboribus fractum fuiſſe, adeo vt Iudæis quinquagenarius, cum 33. eſſet annorum, videretur, obſeruarunt nonnulli interpretes in hunc Ioa. locum c. 8. 57. *Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Vnde arbitror ipſum, non ſolum ob iudicij maturitatem, morum grauitatem, ſenilemque vultus maieſtatem, vt vult Euthymius; ſed potius ob ieiunia, vigilias, itinera, laboreſque diuturnos, in diuini prædicatione verbi, iugiter exantlatos, in ipſo iuuentutis flore, ſenio propemodum confectum apparuiſſe. Quis enim neſciat quantam carni maciem longa ieiunia, nocteſque inſomnes adferant? Chriſtus autem ieiunauit 40. diebus, & 40. noctibus in vaſtâ ſolitudine, iis deſtitutus commodis quæ nuſquam auibus, aut vulpibus defuere. Quæ de re conqueri videtur in Euanlio: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput ſuum.* De eodem alibi ſcribitur, *quod erat pernoctans in*

oratione Dei, eundemque Ioannes c. 4. de immodico itinere fatigatum, ac super oram putei sedentem meridiano tempore repræsentat: *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Quæ verba mysteriis grauida enucleans August. tract. 15. in Ioan. ita loquitur: *Iam incipiunt mysteria: Non enim frustra fatigatur Iesus virtus Dei: non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur*, & infrà: *fortitudo Christi te creauit, infirmitas Christi te recreauit. Nutrit ergo ipse infirmus infirmos tamquam gallina pullos suos; huic enim se similem fecit. Videtis, fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis; nulla alia auis quòd sit mater agnoscitur; videmus nidificare passeres, hirundines, ciconias, columbas, quos nisi quando in nidis videmus, parentes esse non cognoscimus: gallina verò sic infirmatur in pullis suis, vt etiam si ipsi pulli non sequantur, filios non videas, matrem tamen intelligas; ita fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibus membris demissa & abiecta.* Vt enim idem ait in Psal. 58. Conc. 1. *Raucescit ei vox, fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos nescio quid ægrotum, & ea est materna charitas, quæ inuenitur infirmitas.* Sic ergo prosequitur idem Doctor tract. 15. in Ioan. *Infirmus Iesus fatigatur ab itinere; iter ipsius est caro pro nobis assumpta, ideo fatigatus ab itinere, quid est aliud quam fatigatus in carne.* Hactenus S. Augustinus.

2. Liquet igitur ex iis omnibus Corpus Dominicum, antequam sudore cruento, in Oliueti monte, difflueret, verberibus laniaretur, spinis & clauis transfigeretur; iam præcedentibus vigiliis, ieiuniis, laboribus & ærumnis fractum, ac pene consumptum fuisse, vt propterea audacter dixerim

ipſum ſui corporis reliquias in Euchariſtiæ Sacramento concluſiſſe, ac quidquid de iuuenili corpore reſtabat, ibidem ore pio conglobaſſe. Quid enim eſt ore pio Corporis conglobare reſiduum, niſi corpus tot laboribus attenuatum & exhauſtum, exiguâ rotundi panis coarctare particulâ? atque id quidem ore pio executus eſt, dum verbis conſecratoriis è diuino ipſius ore procedentibus ſacratiſſimum corpus ſeorſim à ſanguine quantum eſt ex vi verborum, ſub ſpeciebus panis incluſit, ideſt formis Sacramentalibus, quæ, iuxta veterem Eccleſiæ ritum, non niſi rotundæ fieri ſolent, vt hæc hoſtiæ rotunditas viuacius Dei latentis æternitatem exprimat principio ac fine carentem, vt exiſtimat S. Vincentius Ferrerius ſer. in cœnâ Domini. Conglobatur ergo Corpus Dominicum, dum formæ Sacramentalis orbe coercetur, adeo vt extra illius peripheriam nullatenus ſeſe extendat. Quodque hîc planè ſtupendum occurrit, cùm in Sacramento modo illo extenſiuo careat; quem habet in cælo, totam tamen quantitatem, figuramque, vt ita loquar, intrinſecam in naturali partium diſpoſitione conſiſtentem retinet, abſque vllâ membrorum commixtione, aut confuſione: quippe licet omnes corporis pares, ſub quâlibet orbicularis hoſtiæ reperiantur particulâ, ſuum tamen inter ſe ordinem, ſuam vnionem, ſuamque intrinſecam diſpoſitionem ſeruant à loci commenſione prorſus independentem. O miraculum! Chriſtus in Hoſtiæ triticeæ orbiculo. *Quicquid de corpore reſtat conglobat ore pio.*

EMBLEMA XXII.

APVS INDICA, IN SINVOSO MARITI DORSO, OVA SVA PARIENS, FOVENS, ET EXCLVDENS.



EOæ regionis honos Æpus Indica, cœli
Gloria, deliciis quam paradisus alit.
Par aquilæ longo pennarum syrmate splendet,
Crispatusque auri luce coruscat apex.

Cyaneus mentum color imbuit iridis inſtar,
Rufaque transmiſſum temperat vmbra iubar.
Neſcia curuari natiuum circinat orbem
Ala; placet radians penna, ſed ordo magis.
Angelicis cognata choris cœleſtia ſpirat,
Affiniſque polo ſpernit inane ſolum.
Rore fames, & rore ſitis ſedantur eodem,
Reliquiis ſuperûm cælica viuit auis.
Sollicitet ſi caſta venus, proliſque cupido,
Et vocet ad thalamos inuiolâtus hymen:
Mas enitenti ſociæ ſinnamina dorſi
Subdit, vbi pullis molle cubile ſtruat.
Incubat his coniux incurui fornice ventris:
Sic pater & mater pignora chara fouent.
Neue maritales Euri violentia nexus
Soluat, adhærentes fune reuincit amor.
Par fortunatum! ſtabili quod fœdere nectit
Impollutus hymen, binaque fila ligant.

APODOSIS.

Par miræ Ieſus apodi, quem firmiter aris
Et vini & panis ſymbola bina ligant.
Nil terreſtre ſapit, cœleſtia ſpirat, iiſque
Gaudetali, puro nectare viuit apus.
Excipit ille animas ſinuoſi vulnere cordis,
Multæ vbi virtutis tutius oua fouent.
Neue ſacros rumpat vehemens tentatio nexus,
Carne, cruore ſibi caſtus adunat amans.
Fortunatæ apodes! puri quas ſtringit amoris
Copula, queis ſponſi nobile pectus hiat.
Gloriæ anhelantes epulis, dum fercula ſperant
Integra, relliquiis ſe patiuntur ali.
At quales hæ relliquiæ, quibus abdita cæli
Gaza, quibus deitas clauditur, atque Trias!

Nidificate apodes in hiulco corpore, plures
Fecit ibi nidos vulneris author amor.

FONS EMBLEMATIS.

APus indica, ſi Geſnero, aliiſque recentioribus ſcriptoribus credimus, naſcitur in Moluccis inſulis, coturnici corporis magnitudine ſimilis, aquilam alis extenſis propemodum adæquat; pennæ, à primâ ceruicis vertebrâ ad roſtri vſque initium, coloris ſunt lutei, auri puriſſimi modo inſigniter ſplendentes, quæ mentum contegunt ex cyaneo mirè virides, alæ colore fuſco inter rufum & nigrum fulgentes, quæ naturaliter vno & eodem modo conſiſtunt in orbem digeſtæ, tanquam cuti infixa ſpicula. Terram viua numquam tangit, caret enim pedibus, quieſcit in excelsâ arbore aliquando geminis filis ramo implicata: cibus ei nullus præter rorem cœli, qui ſimul ſit cibus & potus. Interiora ſi ſpectes, inane nihil reperias, verum continuâ pinguedine auiculam totam expletam videns. Reges Marmin in Moluccis inſulis, paucis ab hinc annis, immortales animas eſſe credere cœperunt, haud alio argumento ducti, quàm quòd iſtam auiculam numquam terræ inſidere animaduerterent, quam proinde, in paradiſo animarum ſede, ortam eſſe facile ſibi perſuaſerunt. Maſculi dorſum ſinuatur intus, fœmina vero cauum ventrem obtinet, vt ſic vtraque cauitate poſſit facilius ouis incubare. Maſculo inhærent in caudâ duo fila, quibus fœmineam ouis incubantem ſibi firmius alligat, ne vento aut tempeſtate diſturbetur. Plura vide apud Geſnerum in Manucodiata ſiue apode Indica.

INTERPRETATIO.

1. ALtare amanti, deſideranti, ſuſpiranti animæ verè nidus eſt, vbi à circumuolitantibus inferni vulturibus ſecura conquieſcit, neque tamen omnino tuta videretur, niſi inſtar Indicæ apodis in hiulco diuini ſponſi corpore nidulans, in patulis eiuſdem cicatricibus bonorum operum oua pareret, foueret & excluderet, & meritorum pullos enutriret. Hinc exiſtimo Dei filium ſeſe noſtræ fœno carnis induiſſe, vt in eo mollius teneri virtutum noſtrarum fœtus quieſcerent & plumeſcerent, & commodius alerentur. Omnis enim caro fœnum eſt, teſte Iſaia, ex quo fidelis anima, more turturis mollem ſibi ſternat nidulum, vbi pullos ſuos reponat. Id ſanè voluit, & his elegantibus verbis expreſſit S. P. Aug. in Pſalm. 83. *Propter infirmitatem pullorum turturis, dignatus eſt Dominus præbere tibi vnde nidum faceres; indutus eſt enim fœno carnis, vt ad te veniret. in iſtâ fide pone pullos tuos, in iſto nido operare opera tua. Qui enim ſunt nidi, vel quis eſt nidus? ſequitur ſtatim: altaria tua, Domine virtutum.* Chriſtus itaque fideli animæ quaſi meditabundæ turturi, & locum nidi & materiem eius coniugali curâ prouidet, altare vtique vt nidi locum, carnis verò fœnum, vt materiem, ne de ſponſi ſui erga ſe prouidentiâ & ſollicitudine conqueratur. In vnico quidem maritalis dorſi ſinuamine quaſi nidulo, oua parit & excludit, implumeſque pullos fouet apus Indica: at in Dominico corpore tot foramina nidulationi idonea ſponſa reperit, quot vulnera. *In his*, vt cum mellifluo Bernardo loquar ſerm. 61. in Cant. *paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos; in his ſe columba tutatur,*

& circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem, & infra. *Vbi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Saluatoris?*


2. S. Augustinus Manual. c. 21. quiddam sublimius & excellentius audet: siquidem quasi parum animæ foret in manuum pedumue cicatricibus à Domini corde ac visceribus longius dissitis nidulari; in ipsissimet diuinæ misericordiæ visceribus nidum struere & conquiescere præsumit: *Patent*, inquit, *mihi viscera per vulnera; quicquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Vulnera Iesu plena sunt misericordiâ, plena pietate, dulcedine, & charitate; per has rimas licet mihi gustare quàm suauis est Dominus, quoniam reuera suauis & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus eum inuocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, & maximè diligentibus. Copiosa mihi redemptio est in his vulneribus, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum.* Maris apodis dorsum quidem sinuatur intus, verum ad intimas vsque cordis ipsius partes concauitas illa fouendis fœtibus idonea minimè pertingit. Quo fit vt non possim non suspicere miram immortalis sponsi dignationem, qui non solum manuum pedumue foramina sponsæ patere voluerit, sed & amantissimi cordis sinum aperuerit, vt in eodem sponsali fiduciâ nidularetur. Idcircò vt obseruauit Aug. tract. 120. in Ioan. *Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret, vnus militum lanceâ latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud; sed aperuit,*

vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remißionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum. hæc & lauacrum præstat, & potum. Nimirum sancta mater Ecclesia, quasi apus fœcunda à terrenis secreta sordibus, in hiulco sponsi latere, imò in ipsius intimo corde suos parit & excludit fœtus quasi totidem à cœso vtero Cæsares, diuini cruoris purissimo conceptos semine, & aquâ de latere deciduâ mundatos. Vnde ibidem Augustinus plagam lateris militari lanceâ inflictam, huic ostio comparat, quod olim Noë in arcæ latere facere iussus est, per quod ingrederentur animantes diluuio non perituræ, idest, animæ ab æternæ damnationis gurgite præseruandæ.

3. Felices igitur animæ, fortunatæque apodes! quibus non solummodo concessum est in sinuoso coniugis dorso nidulari, sed & intima ipsius subire præcordia, diuinique amoris in Iesuano corde quasi solio residentis immortalibus enutriri deliciis. *Ad hoc enim*, verba sunt S. Bernardi de Passione cap. 3. *perforatum est latus, vt nobis pateſiat introitus: ad hoc vulneratum est cor, vt in illo ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare poßimus. Accedamus ergo, & exultabimus & lætabimur in illo memores cordis tui, Domine. O quàm bonum, & quàm iucundum habitare in corde hoc! Nidus mihi corpus amantis.*

EMBLEMA XXIII.

AQVILA MVRFVLITAS, VNICO CARNIS FRVSTO GEMMIS GRAVIDO, LOCVPLETANS.



Præcipiti conualle latent adamantes eoi,
Quo solis aquilis est penetrare datum.
Plurima in hanc Indus viscosæ frustula carnis
Porricit, vnde auidæ pelliciantur aues.

Carni inhians aquila huc volitat candore refulgens,
Quæ grauidum gemmis eluet illicium.
Huius opi debentur opes in carne repertæ:
Ni ditaret auis, num foret Indus inops?

APODOSIS.

Quæ volucris candore nitens? an hypoſtaſis alti
Numinis? illicium? num pretioſa caro?
Illicio rutili virtutum adamantes adhærent;
Poſſidet immenſas carne potitus opes.
Gaza ſed hæc omnis diuino eſt debita Verbo;
Ni foret illud homo; Numquid egeret homo?
Carnem igitur ſumendo homines ditauit egenos,
Vtpote cui cæli totus adhæret honor.
Cum modico liceat carnis diteſcere fruſto,
Conſcius eſt magni criminis omnis inops.
Quis facilem ſpernat theſaurum? eſt turpis egeſtas,
Quam cum poſſit inops pellere, ſponte tenet.

FONS EMBLEMATIS.

MVrſulitæ Indi nonnunquam adamantes in montibus magnâ reperiunt copiâ, idque hunc modum. Morantur in montibus illis aquilæ albæ, quæ veſcuntur ſerpentibus; homines autem qui per montes diſcurrunt, & per prærupta ſaxa, & præcipitia montium, ad conualles peruenire non poſſunt, Proiiciunt in illas fruſta recentium carnium, videntibus aquilis: Et hæc deinceps. ab aquilà ſublata nonnullos habent adamantes adhærentes, quos homines hoc ingenio venantur aduertunt quò auis ſublatam portet carnis portionem, & accurrentes abigunt aquilam, & lapillos carni adhærentes colligunt. Quod ſi aquilæ in valle proiectam comederint carnem, aduertunt lapi-

dum ſcrutatores locum vbi aquila noctu dormit, & egeſta ſtercora diſcutientes, eliciunt adamantes, ſi quos cum carne deuorauit. Ita Paulus Venetus apud Nierembergium lib. 10. nat. Hiſtor. cap. 79.

INTERPRETATIO.

1. Meritò diuina ſapientia antequam Prouerb. 9.5. immolaret victimas ſuas, miſceret vinum, & menſam proponeret, homineſque ad regale ſuum epulum iis verbis inuitaret: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*: Ne qua de magnifico illius apparatu ſubeſſe poſſet dubitatio, iſta præmiſit cap. 8. 18. *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia: melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo.* Vt hinc conuiuæ colligerent ipſam in Euchariſtico conuiuio ſuas omnes diuitias ſumptuoſius oſtentare, carnemque ſuam eſculentis margaritis grauidam iis apponere, quo poſſint vnico locupletari ſorbillo. Lego quidem apud Plinium l. 9. c. 35. Clodium hiſtrionem primum Romæ liquefactos vniones obſorbuiſſe, vt experiretur in gloriâ palati quid ſaperent margaritæ: atque vt mirè placuere, ne ſolus hoc ſciret, ſingulos vniones conuiuis abſorbendos dediſſe. Chriſtus verò rex gloriæ quo ſuam magis magnificentiam fidelibus oſtentet, inæſtimabiles virtutum omnium margaritas & adamantes ſuæ carni adhærentes in Euchariſtico ferculo iiſdem apponit, vt affatim ditati, de priſtinâ deinceps egeſtate minimè conquerantur. Enimverò diuitiarum nomine ſacris in codicibus Ieſuanum corpus intelligi, docet inter alios Hugo Cardinalis in c. 6. Ioan. vbi illud Iob. 20. ad rem Euchariſticam fle-

ctens : *diuitias quas deuorauerat euomet* , ita loquitur : *Diuitias idest Corpus* Christi *, quas deuouauerat euomet ; quia non vult Dominus manere in sentinâ diaboli.* Iure quidem, quòd in Christi corpore omnium lateant thesauri virtutum , gemmæ gratiarum , gazæque omnes Ierusalem cælestis , ex lapidibus pretiosis extructæ. Appositè S. Bernardus ser. 61. in cant. Christum sic alloquitur : *In te, Domine, quid nisi pietatis thesauri , diuitiæ bonitatis? hæ in foraminibus petræ repositæ mihi. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertæ quidem , sed in his qui pereunt. Ad quid enim sanctum detur carnibus, vel margaritæ porcis?* Ita est, diuinæ pietatis thesauri in adorabili Domini carne delitescunt, gratiarum adamantes cruentis eius cicatricibus adhærent, vt idcirco nullus eâ in sacrâ synaxi saginetur, quin illicò locupletetur.

2. Sententiosè Concilium Trid. de Eucharistiæ institutione disserens sess. 13. c. 2. hæc verba protulit, *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit , in quo diuitias sui erga homines amoris velut effudit.* Christianus igitur diuinæ carnis sumptione nullo labore ditescit, qui diuitias omnes numinis incredibili profusione in hoc mysterio congestas vnico frustulo absorbet. Quis enim inopem dicere audeat, quem regem regnumque cœlorum intra se continere constat? fateor equidem cum Apostolo Rom. 14. regnum Dei non esse escam & potum, quibus hæc mortalis vita sustentatur ; verum diuini corporis esum , & sanguinis potum regnum Dei esse audacter asseuero. Id enim his verbis disertè asserit S. Paulinus Epist. 9. *Christus idem & panis, & regnum est, quo nos saginamur.* Re vera quicquid in regno cœlorum pulchrius, opu-

lentius, & augustius resplendet, id omne vnico Dominicæ carnis ferculo conclusum conuiua Eucharisticus obsorbet, tantò proinde ditior, quantò epulo sumptuosior. Deus in cœlo sanctis splendidum de propriâ substantiâ instruit epulum, illosque eodem, quo semetipsum, pascit alimento, clarâ videlicet suæ visione essentiæ. Idem in altari nos eâdem carne, eodemque sanguine, quo semel ipse pastus est, identidem reficit, ad delicias beatitudinis æmulas. Et vero Paradisi gloriam, quæ in amplissimis Empyrei spatiis explicatur, specierum Sacramentalium angustiis implicari, satis apertè definiuit Trid. Synodus sess. 13. c. 3. Cum enim præmisisset, Corpus Christi sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, vi verborum reperiri, subiunxit. *Ipsum autem Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animaque sub vtrâque, vi naturalis illius connexionis, quâ partes Christi qui iam ex mortuis surrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; diuinitas porro propter admirabilem eius cum corpore & animâ hypostaticam vnionem.* Quod autem de diuinitate decernit Synodus, idem de totâ Trinitate, pari fidei certitudine tenendum est: vbi enim Dei filius, ibi & Pater & Spiritus sanctus; quod in summâ diuinarum hypostaseon cum naturâ identitate nulla fingi possit, aut excogitari diuisio. *Sicut enim in catenâ*, inquit magnus Basilius ep. 43. *qui vnius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul & alterum insertum attrahit; ita & si quis verè Filium apprehenderit, habebit vtrinque hinc Patrem illius, hinc Spiritum sanctum vnà compactum.* Itaque sub modicâ hostiæ particulâ tota deitas atque Trinitas delitescit, vt fidelis eâ refectus, pari facilitate locupletetur, quâ vescitur & epulatur. Nec tan-

tum admiror Empyreum diuinitatis immensitate repleri, quantum omnes ipsius thesauros, ærarium omnipotentiæ, omnem æternæ gloriæ censum, & inestimabiles beatitatis delicias & opes, panis frusto, vinique guttulâ coerceri: adeo vt militans Ecclesia mirabilius, vtilius, & amantius id omne teneat, quod soror eius triumphans possidet clarius, iucundius & magnificentius. Illa in vmbrâ, hæc in luce; sed vmbraticæ fidei meritum germen luminis gloriæ, defectum claritatis abundè compensat.


3. Quid humanitate Christi pretiosius? quid eius animâ Deo fruente gloriosius? quid eiusdem corpore quatuor gloriæ vestito dotibus illustrius? quid demum homine Deo opulentius? Nonne tres felicis animæ dotes, Dei nempe visio, amor, & fruitio, totidem sunt inæstimabiles gemmæ, quibus ornata illa adorabilis Verbi sponsa adstat à dextris Paterni solij quasi regina in vestitu deaurato charitatis, circundata varietate virtutum? Nonne claritas, impassibilitas, agilitas & subtilitas, totidem sunt adamantes ineffabilis fulgoris, quibus sacratissima humanitas ad beatorum admirationem adornatur. Hæc dispersarum per omnes creaturas pulchritudinum centrum, & accessoriæ cælitum gloriæ coronis, ac suauis consummatio, serenissimi vultus aspectu sanctorum recreat ac beat oculos & erumpente sacris è cicatricibus iubare, triumphantem aulam collustrat, ad immensum felicitatis incrementum: Vt sic totum hominem felicitet Deus homo, animam quidem diuinitatis suæ intuitu, Corpus autem gloriosæ carnis aspectu. Porrò illa eadem humanitas quæ in cœlorum apice, Angelis & hominibus miros gloriæ fulgores affundit; specierum Sacramentalium inuoluta

nebulis, noſtra ſacraria ſecretâ luce perfundit, Noſtramque in hac vitâ mortali beatitudinem præmaturè inchoans, mentes fidelium ſplendore gratiarum illuminat, ardore charitatis inflammat, coruſcantibus virtutum gemmis exornat, denique vnico conſecratæ hoſtiæ fruſtulo, nos omnibus paradiſi gazis locupletat: vt in ſacrâ ſynaxi, quæ futuræ gloriæ pignus eſt, quodammodo regnum cœlorum, anticipatâ mercede, poſſideamus. Quis vel mortalium pauperrimus, non facile diteſcat eo fruſtulo hoſtiæ tot gratiarum gemmis referto? quis inops malit egeſtate conſumi, quam locupletari? *Ditando inopi ſat portio carnis.*



EMBLEMA XXIV.

ASTVR PATREM SENIO CONFECTVM SELECTIS ALENS CARNIBVS.



Astur adest hebes, atque tremens, exanguis, & orbus
Lumine, quem morbis longa senecta grauat.
Infelix quid agat, dumis immobilis hærens?
Vnde, quibusue cibis eximet ille famem?

Damna senectutis proles pietate resarcit,
Nutrit & effætum carne, cruore senem.
Perdicem si forte fuit venata, reseruat;
Ingerit & lectas patris in ora dapes.
Stillantem excipiens à cæde recente cruorem,
Nouit eo patriam pellere rore sitim.
Sic sobolis pia cura senem sustentat, alitque:
Quam vitam accepit, reddit amore pari.

APODOSIS.

Infirmus post crimen Adam, trepidusque sub vmbra
Arboris, orbatus lumine, nudus, inops.
Posteri huic similes æterno funere digni,
Queis rapuit fidei culpa paterna iubar.
Humanos sedenim miseratus, Christe, labores,
Carne famescentes, vt pius astur, alis.
Filius es miserandi hominis, lapsumque parentem
Erigis, & misero fers alimenta seni.
Nunquid Adæ florens, & fortunata senectus,
Quam roseo vestit flore iuuenta Dei?
Nempe senex æger nusquam inuenescere posset,
Ni iuuenili aleret carne, cruore Deus.

FONS EMBLEMATIS.

REfert Caussinus l. 6. Polyhistoris symbolici c. 28. ex Alberto magno, aucupes aliquot, dum astures venarentur, in densam arboribus syluam penetrasse. Illic, ait, eminus prospiciunt asturem auem in stipite defixam, & prope immobilem: tum demirati cur non ex cæterarum volucrum ingenio, ad hominum præsentiam, euolaret, comperiunt esse cæcam, grauique senio hebetatam. Interim dum frondibus inumbrati, iuxta arborem, sedent in insidiis, duo alij astures iuniores onusti præ-

dâ & carnibus veniunt, quas minutatim concisas in os canæ illius volucris ingerunt. Credibile est sobolem fuisse, quæ insigni pietatis exemplo θρεπτήρια parenti redderet. Porrò Alberti hæc sunt verba: *Aucupes fide digni, in superiori parte Germaniæ quæ Sueuia superior nuncupatur, narrauerunt nobis se aliquando ingressos in penitissimum syluæ locum, vt caperent astures, inuenisse ibi asturem magnum ætate valde prouectâ, & præ senio fere canum, in cuiusdam arboris ramo: & cum paulatim ipsis accedentibus non fugeret, tandem cœcum propter senium deprehendisse. Itaque latentes obseruare voluisse vndênam viueret; vidisseque paulò post duos astures iuniores, qui carnes minutatim discerptas, ex prædâ allatas, ei administrarint.*

INTERPRETATIO.

1. ASturem graui confectum senio, cœcum & immobilem, in hacce tabellâ, mentis oculo contemplans, natiuum hominis lapsi & veteris Adæ symbolum mihi videre videor, cuius lamentabilem casum ita gtaphicè depingit S. Dionysius l. de Eccles. Hierarch. c. 3. *Naturam humanam ab initio diuinis bonis imprudentiâ suâ spoliatam, vita passionibus obnoxia, & tetræ mortis exitus excipit: quippe perniciosa ista veri boni desertio, sacræque in Paradiso legis præuaricatio, eum qui blandè mulcentibus, & infestis aduersarij fraudibus illectus vitale iugum excusserat, propensionibus suis quæ diuinis bonis aduersantur dimisit; vnde miserè æternitatem cum mortalitate commutauit, & qui originem à corruptibili generatione acceperat, ad interitum origini suæ consentaneum iure meritò properauit, nec non à vitâ diuinâ, quæ ipsum ad supera surrigebat, dilapsus, & ad extrema contra-*

ria iam præceps datus , variis perturbationibus obnoxiam nactus est immutationem. Homo itaque diuinæ imaginis indelebili charactere signatus , angelis non multum inferior , Paradisi dominus , princeps animantium , legitimus orbis Monarcha , iustitiæ originalis indutus purpurâ , & beatæ immortalitatis diademate redimitus , vbi serpentis suasione diuinam affectauit æqualitatem , & viuificæ legis sibi à conditore impositæ nobile iugum excussit , in tantam illico calamitatem decidit , vt feris , quibus antea dominabatur , miserabilior , regiam maiestatem ignominiosæ seruituti commutarit. Siquidem instar Asturis nostri in stipite defixi , ex lapsu factus est immobilis in opacâ Paradisi syluâ , cuius densis ramis pudendum facinus incassum occultare conatus est , adeo vt necesse fuerit conditorem , ipsum in nemoris opacitate trementem & fici stipiti , cuius foliis inumbrabatur , immobiliter affixum conuenire. Insuper ex lapsu factus est debilis & cæcus : quidni enim debilis , qui iuxta S. Ambr. l. 7. in Luc. *Sauciatus fuit in naturalibus , & spoliatus gratuitis* ? Non quòd liberum amiserit arbitrium , sed quòd originalis iustitia quâ excidit , naturam animæque facultates perficeret ; quæ proinde illius amissione , periculosè sauciatæ sunt. Quidni & cæcus , qui cum omnium diuinarum , naturaliumque scientiarum splendore collustraretur , illis , excæcante delicto , miserè orbatus , posteros quoque suos iisdem ignorantiæ tenebris inuoluit ? quidni & senio confectus ; qui cum immortalis esset beneficio conditoris , possetque sibi ipsi esse , aut conseruator immortalitatis , in iustitiâ stando , aut author mortalitatis , à iustitiâ excidendo ; fructum vetitum comedendo

consenuit, quoniam ad morrem properate cœpit: iuxta Dei sententiam: *in quacunque die comederis, morte morieris.* Ideſt morti obnoxius eris, ac senectutis incommodis illius præcursoribus. Primus igitur Adam asturi nostro symbolico immobili, debili, cæco, senioque graui per omnia cum suis posteris similis. Nunc Adæ secundi, siue iunioris asturis escam viuificam in os senis ingerentis insignem pietatem admiremur.

2. S. Dionysius l. de Eccles. Hierarch. c. 3. vbi lacrymabilem hominis lapsum descripsit, Dei in eo erigendo misericordiam his verbis exprimit: *Nostrum verò statum è diuerso clementer immutauit: Nam mentis quidem nostræ obscuritatem beato diuinoque lumine repleuit, deformitatemque nostram Deiformibus ornamentis illustrauit, animi autem domicilium, cum perfectâ salute essentiæ, naturæque nostræ, quæ ferme collapsa erat, fœdissimis quibusque passionibus, & inquinamentis noxiis liberauit, commonstratâ nobis diuinæ vitæ normâ, per quam ad sacras eius similitudines, quoad eius fieri potest, euehamur.* Mox explicans quâ ratione, per Eucharistiam, homini lapso diuina similitudo restituta sit, ita prosequitur: *Enimuero quomodo nobis diuina ista imitatio aliter obueniat, nisi tam præstantium memoria beneficiorum Dei, Sacerdotalibus prædicationibus atque mysteriis iugiter innouetur?* Quibus autem mysteriis, nisi Eucharistiæ, & passionis, quibus amissa per peccatum restituitur, tum animæ sanctitas, tum corporis immortalitas? Hinc Doctor Angelicus 1. p. q. 97. a. 1. vbi de protoparentis immortalitate disseruit, hæc aurea verba subiungit: *Quamuis post peccatum Adam per pœnitentiam recuperauerit gratiam Dei, quantum ad remissionem culpæ, non tamen quantum ad amissæ*

immortalitatis effectum : hæc enim reseruabatur Christo per quem naturæ defectus in melius reparandus erat. Ita est, vni Christo, reseruabatur hic labor, hæc gloria, vt carnis suæ immortalitatis alimoniâ, nos in beatiorem illá, quâ peccatum excidimus immortalitatem restitueret. Hic ille est astur iunior senis filius, & ab Adamo descendens, non quidem secundum viam seminalem, sed corpulentam duntaxat substantiam, vt vtar scholæ terminis, qui incredibili erga veterem hominem pietate permotus carnem propriam minutatim concisam, id est, sub minimis hostiæ consecratæ particulis inclusam famelico, infirmo, moribundo comedendam apposuit. Sententiosè Valerius Max. l. 5. c. 4. *Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas verò etiam amoris plurimum meretur : (maximè verò pietas iuuenis filij, in parentem senio confectum) & admirabilis & amabilis plurimum ; quòd diligere parentes prima sit naturæ lex, propagatæ felicibus auspiciis soboli cœlitus inscripta, quæ efficit, vt & genuisse iuuet, & gignere libeat, cum quale præmium rependerint* Parentibus *liberi, tale & à liberis suis meritò possint expectare.* Mirâ igitur pietate Christus iunior veteris hominis senectutem in posteris in dies magis ingrauescentem subleuaturus, nos carne propriâ viuidâ, iuuene, floridâ, saginare decreuit, vt infirmos roboraret, cæcos illuminaret, ægros sanaret, senescentes pristino iuuentæ vigore renouaret.

3. Quapropter appositè Rupertus l. 12. de victoriâ Verbi c. 12. Vitalem Eucharistiæ cibum fructui mortifero, quem primus homo gustauit, hisce verbis opponit: *Cùm non viderent nisi pomum quantumlibet suaue, & visu pulchrum, crediderunt in illo*

esse Diuinitatis effectum, crediderunt diabolo dicenti, si comederitis, eritis sicut dij. Contra *cibum illum qui cibus fuit mortis, dictante ratione iustitiæ, dari oportebat cibum alium qui esset cibus vitæ, à similitudine, vt scilicet inesse illi mens crederet, quod oculus non videret, crederet esse cibum & potum veraciter communicandæ* Diuinitatis. *Per hanc fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse indicat, dum non minus sibi credit, quam diabolo crediderat.* Idemque enucleans illud Apocal. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso* Dei *mei*; Christum huic vitali ligno eleganter assimilat, cuius esu perditam recuperamus immortalitatem; sic enim disserit: C*hristus lignum vitæ est, cuius & in cælesti paradiso visione, & in præsenti Ecclesiâ, corpore sanctæ reficiuntur animæ. Illud materiale lignum vitæ hominem morte animæ, scilicet peccato iam mortuum non viuificasset, sed carnem viuere faceret in æternum, quod infelicissimum esset: mortuus quippe in animâ, si corpore viueret homo in æternum, esset æternaliter miser, vt sunt dæmones: hoc autem lignum vitæ, quod est Christus, dum nos corpore & sanguine reficit, iam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnem nostram in nouissimo die resuscitabit.* Hunc ergo fructum viuificũ beatæ germen immortalitatis, Iesus vti iunior astur homini veteribus vitiis innutrito, famescenti, senescenti, fatiscenti porrigit, eique cum ingenti fœnore restituit, quod fructus vetiti comestione olim amisit. *Aderat homini in Paradiso*, inquit Augustinus lib. 14. de Ciuit. *cibus ne esuriret, potus ne sitiret, lignum autem vitæ ne senectus eum dissolueret*: Nunc autem in Ecclesiæ paradiso adest eidem homini Christi Corpus ne esuriat, diuinus cruor ne sitiat, lignum

denique vitæ videlicet integer Dominus, ne mortalis culpæ ſenectus eumdem diſſoluat. O planè fortunatam primi hominis ſenectutem, quæ iuuenili Dei carne refloreſcit! ô beatum ſenem qui filij pietate nutritus iuueneſcit & renouatur! *Reuiuit Prole cibante ſenex.*



EMBLEMA XXV.

ACCIPITER, ESV COLVMBÆ VINO POTÆ, AD PRÆDAM ANIMANDVS.



IGnauum accipitrem Prædæ succendit amore
Magnanimumque facit pota columba mero.
Illius in fauces vbi vinum fuderit auceps,
Concoquere illud auem nocte sequente sinat.

Sic

Sic animos acuet fragranti imbuta liquore;
Maximo vt in prædas impete prædo ruat.

APODOSIS.

Mentibus electis deitas seruatur in escam;
Numinis intuitu est nostra leuanda fames.
Vastum cor hominis terræ non orbe repletur:
Sola sacris deitas implet hypostasibus.
Nempe triangulus est cor nullo implebilis orbe;
Implet id vna Trias; quippe triangulus est.
Sæpe tamen prædæ languescit amabilis ardor,
Nec studium est Triados luce & amore frui.
Mystica ob id summo descendit ab axe columba,
Poßit vt ad superas nos animare dapes.
Suauius vt sapiat caro, nectar sanguinis hausit,
Quod reliquo vitæ tempore coxit amor.
O mihi si mitis contingat carne columbæ
Perfrui, ad æternas totus hiabo dapes.
Diuinæque auidus prædæ, dum corpore Christi
Pascor, inardescam viuere mente Dei.

FONS EMBLEMATIS.

ACcipitrem aduersus prædam, animabis & vt aues magnas aggrediatur efficies hoc pacto; escam quâ tēpore venationis vtitur vino madefacito, aut si astur sit, aceto, & magnitudine amygdali dato. Quum vis vt volet, da ei tres offulas carnis vino madentes, aut pullo columbæ vinum rostro infundes, deinde facies eum volare, donec vinum in carnem eius distribuatur, eâ auem tuam pasces in aucupio. Ita Tardiuus in lib. de aucupito.

INTERPRETATIO.

1. VT agni Hieroglyphico, sic columbæ symbolo Christum D. conuenienter adumbrari

ex eo liquet, quod teste S. Bernardo ser. 1. de Epiph. *Nihil melius agno conueniat, quàm columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in auibus est; summa vtriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitiâ, sicut agnus & columba? nocere cuiquam nesciunt, lædere non nouerunt.* Iisdem ergo de causis quibus agnus, sic & columba Christi congruum censetur esse symbolum, potissimum verò Domini in Sacramento delitescentis. Magna siquidem columbæ cum Eucharistiâ connexio, vt idcirco S. Basilius ipsam in columbâ aureâ super sanctam mensam suspensâ seruari iusserit, quæ & miraculosè moueri consueuerat, cum ipse sacrificans sancta eleuaret, vti in eius vitâ refert Amphilochius. Christus igitur mitis, simplex & innocens columba, ptidie quam in crucis altari, pro salute nostrâ, mactaretur, generoso proprij cruoris vino inebriari voluit, vt caro ipsius tali madens ambrosiâ, eoque nectare odoratior, fideles, quoties eadem saginantur, ad prædæ cœlestis, id-est, intuendæ diuinitatis amorem vehementius excitaret. Nec enim diuini corporis esu fames nostra plenissimè sedatur, nec pretiosi calicis haustu sitis nostra prorsus extinguitur, imo verò gloriæ desiderium, & cœlestium epularum esuries potentius prouocatur; *Quasi dicat*, ait S. Bern. c. 6. de Scalâ claustrali: *ecce parum gustastis, quàm suauis sum & dulcis, sed si vultis plenè saturari hac dulcedine, currite post me in odorem vnguentorum meorum, habentes sursum corda, vbi ego sum in dexterâ* Dei *patris. Ibi videbitis me, non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem, & plenè gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Gloriosa quidem seruatoris humanitas Sâcramen-

talibus velis operta vtcumque ſuſpirantis animæ deſiderium explet, quandiu tamen noſtris ſubtrahitur oculis ineffabilis eius gloria, tandiu *intra nos gemimus, diuinæ faciei reuelationem, & adoptionem filiorum* Dei *expectantes redemptionem corporis noſtri: hoc ſcientes, quia quandiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à* Domino. Et hinc oriuntur feruida cæleſtis patriæ deſideria, hinc intuendæ diuinitatis inſatiabilis cupiditas, hinc ſuſpiria & gemitus quibus deſideratam Patriam à longè ſalutamus.

2. Non ſum neſcius authorem ſermonis in Cœnâ Domini, apud Cyprianum, ita de exuberante Euchariſtiæ ſuauitate diſſerere, vt eadem omne deſiderium noſtrum extingui ſatis inſinuet, his verbis: *Qui manducat ex hoc pane vltra non eſurit; qui bibit, vltrà non ſitit: quoniam myſterij huius ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, vt cuicunque tantæ rei innotuerit plenitudo omnis conſummationis fine inuento, Chriſti baiulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente.* Aio nihilominus illam gratiarum plenitudinem ab altaris fonte profluentem, magis cœleſtium bonorum eſuriem acuere, quàm explere: ſaginabatur enim quotidie diuinâ carne Doctor Angelicus, & tamen inexplebili gloriæ cupiditate ſuccenſus, excellẽtioriſque prædæ auidus, in has voces etiamnum recenti pretioſi Calicis hauſtu madidus erumpebat: *Ieſu quem velatum nunc aſpicio, oro fiat illud quod tam ſitio, vt te reuelatâ cernens facie, viſu ſim beatus tuæ gloriæ.* Nec mirum ſi mortalis hic Angelus velato potitus Domino, reuelatâ eiuſdem facie beari tantopere geſtiebat, quandoquidem immortales Angeli in æternitate felices, quantumuis æterni Patris faciem intueantur, in eamdem tamen proſpicere, teſte D. Petro 1. ep. c. 1. deſiderent,

etsi aliunde diuinæ gloriæ manifestatione satientur, iuxta illud Psaltæ regij: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quod beatorum spirituum desiderium, plenum requie, vacuum anxietate mirabiliter edisserit Gregorius Magnus l. 18. mor. c. penultimo, his verbis: *Deum Angeli & vident, & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam; beati verò Angeli ab omni pœnâ anxietatis longè sunt; quia nunquam simul pœna, & beatitudo conueniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista ait: satiabor dum manifestabitur gloria tua, considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo rectè sibi vtraque conueniant: dicat veritas quia semper vident; dicat prædicator egregius quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Ex quibus ita concludit: *Sic quoque & nos erimus quando ad ipsum fontem vitæ venerimus; erit nobis delectabiliter impressa simul sitis, atque satietas: sed longè abest ab istâ sitis necessitas, longè à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.* Hactenus S. Pontifex. Pari ergo ratione fideles in sacrâ synaxi & Dominicâ carne saturantur, & diuino Calice inebriantur, & nihilominus Christi corpore saturi famescunt, & eiusdem cruore inebriati adhuc sitiunt, quoniam reuelatæ diuinitatis esuriem ista proritat satietas, & fontis vitæ sitim ardentiorem pretiosi Calicis haustus, & ista ebrietas accendit.

3. Fateor pretiosi Calicis haustum, ac castificam ebrietatem, carnalium illecebrarum nauseam parere, & obliuionem inducere; verum eodem instanti perennis gloriæ memoriam refricat, & cælestium deliciarum sitim violenter accendit, vt mundi fallaces obscœnasque voluptates obliti, ad nuptiale agni epulum totis præcordiis hiemus. Sic enim asserit author ser. in Cœnâ Domini: *Quàm præclarus est Calix iste! quàm religiosa huius potus ebrietas! per quam excedimus Deo, & quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi.* Sanè cum in instruendo regali Eucharistiæ conuiuio suas opes diuitiasque magnificus Seruatoris amor insumpserit, nec necessitati solum, sed & deliciis nostris incredibili profusione prouiderit, terrenarum rerum auiditatem penitus extinguit: Adeo vt anima Deo abscondito satura, cum Dauide dicat Psal. 72. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Id est, interprete Augustino; *Cogitans & æstuans in cogitatione cuiusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non dicit, illud aut istud mihi est in cœlo: sed quid mihi est in cœlo? quid est illud quod habeo in cælo? quantum est, quale est, quid est? & cum non transit quod habeo in cœlo, à te quid volui super terram? seruas mihi tu in cœlo diuitias immortales teipsum.* Nihil igitur Sacramento satura deinceps super terram appetit, sed aliquid appetit in cælo: nisi enim aliquid appeteret in cælo, non diceret, quid mihi est in cælo? & illud aliquid clara Dei visio est, Deum enim intueri desiderat absque velamento, quem excepit in Sacramento. Vnde hoc? nisi quia fidei vmbris inexplebilis mentis humanæ capacitas, gloriæ lumine collustrari concupiscit, &

reuelatâ Dei facie ſatiari. Pulchrè Paſchaſius l. de Corpore Domini, c. 20. *Longè excelſius ac praeminentius vita illa, quae abſcondita eſt cum Deo, quâ conformes illi configurati ſumus, illo ſaginatur cibo & potu, quem de ſcripturis & de altari accipimus, & tranſuehit nos ad ſpiritualia, vt ibi exinde viuamus, vbi vita noſtra ſeruatur aeterna.* Quippe Euchariſtiæ communio quædam æternæ beatitudinis prælibatio eſt, quæ nos ad vlteriora prouehit, & ad ſublimiorem gloriam, cuius illa pignus eſt, ſperandam inflammat. Quotquot enim viuá Chriſti carne calidoque ipſius ſanguine nutrimur, quaſi totidem accipitres columbæ vino poti carnibus paſti Prædæ excellentioris deſiderio ſuccenſi ad diuiniora reuelatæ diuinitatis fercula hiamus; quaſi ea quæ nobis in altari porrigitur eſca; non tam famem ſedet, quàm excitet, & irritatâ melioris eſurie, nos expanſis deſideriorum alis ad Empyrei verticem eleuet, vt ibi in reuelatam Chriſti diuinitatem & humanitatem famelicarum auium inſtar, irruamus. *Haec eſca acuet melioris amorem.*



EMBLEMA XXVI.
FALCO EAMDEM AVEM ITERVM CAPIENS FIT AVDACIOR.



Eiusdem falconem animat repetitio prædæ,
Quum licuit profugam prehendere rursus auem.

APODOSIS.

Inuictas fortesque animas repetita synaxis
Cudit, & eiusdem sumptio crebra cibi.

Non ſatis eſt guſtaſſe ſemel myſteria Chriſti,
Creſcit ob innumeras vis animuſque vices.
Magnum hominem magnũque frequens communio numen
Porrigit : ergo hominem magnanimare poteſt.

FONS EMBLEMATIS.

AVdacior reddetur falco, ſi ſæpius aues viuas accipiat, & comprimat, & ſæpius euadentes, per ſolertiam falconarij, ab vnguibus eius aues iterum capiat, & ſolus per ſe dimittatur vincere aues. Ita Albertus Magnus l. 23. de animalibus, & Geſnerus.

INTERPRETATIO.

1. SI Falconem eiuſdem auis, falconarij ſolertiâ, ex ipſius falculis euadentis repetita captio, ad grandiores volucres impetendas animoſiorem reddit : multò magis Sacroſanctæ Chriſti humanitatis quaſi ſublimipetæ volucris iterata ſumptio, Chriſtianis nobiles generoſitatis infiget aculeos, & ad eiuſdem prædæ, ſæpe ſæpius, ad ſacrarum conſumptionem ſpecierum, è pectoribus abeuntis frequentem prehenſionem animabit. Hinc primitiuæ Eccleſiæ fideles quotidianâ huius cæleſtis prædæ capturâ adeo roboratos legimus, vt ſeſe vltrò tyrannis excruciandos offerrent, ſæuientemque mundum, cum ſuis minis, terroribus & illecebris generosè ſuperarent. Cum enim preſſurarum immane pondus ſibi incumbere ſentirent, non melioribus armis, efficacioribuſque munimentis ſeſe ad ſpiritale certamen animari arbitrabantur, quam frequenti ſacræ ſynaxeos vſu, & crebro diuini cruoris hauſtu. Eapropter S. Cyprianus ep. 56. Thibaritanos ad martyrium adhortans, id iis præ

cæteris inculcat, vt attentè considerent, se quotidie mysteria Christi sumere, ne assiduis persecutionibus fatigati deficerent, & in ipso certamine succumbentes interirent. *Grauior*, inquit, *nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorruptâ, & virtute robustâ parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie Calicem Sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Vt enim eleganter ait S. Hieronymus ep. 22. ad Eustochium: *Hæc est sola digna retributio, cùm sanguis sanguine compensatur, & redempti cruore Christi, pro redemptore libenter occumbimus.* Proinde quisquis difficillimis illis nascentis Ecclesiæ temporibus dicere cum Apostolo poterat, *quotidie morior*, quotidie etiam se diuino præmunire viatico studebat, ne in viâ salebrosâ & arduâ deficeret, pretiosumque sæpius hauriebat Calicem, vt alacrius proprium sanguinem Dominico permixtum, inter vngularum laniatus profunderet. Nimirum Dei carne saginatus, Dei cruore madidus, imo Deo ipso plenus, firmius in acie stabat, fortius confligebat, gloriosius superabat; haud ignarus se sub oculis præsentis Domini dimicare, qui non solum militem suum spectaret pugnantem, sed & ipse in eo luctaretur, ipse congrederetur, ipse in certamine vinceret, ipse in milite victore triumpharet, ipse eundem coronando coronaretur.

2. Hæc igitur ratio potissimum pristinam permouit Ecclesiam, vt filios quotidiano Eucharistiæ vsu præmuniret, vt qui tot inter pressuras, tyrannorumque persecutiones quotidie de vita periclitarentur, quotidie sacrâ communione roborarentur, cumque metu persecutorum eorum bonis & sanguini inhiantium, non liceret singulis diebus

Missas in locis abditis celebrare, ne numeroso conuentu semetipsos inquirentibus proderent satellitibus, peracto sacrificio, illiusque participes effecti, domum acceptas à Sacerdote consecratæ hostiæ particulas deferebant, summâque reuerentiâ in arcis mundissimis asseruabant, quas singulis diebus mane ieiuni sumerent, ne si eo die coram tyranno sisterentur, necessario munimine fraudarentur. Ad quem morem haud dubiè adludit Tertullianus l. 2. ad vxorem c. 3. his verbis secundas ei nuptias dissuadens: *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes; & si sciuerit, panem non illum credis esse qui dicitur*, videlicet Eucharisticum, cuius buccellam summo mane ieiuna gustare consueuerat. Quin & S. Gregorius Nazianzenus Orat. funebri de S. Gorgonia sorore suâ refert, ipsam in secretiori conclaui super altare iugiter Eucharistiam adseruasse, quam quotidie veneraretur, eiusque virtute ab ingenti ægritudine diuinitus liberatam fuisse. Quam quidem consuetudinem redditâ Ecclesiæ pace, quo magis tanti Sacramenti reuerenriæ consuleretur, abrogatam fuisse constat ex Concilio Cæsaraugustano c. 3. hoc Canone: *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesiâ, anathema sit in perpetuum.*

3. Et verò quotidianum Eucharistiæ vsum persecutionis tempore, Christianis omnibus dimicaturis adeo necessarium censuerunt sancti Patres, vt etiam lapsis ipsis: qui tamen à primo lapsus sui die, pœnitentiam agere, lamentari, ac Dominum deprecari non destiterant, vltrò libenterque concederent communionem, quâ ad imminens prælium potenter armarentur. Id enim ab Africanâ

Synodo ſapienti conſilio ſtatutum fuiſſe ſcribit Cyprianus ad Cornelium Papam, his verhis: *At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione Corporis & Sanguinis Chriſti muniamus.* Et cùm *ad hoc fiat* Eucharistia, *vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento* Dominicæ *ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis* Chriſti *ſanguinem denegamus? aut quo modo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum, in Eccleſiâ Dei poculum* Domini *iure communicationis admittimus?* Quoniam igitur in quotidiano vitę diſcrimine verſabantur tam lapſi pœnitentes, quàm iuſti ſtantes, pari iure quotidianâ eos omnes communione firmari, & quaſi falcones nobiles iteratâ cæleſtis huiuſce prędæ prehenſione ſępius animari oportebat. Etenim *Reſumptio prædæ magnanimat.*



EMBLEMA XXVII.

TINNVNCVLI CORPVS OCCVLTVM COLVMBAS SEDEM MVTARE PROHIBENS.



SEruat ab hostili tinnunculus vngue columbas;
Hæ quoque custodem mutuo amore colunt.
Corpus amant nido impositum, nec, odore retentæ,
Vsquam illæ sedes deseruere suas.

APODOSIS.

Ara columbarum sedes, Tinnunculus illic
Iesulus illæsas dæmone seruat aues.
Sub sacris latitans speciebus amabile corpus,
Sancta pias animas linquere templa vetat.
Affixas aris retinet fragrantia carnis:
Nec mirum, angelicos pertrahit illa choros.

FONS EMBLEMATIS.

AVis quę Latinè tinnunculus, Gallicè Cercerelle vocatur, cum columbis habenda est, deffendit enim illas, terretque accipitres naturali potentiâ, in tantum vt visum vocemque eius fugiant. Hac de causâ pręcipuus columbis amor eorum, feruntque, si in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare sedem columbas, Ita Plinius l. 10. c. 37. Cui subscribit Columella his verbis: Genus accipitris tinnunculum vocant rustici, qui fere in ędificiis nidos facit. Eius pulli singulis fictilibus ollis conduntur, stipatisque opercula superponuntur, & gypso lita vasa in angulis columbarij suspenduntur: quę res auibus amorem loci sic conciliat, ne vmquam deserant.

INTERPRETATIO.

1. QVidni aram Eucharisticam columbarium appellem, vbi fideles animę quasi simplices columbæ identidem bonorum operum oua pariunt, fouent, & excludunt? quippe si turris vbi nidulantur huiusmodi volucres columbarium vulgò dicitur; cur ara similem nomenclaturam non mereatur, vbi suauis & mitis Seruatoris humani-

tas, velut innocens columba, ſibi ſtabilem ſedem elegit, vbi in turribus argenteis, imò & in columbis aureis olim aſſeruari ſolebat, vbi demum aliquando mirabiles columbæ niue candidiores, & ipſo ſole ſplendidiores ſanctis Sacerdotibus immaculatam hoſtiam offerentibus celeri volatu cœlo delapſæ apparuerunt. Quòd enim in turriculis argenteis S. Sacramentum adſeruari ſoleret teſtis eſt Gregorius Turonenſis l. de gloriâ martyrum c. 86. quòd item in columbis aureis ſuper aras pendulis includeretur probat Card. Baronius ad annum Chriſti 57. num. 152. tum ex actis S. Baſilij quæ Amphilochij nomine inſcripta habentur, tum ex libello ſupplici quem Clerus & Monachi Antiocheni quintæ Synodo Conſtantinopolitanæ obtulerunt, grauiter conquerentes, columbas aureas & argenteas ſuper altaria ſuſpenſas, ab impio Seuero hæretico fuiſſe ſublatas. Quibus columbis inſculpi debuit illud S. Paulini Dyſtichon epiſt. 12. ad Seuerum:

His locus eſt veneranda penus quâ conditur, & quâ
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

Quòd demum nonnunquam miraculoſæ columbæ cælitus in aras delapſæ ſint, author eſt inter alios S. Bernardus in vitâ S. Malachiæ, *Quo quidem ſacrificante, & orante horâ ſacrificij, eâ quidem ſanctitate & puritate cordis, quâ ſolitus erat, aſtante Diacono viſa eſt columba intrare per feneſtram in claritate magnâ: eâ ſacerdos perfunditur totus, eâ ſubobſcurior baſilica tota refulget. Columba verò aliquandiu circumuolitans tandem reſidet ſuper crucem ante faciem ſacerdotis. Obſtupuit Diaconus, & pauens tum pro luminis, tum pro volucris nouitate, quod illa ſit rara auis in terrâ, cecidit ſuper faciem ſuam, & vix palpitans*

ſeſe erigere auſus eſt, vel quando officij ſui neceſſitas postulauit. Hactenus S. Abbas, vbi obſeruo quòd cum eo tempore non amplius in columbis aureis, vt antea, Euchariſtia ſeruaretur, ſed ſub cruce de more altari impoſitâ, vt conſtat ex Conc. Turonenſi 2. Can. 3. decernente, vt Corpus Domini in altari, non in armario, ſed ſub crucis titulo componatur; cæleſtis illa columba ſuper crucem infra quam venerabile Sacramentum latebat, inſederit. ara igitur columbarium meritò dicitur, vt pote cæleſtium ſedes columbarum.

2. Quidni Dominum Ieſum ſanctarum animarum protectorem, cum tinnunculo naturali potentiâ rapaces aues exterrente, in tantum vt viſum vocemque eius fugiant, componere liceat? quandoquidem nec viſum, nec vocem eius terrificam inferni ſuſtineant accipitres, ſed quamprimùm à columbinis quibus inhiabant animabus abſcedant. Quod enim ad ſanctiſſimæ hoſtiæ conſpectum contremiſcant, & ex ipſis energumenis exire præcipiti fugâ cogantur, innumeris euincitur exemplis, quæ hic recenſere longum foret. Vis ſcire quantum & ad eius vocem contremiſcant? Audi quid Dominus B. Birgittæ l. reuelationum c. 58. reuelauerit his verbis: *Sicut ex vno verbo quod dixi, ego ſum, corruerunt hoſtes mei corporaliter in terram; ſic dicto verbo meo videlicet, Hoc eſt Corpus meum, fugiunt dæmones à tentando animas offerentium, nec auderent redire ad eos cum tantâ audaciâ, ſi affectus peccandi non ſequeretur.* Columbarium igitur altare eſt, tinnunculus Ieſus, dæmones accipitres, columbæ animæ fideles. Iam verò quo pacto, ſecretum myſtici huius tinnunculi corpus, columbas in altaris cultu fixas ſtabileſque retineat, ne aliò diuagentur, nobis

considerandum est. Mirabilis planè Dominici corporis vis & potentia, vt cordis humani aufferat instabilitatem, funestamque à bono honesto in delectabile mobilitatem, illudque in incommutabilis boni prosecutione defigat. Non satiant sæculi honores, diuitiæ, voluptates, cor istis vanis & inanibus aliquandiu occupari potest, impleri omninò non potest; nec iis adimitur natiua ipsius mobilitas, quoniam fluxa sunt caduca & instabilia, in quibus nihil figi potest aut stabiliri. Non, inquam, iis vaga fugaxque voluntas detinetur, quòd eorum acquisitio laboris, possessio timoris, amissio verò plena sit doloris, plusque suo desiderio crucient, quam possessione delectent. Veraciter proinde dicit August. l. 1. Conf. c. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te:* & rursum alibi, *omnis copia quæ Deus meus non est, mihi egestas est.* Quemadmodum enim gnomon nauticus semper inquietus est, donec rectà septentrionem aspiciat, ita cor humanum quodam diuinitatis sensu tactum, continuo motu voluitur, donec in suo centro Deoque conquiescat. Hinc illud S. Bernardi celebre effatum ser. 18. in Cant. *Nihil est in rebus humanis quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas* Deus *qui maior est illâ*: Quoniam vt idem ait l. 5. de Consid. *Ipse est summa beatitudo creans mentem ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, implens ad felicitatem, circundans ad securitatem.*

3. Quapropter cùm in augustissimo Sacramento Christus ipse verus Deus & homo, & tota Verbi diuinitas corpori ipsius hypostaticè copulata delitescat, imò & felici comitatu tota Trinitas ibidem reperiatur,


reperiatur, piiſque animabus iuge exhibeat epulum diuinâ dignum magnificentiâ, quo & fames quælibet expleri, & ſitis poſſit extingui, cum in vnico fruſtulo totas prægustent beatæ immortalitatis delicias: nihil profecto mirum, ſi priſtinæ fugacitatis & inconſtantiæ immemores, in aræ columbario ſtabile ſibi figant domicilium, & adorandæ carnis illecebris irretitæ ibidem iugiter immorentur, quaſi quibuſdam vinculis alligatæ. Ecquid enim iterum per creaturas vanis inhiando vagarentur ipſomet potitæ creatore inexhauſto eſſentiarum pelago Ecquid adhuc inanem mundi gloriolam aucuparentur, Dei maieſtate plenæ, Dei glorioſa humanitate ſatiatæ? Appoſitè S. P. Auguſtinus l. de ſpiritu & animâ c. 54. hominem totius diuinitatis capacem quâ ſolâ poſſit impleri, hiantem nihilominus ad terrena, quæ eumdem inflare poſſunt, non implere, his verbis compellat: *Quid ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama vnum bonum in quo ſunt omnia bona, & ſufficit; deſidera ſimplex bonum quod eſt omne bonum, & ſatis eſt.* Reuera nimis auidus foret, cuius auiditati Deus ipſe, & omnis plenitudo diuinitatis in Chriſti corpore inhabitans non ſufficeret, cuius fami ſitique ſedandæ; Dei caro ſanguiſque totus non ſatis eſſet. Quid ergo vagaris, o anima, honoribus, voluptatulis, opibus inhiando, non hæc ſunt alimenta ſpiritus ſolâ deitate ſaginandi? fluant fluxa, cadant caduca, euaneſcant vana, pereant peritura, tranſeant tranſitura inhære ſolidis & æternis, ſacris adhære altaribus, vt pharmaco immortalitatis natiuæ cordis inſtabilitati medearis. Habes hic vnde ſatieris, habes vnde replearis, habes in hoc columbario potentiſſimum illicium quo

ſtabilis & fixa in Dei cultu detinearis, ne foras deinceps diuageris: quod eſt iſtud illicium fugacium columbarum? ſecretum myſtici tinnunculi corpus, ad quod nihil mirum ſi certatim aduolent animæ, quando & cæleſtes aquilæ, angelos intelligo, ipſius odore & fragrantiâ pellectæ illuc conuolent, iuxta illud: *Vbi erit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Huic firmiter adhære corpori, cuius odor ſuauiſſimus volaticas fugaceſque animas in Dei abſconditi amore ſtabilit, cuius eſus frequentior ſacris myſteriis inſeparabiliter alligat, ne huc illucque vagentur inſtabiles, vt veraciter poſſis dicere. *Secreto hîc figor amici corpore.*



EMBLEMA XXVIII.

ALCION NIDVLO CLAVSA HYEME ELEMENTA TRANQVILLANS.



Dans ce petit nid qui l'ens erre,
Il calme le ciel, et la terre.

28

Foecundi dulces vteri passura dolores
Ælcione in scopulis, littoribusque gemit.
Quum nidi perfecit opus, parit oua, fouetque,
Chara procellosis pignora credit aquis.

Alitis iratum fiducia mitigat æquor,
Vt teneram sobolem lenior vnda vehat.
Alcionis cunas Zephyri clementius adflant;
Temperies hyemis tempore verna redit.
Fortunata nimis! cui subijcit Aeolus austros,
Quâ nascente feri detumet ira maris.
Cui seruit natura stupens, blanditur & aër,
Cuius amore silet quicquid in orbe fremit.

APODOSIS.

Iudaici dum sæuit hyemis liuoris, & instat
Dira procella insons obruitura caput.
Christus vt alcione spicis & palmite nidum
Texit, & angustâ corpus in æde locat.
Nec mora, flammati placatur numinis ira,
Hostiles fugiunt tartari in antra Noti.
Cuncta serenantur, missusque fauonius astris
Frigida clementi flamine corda fouet.
Innocua alcione specierum abscondita nido
Temperiem cœlo reddidit atque solo.
Summa repugnabant imis, affinis vtrisque
Pane latens summis vnijt ima Deus.

FONS EMBLEMATIS.

ALcione, quàm Plutarchus lib. de Solertiâ animalium sapientissimum diuinissimumque marinorum omnium animal appellat, cuique nec luscinias circa musicæ studium, nec hirundines circa amorem filiorum, nec columbas circa mariti amorem, nec apes circa industriam conferendas asserit, auis marina est, non multo amplior passere, colore tum cæruleo, tum viridi, tum etiam leuiter purpureo insignis; videlicet non particulatim colore ita distincta, sed ex indiscreto variè refulgens

corpore toto, & alis,& collo,roſtrum ſubuiride longũ & tenue,ſic eam deſcribit Ariſtoteles. Mirà porro ſolertiâ nidificat, *Spinas enim*, verba ſunt Aeliani l. 9. de anim. c. 17. *Partim rectas, obliquas partim, vt mulieres ad textrinam eruditæ, ſubtegmini ſtamen intertexit, & rotundum paulatim ſed oblongum & ſinuoſum nidum, inſtar nauiculæ cuiuſdam, efficit, perfectum in mare defert, vbi fluitans ab incurſitantibus vndis opus probatur; tum partes, quas aqua incidens oſtendit non firmas eſſe, reſarcit, os verò nidi non planè conſpicuum, & alijs omnibus inacceſſum ſolam illam ſuſcipere poteſt, neque per idipſum quicquam ex mari intrò influere poteſt, adeo ſubtiliter conſtructum eſt. Ibidem vndis circumlata alcion pullos nutrit.* Cur verò mare non intret in nidum alcionis, rationem adfert Albertus M. quod introitus eius fiat ex materiâ per aquam intumeſcente, inſtar ſpongiæ, & tumore ſuo, claudente viam, ne aqua ingredi poſſit, quæ tamen materia ab aue ingreſſurâ comprimitur, & aquam exudans aditum illi præbet. Cæterum fatetur Ariſtoteles ambigi ex quanam materiâ nidus componatur; Plinius vnde confingatur non inueniri: alij enim ex ſpinis aculeatis confingi volunt; alij (quod ad rem Euchariſticam maximè facit) ex ſpicis ſegetum, & vitium palmitibus, quam poſteriorem ſententiam Alciatus Embl. 178. & ibidem Minos eius interpres amplectuntur; & his verſibus prior expreſſit:

Grandibus ex ſpicis tenues intexe corollas,
Quas circum alterno palmite vitis eat.
His comptæ alciones tranquilli in marmoris vndâ
Nidificant, pullos inuolucreſque fouent.

Porrò alcionem videre rariſſimum eſt, nec niſi vergiliarum occaſu circa brumam, naue aliquando

circumuolatâ ſtatim in ſuas latebras abeuntem, ait Plinius. Mirum ſanè eſt pariente circa ſolſtitium hybernum hac volucre: maria ventoſque quieſcere ad incolume puerperium, vt teſtis eſt Aelianus l. 1. c. 36. Audiendus Ariſtoteles: *Alcion*, inquit; *circa brumam parere ſolita eſt: quamobrem quoties bruma ſerena exiſtit, dies alcionei appellantur Septem ante brumam, & ſeptem à brumâ, vt Simonides quoque ſuo carmine tradidit. Septem primis diebus nidum conficere auem hanc fertur, reliquis ſeptem parere, educareque pullos.* Hactenus Philoſophus. Concludo piis & elegantibus Baſilij vetbis hom. 8. in hexam. *Alcion auis eſt quæ mare accolit, quæ cùm ſit in maris littore parere ſolita, deponit oua in arenâ, & mediâ hyeme nidum componit, quo maximè tempore ventorum impetu mare tempeſtuoſum eſt. Sed tum venti ſe remittunt, compeſcitur mare, cum alcion ſeptem diebus incubat, excludit enim pullos totidem, qui cum cibum appetunt, ſeptem alios ad pullorum incrementum minutiſſimo animali Deus elargitur. Omnes itaque qui ſe mari committunt, id obſeruant, eoſque dies alcionios nominant. Quæ tibi conceſſa ſunt à diuinâ prouidentiâ, cuius etiam vis eluceſcit in ijs animalibus quæ rationis expertia ſunt, vt te commonefacerent ad ea petenda à Deo quæ tibi ad ſalutem conferrent. Quidnam enim quæſo, vel quod fidem alioquin excedat, non eſt tuâ paratum causâ, qui ad Dei factus ſis imaginem, cum propter eam tam minutam auem vaſtum illud ac terrificum mare ſedetur, & hyeme mediâ Dei iuſſu coërceatur?*

INTERPRETATIO.

1. QVos turbines, quales procellas, quantas in cælo terraque tempeſtates peccatum

excitauerit, non opus eſt hîc fuſius proſequi: quis enim neſciat coortam illam in cælo Empyreo flante vehementius ambitionis aquilone tempeſtatem, quæ plurimas Angelorum myriades, quaſi totidem naues pretioſis gratiarum mercibus onuſtas obruerit, & infernali gurgite ſubmerſerit nunquàm emerſuras? quis ignoret qualem in Terreſtri Paradiſo violentus dœmonis afflatus procellam commouerit, quæ funeſtis originalis noxæ fluctibus vniuerſum genus humanum inuoluerit, mortaleſque dehinc omnes diluuio ſcelerum vindice abſorbuerit octo duntaxat exceptis, in communi omnium gentium naufragio enatantibus, vitâque fruentibus inopinatâ? furebat nimirum aduerſus perduelles homines implacabilis vltionum Dominus, & intumeſcentes in cælum vſque iuſtiſſimi furoris vndas attollebat, qnibus infelicis Adæ iactata poſteritas in auernale barathrum præceps ruebat, niſi miſericors Dei filius quaſi pacifica Alcion in Euchariſticarum ſpecierum nidulo deliteſcens, ſopitis turbinibus, tot ſæculis deſideratam cœlo ſoloque temperiem reddidiſſet, in ſe reconcilians ima ſummis, duplici vtique ſui cruoris effuſione, alterâ in altari crucis, alterâ in Sacramento altaris. Quod enim in ipſo naufragij periculo pleroſque nautas olim egiſſe legimus, vt oleum in ſæuientis Oceani fluctus copioſè profunderent, quo rabiem eius mitigarent, id præſtitiſſe viſus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, dum balſamino proprij ſanguinis oliuo, procelloſum, vt ita loquar, Diuinitatis placauit oceanum; pacificans per ſanguinem ſuum, vt apoſtolicis verbis vtar, ſiue quæ in cælis ſunt, ſiue quæ in terris, ideſt hominem in terrâ degentem cum Deo in cœ-

lorum apice regnante reconcilians. E*git quippe Christus*, inquit Augustinus l. 10 de Ciuit. c. 22. *& assumpsit hominem sine peccato, vt in ipso Sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est, per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, per quem factâ purgatione peccatorum reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur à Deo, quorum in hac vitâ non fit nostrâ virtute, sed diuinâ miseratione purgatio.*

2. Ethnici vt irata sibi maris numina conciliarent, in ipsa nauigij prorâ stantes, Neptuno, zephyris, tempestatique pecudes immolare consueuerant, earumque exta simul cum vino in fluctus porricere, prout testatur Virgilius l. 5. Aeneidos vbi de Aeneæ sacrificio, agnâque tempestati mactata disserens ita cecinit:

Ipse caput tonsæ foliis euinctus oliuæ
Stans procul in prorâ pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Christus autem vt sæuientem diuinitatis oceanum fatale naufragium mortalibus interminantem compesceret, niueam innocentis humanitatis ouem Deo Patri primum incruentè, tum cruentè obtulit atque mactauit, & in scelerum nostrorum, quæ procellam excitarant, expiationem non vinum, sed inæstimabilis pretij sanguinem vini speciebus inuolutum copiosissimè profudit; haud ignarus non aliter coortam sedari posse tempestatem. Cuius rei typum nobis eximium historia Ionæ c. 1. suggerit: suborta quippe ingenti tempestate, nauique periclitante, cum trepidi nautæ vasa plurima in mare proiecissent, nusquam intumescere destitit, donec miserum Prophetam cui veluti prædæ auidius inhiabat, absorpsisset: tunc enim stetit à feruore

ſuo, & ad priſtinam rediit tranquillitatem; quoniam, vt ſubtiliter in hunc locum, ait S. Hieronymus *inuenerat quem quærebat.* Simili ratione quantumuis olim Patriarchæ, ſacerdoteſque Aaronici innumerabiles immolarent hoſtias, vt feruidum diuini furoris mitigarent oceanum, nihilo ſecius ſæuiebat, donec ipſe Chriſtus, vnica ſubortæ tempeſtatis occaſio, placantem ſimul & placabilem propriæ humanitatis obtulit hoſtiam: appoſitè loco cit. Hieronymus: *Si conſideremus*, inquit, *ante Paſſionem Chriſti, errores mundi, & diuerſorum dogmatum flatus contrarios, & nauiculam, totumque humanum genus, ideſt creaturam Domini periclitantem; & poſt paſſionem eius tranquillitatem fidei, & orbis pacem, & ſecura omnia, & conuerſionem ad Deum; videbimus quomodo poſt præcipitationem Ionæ ſteterit mare à feruore ſuo.* Et ſanè æquitati congruum videbatur, vt ipſemet Dei Filius qui vtriuſque procellæ quæ paradiſum tum cæleſtem, tum terreſtrem concuſſit, quæque tum deſertores angelos damnationis gurgite demerſit, tum homines æterni periculo naufragij expoſuit, innocens extiterat occaſio, idem quoque fieret priſtinæ tranquillitatis reſtitutor. Nemini verò dubium eſſe poteſt, quin affectata filij Dei ſimilitudo, quaſi violentus turbo, tum perduelles angelos irreparabili naufragio inuoluerit, tum ipſos cum ſuis poſteris protoparentes è felici originalis innocentiæ ſtatu, velut ex aurea nauigij puppe excuſſos, in omnium calamitatum mare præcipitauerit. Siquidem dixit Angelorum anteſignanus lucifer: *Similis ero Altiſſimo.* Idemque ſuperbiæ virus protoparentibus noſtris his verbis Geneſeos 3. inſpirauit, *eritis ſicut dij.* Proindeque decebat, vt vnde tempeſtatis occaſio,

inde temperies oriretur. Hoc argumentũ ſubtiliter & profundè proſequitur Bernardus ſer. 1. de Aduentu Dei, Filium hæc ſecum loquentem inducens: *Ecce occaſione mei creaturas ſuas pater amittit; altitudinem meam primus Angelus affectauit, & populum qui ſibi crederet habuit; ſed continuò Patris zelus grauiter vindicauit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus ſuis plagâ incurabili, caſtigatione crudeli. Scientiam quoque quæ nihilominus mea eſt ſurripere voluit homo, & ne illi quidem miſertus eſt. Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis Angelum videlicet, atque hominem, ſed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniuerſos. Ergo vt ſciant quia & ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo propter me amiſiſſe videtur.* (attende Lector ad ſequentia.) *Si propter me tempeſtas hæc orta eſt; ait Ionas c. 1. tollite me, & mittite in mare. Omnes inuident mihi; ecce venio, & talem eis exhibeo memetipſum, vt quiſquis inuidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei æmulatio iſta in bonum.* Idemque ſermone in Cœna Domini adludens ad tempeſtatem à Iona placatam, ait de Chriſto: *Qui pro nobis per huius vitæ pelagus ad Patriam de exilio transferendis, rapacibus pyratis naulum propriæ mortis exoluit.* Vt igitur ſola Ionæ Prophetæ proiectio feruidum potuit mitigare pelagus, ita ſola Filij Dei Perſona humanarum fluctibus miſeriarum Alcionis inſtar innatans turgidos diuinæ vltionis fluctus æquauit, pacificans per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris, hoc eſt terrigenas homines cum Deo cælicola reconcilians: quæ prior eſt huius Apoſtolicæ ſententiæ expoſitio.

3. Aliam porrò profert in hunc Pauli locum Hieronymus: *Pacificans ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in*

terris, id est, inquit, *reconcilians terrena cælestibus, quæ ab eis per contrarietatem vitæ fuerant separata,* homines vtique mortales immortalibus Angelis diuinæ gloriæ zelatoribus præcipuis, nobisque ob perduellionis crimen infensissimis. Quam posteriorem expositionem cum Theodoreto libens amplectitur Chrysostomus his verbis: *Vis scire, quantum Angelorum esset in nos odium, & quomodo nobis semper aduersarentur? mittuntur ad supplicium aduersus Israëlitas, aduersus Dauid, aduersus Sodomitas, aduersus vallem luctus; sed non nunc, sed è contra in terrâ canebant valde lætantes.* Nimirum vbi Dei Filius quasi mitis Alcion in Bethleemitici nido præsepij iacuit, beati Angeli hactenus hominibus hostiles & infensi, confestim quasi inito fœdere, cecinerunt vnanimes: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Et circa solstitium hybernum quo natus est Princeps pacis, Alcionij dies orbi terrarum illuxerunt, quibus homines & Angeli velut colluctantes inuicem venti quieuerunt. Hanc autem Angelorum & hominum reconciliationem die Natiuitatis Dominicæ feliciter inchoatam sacra ipsius humanitas velut Alcion Sacramentali clausa nidulo gloriosè consummauit, quod Eucharistia nobis Angelos deuinxerit, vtpote diuini cruoris merito nobiscum communicantes. Pulchrè quidem id in Alcione miratur Ambrosius Hexaem, l. 5. c.13. *Illam fouendis partubus id temporis habere deputatum, quando maximè insurgit mare littoribus, vehementiorque fluctus alliditur, quò magis repentinæ placiditatis solemnitate auis huius eluceret gratia. Namque vbi vndosum fuerit mare, positis ouis subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua fo-*

ueat Alcion ſua. Chriſtus autem hanc auem æmulabundus, ingruente ſæuiſſima paſſionis ſuæ tempeſtate, quum Iudaicæ perfidiæ procelloſum mare vehementius fureret, Sacramentalium Symbolorum nidulum ingreſſus, repentinam attulit temperiem, terrena cæleſtibus conciliauit, hominem Deo & Angelis reunuit, quo magis inopinatâ huiuſmodi ſerenitate, diuini Sacramenti in conciliandis hoſtibus virtus & efficacia eluceret. Si *igitur*, vt cum eodem Ambroſio proſequar, *auis minuſculæ contemplatione & inſurgit mare, & repente comprimitur, atque aſpera hyemis inter ingruentes procellas tempeſtateſque ventorum detergit cæli nubila, fluctuſque componit elementis omnibus ſubitò infuſa tranquillitas*: Quidni anima tentationum iactata fluctibus ſubitam placiditatem myſticæ noſtræ Alcionis intuitu ſperet, ac ſibi certiſſimè polliceatur? quandoquidem ſacræ communionis dies verè ſint illi dies Alcionij indubiæ ſerenitatis, quibus nullus procellæ motus in eam præualere poſſit quod Chriſtus ipſius ſinu ſuſceptus, ex Sacramentalis nidi *latebrâ cælumque ſolumque ſerenet.*



EMBLEMA XXIX.
PELECANVS PRÆ SANGVINIS EFFVSIONE NIDO SE MOVERE IMPOTENS



DIc mihi cur nido Pelecane immobilis hæres?
Præ nimiaque cibum debilitate fugis?
Prolis amor nimius vires exhausit, & illic
Sanguinis ex fluxu languida membra tenet.

Sanguine vt exanimes fœtus animantur, eodem
Exanimor: Vitam dat cruor atque necem.

APODOSIS.

Sub sacris speciebus inest immobile Christi
Corpus; ibi nimio languet amore Deus.
Sanguinis immensas absumpsit copia vires.
Quo crux tincta, calix spumat, & ara rubet.
Sponte perit, ne dispereant quos deperit, ipso
Quo soboles viuit vulnere, mater obit.
Ni langueret amans, vis elangueret amoris,
Et moreretur amor, ni moreretur amans.

FONS EMBLEMATIS.

PElecanus post sanguinis sui in pullos effusionem adeo debilitatur, vt exire de nido non valeat, & pulli pro sua ac matris cibatione volare cogantur. Sed horum quidam propter ignauiam aut impietatem in matrem, exire nolunt: quidam autem seipsos quidem pascunt, sed matrem penitus negligunt. Mater vbi conualuerit pios filios nutrit, impios verò abiicit. Ita Author lib. de natura rerum & Albertus M. apud Gesnerum in Pelecano.

INTERPRETATIO.

1. OPportunè S. Augustinus expendens illud Psal. 101. *Similis factus sum pelicano solitudinis*, ita disserit: *Pelecanus nascitur in solitudinibus, maximè Nili fluminis in Aegypto. Dicuntur hæ aues tanquam colaphis rostrorum occidere paruulos filios suos, eosdemque in nido occisos à se lugere per triduum. Postremò dicunt matrem seipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi*

reuiuiſcunt. Fortaſſe hoc verum, fortaſſe hoc falſum ſit. Tamen ſi verum eſt, quemadmodum illi congruat qui nos viuificauit ſanguine ſuo, videte. Congruit illi quod matris caro viuificat ſanguine ſuo filios ſuos? ſatis congruit. Habet enim paternam authoritatem, habet maternum affectum, ſicut Paulus, & pater eſt, & mater eſt, non per ſeipſum, ſed per Euangelium: Pater vbi dicit: etſi habeatis multos pædagogos in Chriſto, ſed non multos patres: in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui. mater autem, vbi ait: filioli mei quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis. Habet ergo hæc auis, ſi verè ita eſt, magnam ſimilitudinem carnis Chriſti, cuius ſanguine viuificati ſumus. Sed quomodo congruat Chriſto, quod ipſa occidit filios ſuos? an & illi non congruit, ego occidam, & ego viuificabo; ego percutiam, & ego ſanabo? an verò Saulus perſecutor moreretur, niſi de cœlo percuteretur? aut prædicator excitaretur, niſi illius ſanguine viuificaretur? Auguſtino ſubſcribit Bruno Carthuſ. Sed aliam rationem profert cur Pelecanus occidat pullos, quòd ipſi prius illum in facie percutiant. At S. Hieronymus in epiſtolâ ad Præſidium docet filios eius non ab ipſo, ſed à ſerpente occidi, quos deinde ſua latera percutiens, & ſanguinem in eos excutiens reſuſcitet. Idcircò S. Epiphanius Phyſiologi c. 8. hanc auem φιλότεκνον, Ideſt, amantem prolis appellat, aitque matrem pullos fouendo & complectendo, nimiis ſauciare oſculis, ac eorum latera perforare: patrem verò dolore tactum, latus deinde proprium terebrare & ſanguine in eos ſuperfuſo ſuſcitare. Non prætermittam quod Agellius in Pſal. 101. refert ex Maximo ſcriptore Græco, Pelecanum aduerſus ſerpentem qui pullis eius inhiat, nidum in ſublimi conſtruere, ac vndique ſepire;

hostem verò parte qua ventus adflat, virus iis insufflare, quo pereant. Pelecanum vbi mortuos videt, nubem spectare, & in altum volare: alisque latera percutere, quoad sanguis diffluat; quem vbi per nubem instillarit, pullosque perfuderit, illos demum excitari. aitque pullos esse protoparentes, nidum sublimem paradisum, serpentem diabolum, cuius viru inspirato perierunt, Christum vti Pelecanum præ nimiâ in nos charitate crucem ascendisse, percussoque latere exanimes suo cruore suscitasse, ac per roridam Spiritus sancti nubem, (adderem ego, per Sacramentalium specierum nebulam) sanguinem suum & vitam instillare.

2. Aequiori sanè titulo Christum φιλότεκνον & pelecano prolis amantiorem dixero: quippe si hæc volucris pullorum vulneribus proprio cruore medetur, id agit, vt quas, secundum Augustinum, iis plagas inflixit, easdem pariter curet sanguinis illitu. Christus verò nostrorum vulnera scelerum, quæ nobis ipsis infliximus, vltrò sanauit, nec latus duntaxat suum vt Pelecanus, sed totum corpus, spinis, clauis, verberibus aperiri voluit, nec aliquot solum modo stillas, sed totum sanguinem in exanimes animas effudit: neque id semel duntaxat in cruce, sed infinities in Sacramento Eucharistiæ, vbi eum iugiter quasi salubre balsamum exstillat; iuxta illud Ambrosij serm. 5. in Psalm. 118. *Vulnus est quod Christus excepit, sed vnguentum est, quod effudit.* At quis ipsius lateri vulnus ex quo vitales riuuli promanarunt, inflixit? nimius erga exanimes filios amor, & incomprenensibilis charitas. Quis sanguinem è venis in nostrorum vlcerum remedium extraxit? *Amor*, inquit Bernardus

dus ſer. 64. in Cant. *Dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor, vt ſcias amoris eſſe quòd plenitudo effuſa eſt.* Quæ plenitudo? plenitudo ſanguinis, plenitudo vnguenti, plenitudo medicinæ mortuos ſuſcitantis. Nimirum, ſi D. Aug. l. manualis c. 24. *Deus amore venit ad homines, & in homines* (quod ad Euchariſtiam attinet) *& factus eſt homo amore inuiſibilis, ſeruis ſuis factus eſt viſibilis, amore vulneratus eſt propter delicta noſtra.* Vt ex amoris vulneribus Pharmaca fluerent immortalitatis; quin vt exanimes filios ſui profluuio cruoris animaret, amor idem ſuaſu efficax omnino perſuaſit. Vt iis aſſerit verbis Bernardus ſer. 4. de Nat. Domini: *Filius Dei altiſſimi iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Agnoſce, homo, quam grauia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt D. Chriſtum vulnerari: Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Quoniam igitur ſerpens peſtifero nos ad mortem ſauciauerat afflatu, amabilis pelecanus ad mortem ſauciatus eſt, vt noſtra ſuis curaret vulnera vulneribus, & interemptos ſui cruoris vnctione ſuſcitaret. Lubet proinde cum eodem mellifluo doctore in has voces prorumpere ſer. de quadruplici debito: *O quàm indebita miſeratio, quàm gratuita dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, quàm inuicta manſuetudo! regem gloriæ pro deſpicatiſſimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi! quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic ſimile? vix enim pro iuſto quis moritur, ipſe verò pro iniuſtis & inimicis mortuus eſt.*

3. Ex nimiâ cruoris in ſaucios ſemineceſque filios

effuſione, ſequitur in Pelecano languor, & infirmitas, vt nido deinceps euolare nequeat: quaſi vehemens erga ſobolem amor vires cum ſanguine penitus exhauriens, eumdem nido immobilem affixerit, vti ex Alberto M. in Emblematis fonte retulimus. Chriſtus pridie quam pateretur adorabile Sacramentum inſtituens, corpus ſuum nimio erga nos amore languidum, laboribus, ærumnis, ieiuniis & doloribus attritum, quin & Sacramentali totius ſanguinis profuſione prorſus exhauſtum in ſacrarum nido ſpecierum repoſuit ex ſe quidem immobile, nec niſi ad ſymbolici nidi motum à Sacerdote mobile. Hæret hîc igitur Pelecanus immobilis quòd more amantium rem amatam depereuntium amore langueat. Sicut enim carnalis amor prædominans corpori ſenſim languorem inducit, quòd ex illius exceſſu ſequatur humorum intemperies diu noctuque diſcrucians, & phantaſiæ notabilis inquietudo, quæ tum ad cibum, tum ad ſomnum amantem ineptum efficit; ita ſanè ſpiritalis amor, vbi vehemens & extaticus eſt, illicò redundat in corpus, partiſque ſenſitiuæ vires exhaurit, quod appetitus ſuperior inferiorem rapiat: Ex quâ redundantiâ promanat harmoniæ naturalis grauis alteratio, vt patet in iis qui rapiuntur in extaſim, ad quam totius languor corporis, vbi ad ſe redierint, conſequitur. Vnde Danielis c. 9. Prophetam poſt viſionem elanguiſſe & emarcuiſſe legimus; Ezechielem eadem de causâ c. 44. in faciem ſuam cecidiſſe quaſi exanimem, & Iſaiam cap. 21. conturbatum fuiſſe cùm vidiſſet, & cor eius emarcuiſſe. Noſter itaque Pelecanus nimio erga homines amore ſuccenſus dum in Apoſtolos viuificum

ſanguinem è cratere profundit, in Sacramentali nidulo languidus hæſit & immobilis, nobiſcum ibidem ad conſummationem vſque ſæculi commoraturus, cum Canticorum ſponsâ ſucclamans: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*; id eſt virtutum Chriſtianarum fulcite me floribus, vt filios intuear florere virtutibus, quos antea marceſcere vitiis vidi & indolui, ſtipate me ſanctorum operum fragrantibus malis, quia violentiori charitate langueſco: ſumptâ metaphorâ à floribus, pomiſque odoriferis quibus deliquium ex amoris vehementiâ patientes non mediocriter ſubleuantur. Porrò languorem huiuſmodi ex amatæ rei dilatione ſuboriri doctè inter alios docet S. Bernardus ſer. 51. in Cant. his verbis: *Cum præſto eſt quod amatur, viget amor, languet cùm abeſt, quod non eſt aliud quàm tædium quoddam impatientis deſiderij, quo neceſſe eſt affici mentem vehementer amantis, abſente quem amat, dum totus in expectatione, quantamlibet feſtinationem reputat tarditatem. Subſtractio nempe rei quam amas, augmentatio deſiderij eſt, & quod ardentius deſideras, eo cares ægrius.* Languet igitur amore Chriſtus in Sacramento, vt debilis Pelecanus in nido, quia quod ardentius amat, quod violentius deſiderat, longius differtur, & quod vehementius ſitit, eidem ſubtrahitur. Quid enim ibi deſiderat niſi ſalutem animarum, peccatorum pœnitentiam, pœnitentium iuſtitiam, iuſtorum ſanctitatem, ſanctorum conſummationem & gloriam? ad hæc totis præcordiis anhelat, & ardentius inhiat. Quoniam igitur iſta diutius differuntur, quod piis ipſius votis & inſpirationibus homines reluctentur, ideò in Sacramentali nidulo

languidus & immobilis, ſtupida & immobilia hominum corda mouere ſatagit ipſe immotus, & incredibilem amoris vigorem ſuo languore piis inſpirat animabus. Languet ibidem amans, ſed quo magis languet, eo magis amor ipſius viget, & niſi noſtrûm amantiſſimus in Euchariſtiâ langueret, nec amor in noſtris cordibus arderet, nec dilectio vigeret: Verè ſiquidem poeta cecinit:

Si non languet amans, credite, languet amor.

Proinde ſi Dominum Ieſum amare pigebat, nos modo præamantem, & amore languentem redamare non pigeat. Ipſe quidem non amans duntaxat, ſed & amor eſt, & ſolam à nobis amoris vicem exigit: quidni redamemus Amantem? quidni amemus amorem per ſe amabilem? quidni illius amore langueamus, qui noſtrûm amore in arâ langueſcit? quidni ego tibi, bone Ieſu amor meus ſuauiſſime, cum tuæ matris amaſio dicam: *Pro his ita ſum amans te, quantum poſſum, ſed eſt quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit, ſuper omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Ieſu bone, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vindicat totum ſibi; hoc eſt quod noſtram deuotionem & blandius allicit, & iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.* At quorſum ex Euchariſtico Calice mihi Ieſus amabilior, niſi quod ibi mei amore totum ſanguinem pius Pelecanus effudit: quo meum ſcelus ablueret, vulnus curaret, & exanimem animam ſua morte myſticâ ſæpius animaret. Ad quem proinde hanc Angelici Doctoris orationem meritò dirigere liceat in rithmo Euchariſtico.

Piè Pelecane Iesu Domine
Me immundum munda tuo sanguine,
Cuius vna stilla saluum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Nec vereor, ne mihi se subtrahat, quandoquidem exhaustis, vt ita loquar, repetito in dies sanguinis effluxu viribus languidus, in Sacramentalium nidulo specierum iaceat. *Nimio immotus amore.*



EMBLEMA XXX.

PAVXIS AVIS INDICA GEMMAM MIRABILEM ORE PROCREANS.



Que cette bouche est glorieuse,
Dou Naist la pierre pretieuze.

GEmmiparens volucris, cuius torcoide rostrum
Splendicat, eximium fundit ab ore iubar.
Hinc reliquis auibus, quas ptocreat India, præstat,
Orbis & ipsa noui Nobile prodigium est.

APODOSIS.

Christus Erythræis corpus præstabile gemmis
Ore sacro, instanti mortis agone parit.
Quo splendore, quibus radiis diuina refulsit
Gemma! quod afflauit mentibus illa iubar!
Quas in Apostolici feruentia corda senatus
Aethereæ flammæ est eiaculata faces!
Hâc equidem gemmâ, nec nobiliore niteret,
Inclyta gestaret si diadema Trias.
Dummodo eâ potiar, superûm vix curo coronas:
Vnica cœlitibus præualet aureolis.
Pauper es? ore Dei pendentem suscipe gemmam:
Non eget, immensas qui tenet orbis opes.
Hac Deitas, hac tota Trias, totusque theander
Clauditur, illius munere diues eris.

FONS EMBLEMATIS.

NOn est prætereunda, inquit Franciscus Hernandes in suâ Indiarum historiâ à Nierembergio relatâ, auis illa ad regem Philippum secundum à Margaritâ insulâ missa. Erat in hac aue insigne ac peculiare tumorem quemdam radici rostri affigi, quâ parte erat tenuior, pici formâ, lapidis duritiâ & cæruleo colore, qualis esse solet lapidis Cyanei, aut vocati Torcoidis.

INTERPRETATIO.

1. PAuxim inter omnes Americæ volucres agnatâ radici rostri torcoide celebrem & inclytam in hacce tabellâ consideranti mihi, subitò venit in mentem amabilis Iesus adorandam humanitatem qualibet gemmâ pretiosiorem ore suo pariens sub speciebus Eucharisticis, hoc est inæstima-

bilem proprij corporis torcoidem, consecratoriis verbis ex ore diuino prodeuntibus quotidie reproducens in aris, ad Angelorum & hominum admirationem. Quis enim gemmarum princeps adamas, quis vnio, quæ torcois, huic gloriosæ carni comparari queat, quæ tota Deo delibuta, tota diuinæ hypostaseos affinitate deificata, triumphalem Empyrei curiam quatuor gloriæ dotibus illuminat, & sacraria nostra secretâ luce perfundit? Mira quidem huic Indicæ volucri virtus à naturâ indita est, vt ex redundantiâ cibi purioris lapillum pretiosum rostro adhærentem procreare possit, qualem & conchis margaritiferis vim inesse constat, vt roris guttulas quibus aurorâ surgente nutriuntur, natiuo calore in vniones transmutent: at longè mirabilior Christi potentia, quâ bucellam panis, in propriæ carnis torcoidem innumeris gloriæ fulgetris radiantem stupendâ transsubstantiatione conuertat. Et verò si ea naturæ vis insit, vt alimoniam transformet in gemmam: *Quid dicemus* inquit, appositè S. Ambros. l. de iis qui initiantur myster. c. 9. *de ipsâ consecratione diuinâ, vbi ipsa verba* Domini *Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit* Christi *sermo, vt species mutet elementorum?* De *totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt; sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare naturas.* Et infrà: *Ipse clamat* D. *Iesus, Hoc est* Corpus *meum, ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem* Corpus *Christi significa-*

tur, ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.

2. Habemus igitur inæstimabilis pretij torcoidem ex ore dominico prognatam, pretiosam videlicet ipsius carnem inenarrabili gloriâ circumfusam, consecratorio sermone, diuinitus in altari reproductam. Quòd enim illam Seruator consecrationis verbo substantialiter in Sacramento reproducat verius æstimant illustriores Theologi: quippe si rem extinctam potest iterum eamdem numero producere, quòd eam semper in omnipotentię sinu contineat; cur Corpus suum in cœlis existens, nequeat in aris reproducere? nec enim illius potentia primâ ipsius in vtero virginali productione exhausta fuit & effœta; nec existentia quam eidem in cœlis impertitur, impedit quo minus eamdem in Sacramento conferat. Siquidem in quolibet omnipotentiæ diuinę sinu, innumera latent cuiusuis speciei indiuidua, & quodlibet indiuiduum infinities, vt possit illud idem numero quoties voluerit variis locis & temporibus procreare; adeò vt etsi re ipsâ sit vnum, nihilominus vi stupendæ istius replicationis virtute multiplex censeatur, quod diuersis ęquipolleat indiuiduis, & rerum distinctarum obeat munia, siue dissita occupando spatia, siue contraria in iis operando, vel patiendo, siue demum in vno loco desinendo per conseruatiui substractionem influxus, etsi in altero integrum & inuiolabile perseueret; vti reipsa Corpus Dominicum in Sacramento corruptis speciebus esse desinit, quamuis immutatum in cœlo persistat. Etenim admissâ substantiali huiusmodi Corporis reproductione

facilius intelligitur admirabilis illa Panis in illud conuerſio, quam Tridentinum emphaticè tranſſubſtantiationem appellat, cum ſubſtantifico diuinę poteſtatis influxu, ſub accidentibus, ad modum ſubſtantiæ, ſine tamen vllâ inhæſione collocetur; & aliunde nulla vis ſanctorum Patrum teſtimoniis infertur, dum Chriſti Corpus à Sacerdotibus confici, fieri & creari conſonanter ſcribunt, vt Tertull. l. 4. contra Marcion. Ambroſ. loco ſupra citato & Author ſer. in Cœna Domini, denique Damaſcenus l. 4. de fide c. 14. In hac enim Sententia reapſe conficitur & creatur conſecratorio ſermone concurſu ita efficaci, vt ſi ſecundùm eſſe naturale in cœlo non exiſteret, virtute huius ſubſtantifici influxus in altari produceretur ex nihilo, ac proinde veriſſimè crearetur ad verborum prolationem. Ita diſertè Author ſermonis in Cœnâ Domini, qui præmiſſis conſecrationis verbis, ſubdit: *Ante illa verba cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat: ſed ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus; quotieſcunque his verbis, & hac fide actum eſt, panis ille ſubſtantialis & Calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens.* Vbi pretioſi corporis gemmam ore & ſermone Domini reproductam ſatis euidenter agnoſcit.


3. Neque verò ſolum ibi corpus quatuor gloriæ dotibus rutilum, ſoluſue ſanguis murice fulgidior ponitur, ſed & anima Chriſti cum omni ſcientia-

rum, virtutumque ornatu, omnibusque tum gratiæ, tum gloriæ dotibus insignita virtute eiusdem creatiui concursus reproducitur, ne quid agnatæ ori Christi gemmæ desit ad splendorem & venustatem. Plurimum enim illius pretio, & mysterij huius dignitati detraheretur, si corpus inglorium, exangue & exanime ibidem reponeretur. Quôque huiusce incompatabilis gemmæ valor in infinitum excrescat, vnio hypostatica totius humanitatis secum Verbo, totam Deitatem, Trinitatemque secum aduehens, eodem omnipotentiæ influxu pariter reproducitur; cui suum nitorem præcipuum mystica Eucharistiæ torcois potissimum debet. *Meo Thesaurus ab ore.*



EMBLEMA XXXI.

AVIS PENNIPVLCHRA MALENS EMORI, QVAM POLLVI.



Iaymerois mieux perdre la vie,
Que ma beauté me fust rauie.

PEnnarum volucris miro famosa nitore
Sponte perit. spolij ne violetur honos.
Si visco extremam tantillum illeuerit alam,
Integritatis amans se sinit ipsa capi.

Munditiæ præfert vel libertatis amorem:
Dulce decorumque est gloriæ amore mori.

APODOSIS.

Sacrilegum quoties inuictus, Christe subintras
Pectus, & in spurcas incidis ipse manus.
Si tibi spurcitiæ, tormentorumue daretur
Optio, præferres vincula, flagra, crucem.
Munditiæ cupidus quæuis extrema subires,
Ne decor intereat quo caro munda nitet.
Immarceßibilem peperit tibi prima nitorem
Paßio, dura nimis probra, secunda parit.

FONS EMBLEMATIS.

AVes pennipulchræ eam, naturâ duce, suarum diuitiarum cognitionem habent, vt visco tantillum hærentes sistant, neque contorqueantur, vt plumis suis nullo detrimento sint. Cuius pulchritudinis tantus est amor; vt melius ducant capi atque occidi, quam pennarum integritati, dum libertati student, minimè parcere. Ita Hernandes in Paralipomenis notationibus apud Nieremberg. l. 10. c. 65.

INTERPRETATIO.

1. QValem munditiem exigat purissimus Agnus Eucharisticus, quantumque vel à leuissimis sordibus abhorreat nemo diuinius explicat, quàm D. Dionysius c. 3. de Eccles. Hierarchia, vbi subtiliter expendens, cur adstans altari Pontifex digitorum extremitates aquâ mundissimâ abluat, ita scribit: *Adstans coram Symbolis sanctissimis Pontifex aquâ manus abluit, vnà cum Sacerdotum ordine venerando. Nam qui lotus est, vt eloquia testantur,*

non opus habet aliâ, quàm summitatum seu extremitatum suarum lotione, per quam vtique supremam munditiem fiet, vt diuinissimo præditus habitu deiformitatis, dum ad sequentia quoque benignè procedit, liber futurus sit, & expeditus, quippe prorsus vniformis, & ad vnum rursus vnitiuè conuersus, immaculatam simul & intemeratam suam faciet conuersionem, tanquam qui deiformitatis suæ plenitudinem & integritatem seruet. Nempe qui lotus est, scelerisque purus, non indiget nisi vel vt extremos digitos vel pedes lauet, id est vt minimas imperfectionum labeculas, quæ pulueris instar animæ solent affectibus adhærere omnino eluat: Vnde Saluator Apostolorum pedes abluit, antequam eos ad sui Corporis & Sanguinis communionem admitteret; ideoque extremorum digitorum ablutio, quæ diuinis à Sacerdote præmittitur mysteriis, satis eidem insinuat extremis animæ phantasiis expiatum ac deiformitatis niueâ stolâ vestitum ad tremendum accedere debere sacrificium; sic enim clarioribus Dei absconditi radiis afflabitur; puriorique diuinæ charitatis flammâ succendetur. Enimverò si Sacerdotem consecraturum leuibus peccatorum venialiũ sordibus emaculari deceat, quâ ratione mortali crimine conspurcatus ad altare præsumet accedere, & Virginalẽ Domini carnem Venereis violare ac contaminare spurcitiis? immaculato siquidem agno quæuis pollutio ipsâ quam pro nobis pertulit morte longè grauior est, adeò vt nisi gloriosi corporis obstaret immortalitas; iterum emori mallet, quàm pestifero pollutæ mentis halitu coinquinari.

2. Et quidem prima ratio qua moueri potest vt sacratissimæ carnis conspurcationi mortem præferat, ea esse potest, quod passionis suæ merito pec-

catum abstulerit, suo cruore sordes nostras abluerit, & mortem nostram moriendo destruxerit, vnde inuictissimo mortis triumphatori gloria & honor immortalis accessit. Sic enim Chrysostomus hom. 2. in Symbol. tom. 5. vbi quærens quæ passus sit Dominus, respondet: *Vt, quia nos in transgressione per Adam primum hominem mortui eramus, in patibulo crucifixi resuscitaremur.* Cui subscribens Ambrosius præfatione in Psal. 35. exclamat. *Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit! beata caro Domini quæ victum omnibus ministrauit!* Quidni igitur mors Christo sit optabilior, Sacramenti pollutione, ac communione sacrilegâ, cum morte suâ peccatum omne deleuerit & extinxerit, quod ad nostram perniciem horribili sacrilegio reuiuit; quidni mors ei desiderabilior quæ gloriam peperit, quàm corporis inquinatio quę ignominiam?

3. Secunda ratio est, quod per mortem suam Dominus nos mortales, non solum immortales, sed & deos effecerit. Non id fingo, sed à sanctis Patribus traditum profero. Quippe sæpius à me laudatus Chrysostomus Hom. 6. de Feria 5. Passionis id disertis asserit verbis: *Quare displicet si Christus de sinu Patris, de deitatis secreto ad nostram seruitutem venit, vt nos suæ redderet libertati; nostram mortem suscepit, vt nos eius morte viueremus? quandoquidem per despectum mortis mortales in Deos retulit, nos cœlestibus æstimans; & quomodo Deus Christum ad iniuriam vocat tantam, sic homines tantam tollit & extollit ad gloriam.* Suffragantur Nazianzenus orat. 40. in sanctum baptisma docens. *Ex virgine Mariâ progressum totum hominem, eumdem & Deum, pro toto homine læso, vt totâ peccati condemnatione resciſsâ tibi toti salutem afferat, impatibilem Diuinitate, pa-*

tibilem assumptæ humanitatis ratione, tantùm hominem propter te effectum, quantùm tu propter illum Deus efficeris. Nempe cùm Dei Filius propter nos factus homo, seiunctâ crucis supplicio à corpore animâ, desiit esse verus homo: homo tunc primum incœpit esse Deus, suscepto deiformitatis habitu, quasi nostra humanitas non posset ad diuinitatis euehi dignitatem nisi ipsa diuinitas mortis falce dissolutam amitteret aliquatenus humanitatem. Optabilior proinde Redemptori illa mors, quæ mortales homines in Deos immortales transmutat, quam indigna communio quæ trisulco triplicis mortis iaculo sacrilegos transfodit & occidit, dum corpori & animæ mortem infert, & demum impœnitentes æternæ mortis cruciatibus addicit.

4. Postremà tandem ratio, vi cuius mors pollutioni præferenda esset, ea est, quod mediator Dei & hominum homo Christus Iesus suæ mortis meritò reconciliauerit ima summis, suique cruoris glutine Deum homini copularit. Aperte Theophylactus orat. de adoratione Crucis: *Crux*, inquit, *ad conditorem Christum adducit cœlestia, subterranea, & terrestria, ab ortu solis vsque ad occasum, vt non sint amplius duo creaturarum genera, Angeli & filij hominum, quædam in cœlo, quædam in terrâ, quædam prope, quædam longè, sed vt iam sint vna creatura omnium qui in Christo renouati sunt.* Proinde nihil Domino pacis & vnitatis amatori eâ morte iucundius obtingere potuit, quæ Deum homini, terrenis superna reiunxit. Contra verò quid indignâ Sacramenti perceptione eidem regi pacifico potest esse detestabilius, quæ communionis specie, soluit vnionem, animam à suo tum conditore, tum redemptore seiungit, ictum violat fœdus,


cælestibus

cæleſtibus Poteſtatibus bellum indicit, vt cum inferis paciſcatur ? ô malé prognatam ex communione diuiſionē! ô monſtroſum Sacramenti vnitatis partum! ô quam abſimilem ſuæ Parenti ſobolem! Quid aliud ſpirat Euchariſtia quàm pacem, concordiam, charitatem? quî fit igitur vt ſacrilegus per dilectionis oſculum, & pacis vinculum, inferat bellum? his itaque de cauſis nemo dubitet Agnum Euchariſticum adeo ſui nitoris, ac integritatis ſtudioſum eſſe, vt venereis ſordibus glorioſam tot titulis mortem præponat; malitque rurſus mori, ſi beatæ humanitatis ſineret immortalitas, quàm ſacrilegæ Communionis viſco contaminari. *Illi grauior Pollutio morte.*



EMBLEMA XXXII.

TVRDVS CHIAPPÆ PINVS ROSTRO PERFORANS GLANDESQVE INSERTAS COMEDENS.



TVrdus vbi Pinum transfixit acumine rostri,
Eruit inflictis pabula vulneribus.
Deuorat insertas terebrato in cortice glandes;
Dulcius è plagis esca petita sapit.

APODOSIS.

Sacra Redemptoris deicidæ membra forarunt:
Hisce foraminibus nobilis esca latet.
Omnis homo deicida, suo quia funeris author
Crimine: sola Deum culpa necare potest.
E Cruce pendenti peccator adhæreat, olli
Suggeret Angelicas plaga vel vna dapes.
Transfixo cedunt regalia fercula cordi,
Suauior ambrosiâ est vulnere gutta fluens.
Consummatum epulum lateris dat vulnus hiulci,
Corde famem sedat, rore rubente sitim.

FONS EMBLEMATIS.

GEnus turdorum Chiappam incolit quos vocant passeres fabros, fructu quercino vescuntur, rostro perforant corticem pinuum, glandem singulis foraminibus aptissimè accommodant, vt manu ab Indis extrahi nequeat; sic omnem pinum ornatissimè cingunt glandibus incisis; mox pedibus hærentes cortici, tundunt rostro glandem, & suauiter vorant. Ita Nierembergius l. 10. Natur. histor. c. *66*.

INTERPRETATIO.

2. NOn oratoria quædam hyperbole, sed solida fidei veritas est, omnes homines Christicidij reos esse, ac Dominicæ mortis conscios; nullus est ex Adæ posteris, qui manus suas non lauerit in sanguine Saluatoris, nullus qui vulneribus inflictis, totum eius cruorem non effuderit, nullus qui cum hostibus Iudæis non exclamauerit; *Crucifige, crucifige eum*: Verissimè quippe de omnibus hominibus intelligi debet, quod de astanti-

bus turbis ſcriptum eſt: *Clamauerunt omnes, crucifigatur.* Etenim ſi per vnius hominis delictum, Apoſtolo teſte, omnes mortui ſunt, pro omnibus vtique mortuis Chriſtus non ſolum vulneratus, ſed & mortuus eſt, qui non eſt mortuus, niſi pro mortuis: igitur quotquot originali noxâ mortui ſunt, (omnes autem mortui ſunt) deicidij conſcij ſunt, verbo dicam, omnes Chriſticidæ. Nemo proinde ſibi falsò perſuadeat ſolos carnifices clauos in Domini manus pedeſque ſacratiſſimos malleis adegiſſe, ſolumue Longinum lanceâ latus eius aperuiſſe, plagas huiuſmodi omnes inflximus, quoniam ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: tolle ſcelera, tollis & vulnera; nulla ſiquidem eſſet vulnerum neceſſitas ſi nulla foret hominum iniquitas, vt ideò planè neceſſarium Adæ peccatum Eccleſia cenſeat, quod Chriſti morte deleretur. Hoc præcipuus innocentis Domini tortor, deicida vnicus, verus Chriſticida, cum altâ voce profiteatur Pater ſe propter ſcelus papuli Filium percuſſiſſe plagâ mortali. Quod adeo in fidei principiis indubitatum eſt, vt Zachariæ 13. interrogatus Dominus: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Reſpondeat: *his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me*, vel vt vertit Arabicus Alexandrinus: *Euenerunt mihi de domo dilecti mei*, populi nimirum Iſraëlitici, quem præ reliquis gentibus diligebam, quique ſe præcipuum Meſſiæ cultorem venditabat. Quæ quidem circunſtantia plagas ipſius non mediocriter acuit, quod longè grauius & atrocius videatur ab iis quos vnicè diligis, quique te diligere profitentur, ſauciari, & laniari. Amor enim, vbi in furorem tranſit, ſummopere crudelis eſt, vt

ex vino suauiori, si semel corruptum fuerit fit acetum acrius, & mordacius.

2. Verum vt turdi Chiappæ glandes factis foraminibus insertas suauissimè comedunt, & ex arborum, vt ita loquar, plagis alimenta eruunt maiori cum voluptate: sic fideles ex adorandis Iesuanæ humanitatis cicatricibus cœlestem depromunt alimoniam, & puppulorum instar in materna irruentium vbera, linguam sacris infigunt vulneribus, vnde simul cum cruore sugunt lac delectationis æternæ. Nisi enim è diuinis vulneribus animæ cibum eruerent, non diceret Augustinus Christum inter & matrem Virginem medius: *Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab vbere: positus in medio, quò me vertam nescio.* Nisi sacrosanctæ cicatrices promptuaria forent cibum & potum affatim suggerentia, ad famescentis Ecclesiæ saturitatem, non in iis sanctiores animæ stabile domicilium elegissent, vt elegerat sanctus Ariani Comes Elzearius iis ad Delphinam coniugem rescribens verbis, referente Surio: *Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi: ibi enim habito, ibi me reperies, frustra alibi quæsitura.* Manante igitur ex hiulco Christi corde, sanguine nutriebatur; nec enim tamdiu in eo vulnere degeret, nisi ibidem vnde pasceretur inueniret, ne defectu pabuli interiret. Et verò diuini cruoris ambrosiam, seu vinum germinans virgines ad sobriã fidelium ebrietatẽ fluere nullus ambigit; dubitari verò posset an etiam ex sacris vulneribus frumentum electorum eruatur ad satietatem? quidni autem ab iis liceat illud depromere? quandoquidem nisi peccatores supra Domini dorsum arassent, fœcundamque ipsius carnem scorpionum vomere sulcassent, Eucharisticum triticum, quo ad


immortalitatem alitur Ecclesia, non haberet. Eapropter Christus de suis apud Dauidem differens vulneribus, nunc ait: *supra dorsum meum arauerunt peccatores*; nunc: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, nouâ sanè & hactenus inusitatâ metaphorâ; sulcatur enim & aratur tellus, non corpus; foditur ab aratore terra triticum receptura, non pedes & manus. Verùm non absque mysterio propriis agriculturæ terminis plagas sibi à peccatoribus inflictas expressit, vt nos è cruentis humanitatis laceræ sulcis Eucharisticum pullulasse triticum, & ex vulnerum fossâ tellure auream altaris prodisse segetem edocerit; ne quis deinceps ambigeret copiosissimam annonam è cicatricum promptuariis depromi.

3. Cùm igitur ex sacris vulneribus, quæ meis criminibus innocenti Domino intuli, frumentum & vinum annonamque copiosam depromere mihi liceat, quidni turdo Chiappæ ab angustis foraminibus pabula eruenti similis censear? Quidni in latis cicatricibus fercula reperiam regiis lautiora? *Regia quippe*, inquit, Bernardus ser. in Cœna Domini, *ibi sumuntur fercula, & accuratiori arte diligentius præparata, deliciosa multum ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia verò ad medicinam. Primum itaque ferculum est obedientia filialis, habens humilitatem in corde, patientiam in ore, perseuerantiam in bono opere; de quâ Christus dicit; Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Secundum ferculum est paupertas spiritalis quam tria constituunt, depositio rerum & contemptus, vilitas & abiectio sui ipsius, abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Hanc paupertatem Chtistus docuit verbo, consecrauit exemplo. Tertium ferculum est mors Christi reuerenda, præ omni-*

bus Sacramentis affectuosa: in hoc enim Sacramento pietas magis enituit, gratia plus refulsit, Charitas amplius radiauit. Hæc ſunt eximia fercula, quibus anima in ſacris ſponſi deliteſcens vulneribus alitur ad immortalitatem. Vnde idem Doctor concludit: *Tu itaque qui ſedes ad menſam diuitis, ferculis quæ præmiſimus appoſitis teipſum ſubijciens, non negligenter, ſed diligenter attende quæ apponuntur tibi, & ſcito, quoniam talia oportet te præparare compatiendo, commoriendo, & conſepeliendo. Dignum eſt enim & tibi multum expedit, compati, commori, & conſepeliri paſſo, mortuo, ſepulto. Hoc eſt celeberrimum & regale conuiuium, in quo iuſti epulantur, & exultant in conſpectu Dei, & delectantur in lætitiâ.* Hæc carptim ex mellifluo Doctore, quibus liquet in adorandis Chriſti vulneribus regale piis animabus inſtructum eſſe epulum, ex ſuauiſſimis virtutum omnium ferculis in quo Chriſtianus. *Ab inflictis depromit pabula Plagis.*

EMBLEMA XXXIII.

CORVVS PISCATOR LIGATO GVTTVRE PRÆDA SVA FRVI IMPOTENS.



Corue quid infelix adeo piscando laboras?
Nec stomacho condis, quem rapis ore, cibum?
Scilicet ingluuiem constrictus fune, famescis;
Quæque paras aliis, haud alimenta capis.

APODOSIS.

Mortalis sceleris religatus fune Sacerdos,
Condere corde nequit, quem capit ore, cibum.
Cælestes epulas populo sermone potenti
Præparat, ipse fame discruciatus obit.
Vtilis externis sacræ confectio carnis,
Proh dolor! authori est perniciosa suo.
Nempe saginari constrictus crimine nescit,
Cordis ab arce fugat, quem trahit ore, Deum.
Quàm metuenda fames, hac implacabilis escâ,
Vnde Triumphalis viueret aula Poli!

FONS EMBLEMATIS.

HAbet rex Sinarum, in omnibus vrbibus iuxta flumina sitis, quædam ædificia, in quorum singulis multi marini corui aluntur, quorum operâ piscatio peragitur, his mensibus quibus pisces suos fœtus ediderunt. Eductos enim ex illis ædificiis coruos ad fluminum ripas transferunt, in quibus multas scaphas piscatorias, mediâ ex parte, aquâ plenas habent; quibus in orbem dispositis singulis singulos coruos adiudicant, hos deinde sub alis longo funiculo alligant, eorumque guttur siue ingluuiem alio funiculo adstringentes, ne pisces captos vorare queant, in aquam proiiciunt ad capiendos pisces: quod adeo auidè exequuntur, vt admirationem pariat. Nam magnâ celeritate sese mergentes, atque sub aquâ tantisper morantes, donec ingluuiem à rostro ad pectus vsque implere queant, deinde emergentes ad scaphas redeunt, in eas captos pisces reiiciunt, illicò ad piscationem reuertentes. Ita Mendoza Augustinianus.

INTERPRETATIO.

1. PEr coruum piſcatorem, conſtricto fune gutture, piſcatione ſuâ frui impotentem, ac in tantâ piſcium copiâ, quos ardenti ſtudio captos in ſcapham egerit, miſerè fameſcentem, Sacerdotem mortalis alicuius culpę vinculo ligatum adumbrari nemo non videt: qui licet plures in altari conſecret hoſtias, fidelibus ſacræ menſæ accumbentibus porrigendas; nihilominus tot inter alimenta cœleſtia quæ numeroſæ plebi nutriendæ ſufficiunt, infelix eſurit, quia ſceleris admiſſi catenâ reuinctus, illis quas adſtantibus præparat & porrigit, epulis minimè ſaturatur, vtpote prorſus incapax fructus ipſius Sacramenti. Verè ſiquidem dixit Author ſermonis in Cœna Domini, apud Cyprianum: *Sacramenta quidem, quantum in ſe eſt, ſine propriâ virtute eſſe non poſſe, nec vllo modo diuinam ſe abſentare maieſtatem myſterijs: ſed quamuis ab indignis ſe ſumi, vel contingi Sacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit.* Quia verò gratiæ ſpiritalis nequeunt eſſe participes, propriâque indignitate tanti ſe fructu myſterij priuant, hinc inter Sacramentales epulas ante ora patatas, non regifico duntaxat, ſed diuino luxu fame diſcruciantur: Nempe culpa mortalis cuius ſibi conſcij ſunt quaſi

Furiarum maxima iuxtà
Accubat, & manibus prohibet contingere menſam.
Virg. 6. Aeneid.

Sacerdos igitur tam indignus, quam dignus, Populo cœleſtem parat alimoniam, nec enim nocet malus miniſter vbi bonus eſt Dominus, quamuis

ſuo innodatus crimine, ieiunus inter epulas perſeueret. Non ſum neſcius D. Thomam 3. p. q. 82. a. 5. ſibi hæc verba Hieronymi ſuper Sophoniam obiicere: *Sacerdotes qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & Sanguinem populis diuidunt impiè agunt in Chriſti lege, putantes Euchariſtiam peccantis verba conficere, non vitam.* Vbi non tam verbis Sacerdotis, quam vitæ eius ac ſanctis moribus, vim Euchariſtiæ conficiendæ videtur attribuere. Verum non id eo ſenſu dixit, quaſi verba conſecrationis ab impio Sacerdote prolata ſuper ſymbola panis & vini, ex iis Corporis & Sanguinis Chriſti conficiendi non eamdem vim habeant, ac ea quæ à digno ſanctoque proferuntur: ſed quod etſi vterque verè Corpus Chriſti conficiat, illud nihilominus impio Euchariſtia non eſt, hoc eſt, bona gratia, imo potius ſubſtractio gratiæ, quod illud indignè conficiendo nouum admiſerit ſacrilegium gratiæ deſtructiuum.

2. Quemadmodum ergo coruus piſcator, faucibus licet fune conſtrictis, propterea piſcari non deſinit, & vaſtam implere captis piſcibus ingluuiem, quos in ſcaphas egerit ad hominum nutritionem: quanquam iis ipſe nutriri nequeat, fune, ne eos in ſtomachum traiiciat & digerat, præpediente; ita pari ratione miniſter ſacrilegus Euchariſtiam verè conficit, & diuiniſſima adſtantibus Chriſtianis præparat fercula, quibus ad vitam immortalem aluntur, etſi ſcelere conſtrictus, iiſdem nequeat ſaturari, vtpote quòd illa veræ pietatis ac reciprocæ dilectionis calore vitali digerere & concoquere non poſſit. Sacramentum quidem, non ſecus ac alij, tum ore, tum pectore ſuſcipit: attamen non proprie comedere cenſetur, quia comedendo nullatenus ſatiatur. Quò ſpectat illud quòd Marci

3.20. ſcribitur: Et *veniunt ad Dominum, & conuenit iterum turba, ita vt non poſſint neque panem manducare.* At quare non poterant manducare panem? videlicet quia turbâ comprimebantur. Quid verò comprimens turba deſignat, quâ fit vt in annonæ paniſque copiâ fameſcant, niſi crimina quæ fauces animæ adeo conſtringunt, vt panem Euchariſticum deglutire non poſſit? Audi Hieronymum à D. Thoma in catenâ relatum, *Turbæ quæ impediunt panem manducare, peccata & vitia ſunt: quia qui manducat indigne iudicium ſibi manducat.* Quid ais, Doctor ſancte? Vitiorum, inquis, tubæ impediunt panem Euchariſticum manducare? Vnde id probas? quia, ſubdis, *Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat?* Quid iſtud eſt? non manducant panem, quia manducant indignè? probas ergo eos non manducare, quia manducant? egregia reſponſio ad rem quam verſamur valde accommodata: quippe ſacrilegi ſcelerum funibus innodati Panem Euchariſticum manducando propriè non manducant, quoniam indignè manducant, & quaſi corui piſcatores cibum quem capiunt, deuotionis feruenti ſtomacho digerere non poſſunt, inter alimenta famelici, quia ſceleris fune conſtricti.

3. Talis erat monachus ille Claraualleniſis, de quo l. 2. vitæ S. Bernardi c. 12. ita ſcribitur: *Agebatur quædam ſolemnitas præcipua, & frater aliquis quem ſanctus Abbas, pro ſecretâ culpâ altaris ſacri communione ſuſpenderat, notari timens, & ruborem non ſuſtinens, ad manum eius cum cæteris nimium præſumptuoſius acceſſit. Intuitus autem eum, quoniam cauſa latens erat, repellere hominem noluit, ſed intimo corde orabat Deum, vt de tantâ præſumptione melius [aliquid ordinaret. Itaque ſumens homo Euchariſtiam, non*

poterat ad interiora traijcere, & diu multumque conatus, cum nullo modo præualeret, anxius & tremebundus clausam ore seruabat. Expletâ denique horâ orationis sextâ, Patrem sanctum traxit in partem, cuius pedibus aduolutus, cum multis ei lacrymis quod patiebatur aperuit, & aperto ore, ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absoluit, & sine difficultate recepit Dominica Sacramenta. Quid ad rem nostram opportunius? verè siquidem Monachus iste censuræ vinculo in pœnam culpæ secretioris innodatus nunquam sacratissimam hostiam deglutire potuisset, nisi ab hoc absolutus vinculo fuisset, ac proinde infelix anima pane diuino destituta breui fame interiisset. Proindeque iure dicere poterat. *Inter pabula vinctus esurio.*



EMBLEMA XXXIV.

ACCIPITER AVIS CAPTÆ CORPVS LANIANS, CORDE ABSTINET.



ABstinet accipiter laniatæ corde columbæ,
Corpore forte satur, corde recusat ali.

APODOSIS.

Simplici & innocuo Iesus ut corde columbam,
Impius accipitrem sic feritate refert.

Mite licet corpus laniet, non corde fruetur:
Non nisi diuinus corde potitur amans.
Hunc tantum laniena manet, vel iniqua cruoris
Fusio, nec dabitur cordis amore frui.
Corpore ali nihil est, nisi corde fruare; vis ergo.
Viuere corde Dei? viue in amore Dei.

FONS EMBLEMATIS.

ACcipiter auium quas ceperit cor nunquam edit; idque nonnulli in coturnice & turdo, alij in aliis obseruarunt. Ita Aristoteles, quem sequitur Ælianus l. 2. de Animal. c. 42. auditione accepi accipitres sæpe numero contra aquilas & vultures pugnare, à cordibus tanquam sacro quodam initiatis se abstinere: Numquam enim auium corda tanquam religione quadam constrictos edere.

INTERPRETATIO.

1. MEmini S. Zenonem Veronensem alicubi Dominum iis matrem Virginem alloquentem verbis inducere: *Excordasti me*, hoc est, meum mihi cor, ô mater, rapuisti. Siue per Domini cor, Spiritum sanctum intelligere voluerimus, Patris & Filij, cor & amorem reciprocum, quem ex flammeo vtriusque sinu, suum in gremium humilitatis & virginitatis illecebrâ virgo pertraxit, siue potius ipsiusmet filij singularem beneuolentiam & amorem, quem sibi mater in æternum obstrinxit: cor enim sicuti sedes amoris est, ita pro amore passim vsurpatur. Virgo igitur amabilem filium excordasse dicitur, dum & Spiritum sanctum in sinum virginalem allexit, cuius purissimo ardore fœcundata Deum conciperet; & ipsiusmet quem conce-


perat Dei ſibimet cor & amorem comparauit. Pari ratione Dominum in ſacrâ ſynaxi Chriſtianus excordat, qui reciprocâ dilectione ſuccenſus, cor & amorem ipſius ſibi conciliat, quo veluti delicatiori ac planè diuino cibo nutriatur. Cum enim Euchariſtiam veram cordium alimoniam fideli feruidoque corde ſuſcipiat, Domini corpus edendo, ipſum excordat. Quod ſubtiliter obſeruauit Auguſtinus expendens illud Pſal. 21. 27. E*dent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.* Cur Euchariſtiam edunt pauperes, id eſt, mites & humiles corde, & edendo ſaturantur, & ſaturi laudant Dominum, & laudando iterum requirunt, quem comederunt, & à quo ſaturati ſunt? cur demum (quod ſignanter Pſaltes addidit) corda eorum Dominici cordis adipe ſaginata, viuent in ſæculum ſæculi? Audi ſanctiſſimi Doctoris reſponſum: *Nam cibus ille cordis eſt.* Si cordis duntaxat Euchariſtia cibus eſt, igitur eâ ſolus ille ſaturatur, qui fideli ſuſcipit corde. Ergo ſolus ille Saluatorem excordat, ac diuino ipſius corde paſcitur, qui eiuſdem amorem mutuo amore promeretur. Ergo væcordes ſacrilegi carnem ipſius laniando, corde non paſcuntur, nec edendo ſaturantur, nec eorum corda viuunt in ſæculum ſæculi, quia carentes amore, carent & corde, ac proinde Euchariſtiâ nutriri non poſſunt, quæ ſolius cibus eſt cordis, ex Auguſtino.

2. Ad ſummum itaque velut accipitres, amabile Chriſti corpus, ſcelerum vnguibus diſcerpunt; at diuino ipſius corde ſaturari nequeunt; quod ſolo cordis ore, id eſt, amore, manducari poteſt, os habent quo ſacram agni carnem lanient, cor vero non habent, quo eamdem ſolius cordis alimoniam excipiant.

cipiant. Iuſti autem & pauperes ſpiritu, quia nullo ſcelere corpus Domini diſcerpũt, ideo eiuſdem corde non ſolum veſcuntur, ſed & ſaturantur, quod puro feruentique corde Euchariſtiam cordium eſcam ſuſcipiant. Nimirum cordi diuini amoris iaculo transfixo ſuum os ineſt, quo Ieſuanum cor comedere poſſit. Quod eſt os cordis? aut hiulcum amoris vulnus, ad immortales gloriæ delicias auidius hians, aut potius amor caſtus & filialis, quo Deus propter ſe diligitur. Amore filiali quicunque Sacramentum ſuſcipit, cordis ore comedit; amore porro filiali ſuſcipit, qui Dominum eo modo diligit, quo diligi cupit. Deus verò cùm nos diligit, non aliud vult quàm ſeipſum diligi: quippe qui ob aliud non diligit, niſi vt viciſſim diligatur, ſciens illos amore beatos eſſe, qui ſe filiali amore dilexerint. Accedant itaque cordati pauperes, cordis os aperiant, amore caſto filialique diligant, ament, vt amplius ament, amantem redament; vt de iis veraciter dici poſſit. *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.* Quidni enim eorum corda viuerent in ſæculum ſæculi, quæ nutriuntur & viuunt corde Domini viuentis in ſæculum ſæculi? quidni Euchariſtia vita eſſet cordium, quæ ex Auguſtino cibus eſt cordium; cùm iis viuamus quibus veſcimur? Iuſtus igitur, quia non ſolo corporis ore, ſed cordis ore, hoc eſt, amore Sacramentum ſuſcipit, ideo puriſſimo Chriſti corde verè paſcitur & viuit. Sacrilegus è contra quia non corde, non cordis ore, non amore; ſed ore duntaxat, Euchariſtiam cordis eſcam excipit, Domini *Corpus lanians non corde potitur.*

EMBLEMA XXXV.

AQVILA CYGNÆA, INTER ALPINAS NIVES, E NIGRA SENSIM CANDESCENS.



Alpibus in summis, ubi nix hyberna perennat,
Præ niuis intuitu nigra niuescit auis.
Albor olorinus paulatim candidat alas:
Hinc cygnææ aquilæ nomen, & omen habet.

Sic in Hyperboreis coruus regionibus albet:
Tempore cui longo nix ſolet eſſe cibus.

APODOSIS.

Nix diuina caro eſt candentibus abdita velis,
Illius ex eſu, ſi niger, albus eris.
Pura ſibi ſimiles alimonia reddit alumnos,
Et fit olor niueus, qui modò coruus erat.
Vis Domino fieri ſimilis, candore niuali?
Crebrius altaris nix comedenda tibi.

FONS EMBLEMATIS.

ALbum genus aquilæ rarum eſt, inuenitur tamen aliquando in Alpibus, & rupibus, circa Rhenum, vt ſæpe experti ſumus. In Alpibus autem ſummis continuæ ſunt niues. Eſt autem hæc aquila alba niuei candoris, magnitudine aquilæ germanæ. Ita Albertus M. qui etiam teſtatur ſe monedulas, propter frigus regionis, albas vidiſſe. Gylbertus Longolius affirmat nullam eſſe raritatem in Nouergiâ coruum album videre. Ipſi, ait Perrotus, apud Alphonſum Siciliæ regem, dum Neapoli ſub Calixto Pontifice eſſemus, vidimus coruum ei à Rege Britanniæ miſſum, miro candore conſpicuum. Conſule Geſnerum in coruo lit. B. Teſtatur etiam B. Franciſcus Salenſis lepores Sabaudiæ hyeme niue veſcentes albeſcere, ac ſuæ ſenſim alimoniæ concolores fieri. Vnde ad rem Euchariſticam eximiam eruit ſimilitudinem.

INTERPRETATIO.

1. QVandoquidem Alpinæ Aquilæ, & Burgundiæ Sabaudiæque lepores niue victitantes ſenſim candeſcunt, ſuæque fiunt alimoniæ conco-

lores; quòd ea vis insit alimentis iis quæ aluntur suas imprimere qualitates, vt patet in iis qui delicatioribus assueti epulis carnis sunt mollioris, cum è contrà qui pane duntaxat, vel cibis solidioribus aluntur, sensim indurescunt, ac validioris sint neruosiorisque corporis: quid mirum si diuinum Eucharistiæ alimentum planè diuinos efficiat, quos sustentat, & miram iis imprimat deiformitatem? Nouerat Dei Filius similitudinem inter amantes amoris esse conciliatricem & matrem; vnde cùm nostrum amorem ambiret, nobis simillimus fieri voluit, vt nos deiformes, imo & deos homines faceret Deus homo. Initio quidem cum homo mutasset gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, & qui prius originali iustitiâ conspicuus, de Deo in paradiso nutriebatur, mox inobedientiæ reatu in pecudem degenerans, fœno vt alimento conueniente pasceretur, Dei Filius factus est fœnum, vt vel sic de eo viueret, vt his edisserit verbis Bern. ser. 25. in Cant. *Mutauit homo gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum: inde est quod panis Angelorum factus est fœnum, positum in præsepio, appositum nobis tanquam iumentis. Ergo cibus hominum mutauit se in similitudinem pecoris, homine mutato in pecus.* Reuera fœnum factum est verbum, cùm carô factum est. *Omnis enim caro fœnum est*, clamat Isaias: at si voluit fieri fœnum, vt pecuini hominis congruum esset pabulum: nouerat tamen vim inesse pabulo, vt tandem pastum in pascentem transmutaret: quod maximè in Eucharisticâ mensâ præstare solet, vbi non solum humanitatis suæ fœnum, sed & latentem sub fœno diuinitatem porrigit in cibum, vt homo de pecuino fiat planè di-

uinus. *Hæc eſt enim differentia* , inquit S. Th. 3. p. q. 73. a. 3. *inter alimentum ſpiritale , & corporale , quòd alimentum corporale conuertitur in ſubſtantiam eius qui nutritur , & ideo non poteſt homini valere ad vitæ conſeruationem alimentum corporale , niſi realiter ſumatur : ſed alimentum ſpiritale conuertit hominem in ſeipſum , ſecundum illud quod Aug. dicit in lib. Confeſſ. quòd quaſi audiuit vocem Chriſti dicentem ſibi : nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ , ſed tu mutaberis in me. Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari , & etiam incorporari voto mentis.* Ac proinde homo diuinâ carne paſtus ; imo & diuinitate ſaginatus , ſenſim in ipſum, quo veſcitur , tranſmutatur alimentum.

2. Huiuſce concluſionis veritas è Paulino diſcurſu euidenter eruitur : ſic enim 1. Cor. 10. ratiocinatur: *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant , & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis Calicem Domini bibere , & Calicem dæmoniorum.* Cuius diſcurſus vim his verbis egregiè complexus eſt Clemens Alex. *Eorum enim qui ſeruantur, & eorum qui pereunt , ſeparata ſunt alimenta. Sed non eſt conſentaneum, vt ſint menſæ dæmoniorum participes , qui ſpiritali ac diuino nutrimento digni ſunt habiti.* Quaſi ſic argumentetur cum Apoſtolo : alia ſunt electorum, alia reproborum alimenta , quamuis vtraque vim habeant illos qui aluntur in eorum quibus hæc ipſa alimenta offeruntur , mores conuertere. Porro electorum alimenta , videlicet Euchariſtica , Deo viuo & vero offeruntur , ac proinde illos in Deum tranſmutandi ſingularem habent efficaciam. Alimenta verò reproborum dæmoniis offeruntur , adeoque qui idolothyta comedunt , dæmoniorum mores & indolem induunt. Ex quo conſequitur

Euchariſtiam non ſolum Deo conſecratam, ſed Deo plenam, diuinos plane reddere, quos paſcit. Id quidem dictum videretur arrogantius, niſi Doctorum humillimus Auguſtinus id prædocuiſſet. Expendens enim illud Pſal. 84. ſalutare tuum da nobis, ita diſſerit: *Iam quidem dedit nobis Chriſtum ſuum, quia dicimus illi; panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Et *quis eſt panis noſter, niſi ipſe qui dixit, ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi? dicamus illi, da nobis Chriſtum tuum. Dedit nobis Chriſtum ſuum. Dedit enim nobis Chriſtum, ſed hominem quem nouimus. Dedit hominem eum ipſum nobis, daturus eſt Deum, hominibus enim hominem dedit, qualis poteſt capi ab hominibus: dum enim Chriſtum nullus hominum capere poterat, factus eſt hominibus homo: ſeruat ſe Deum diis. An forte arroganter dixi? reuera arroganter, niſi ipſe dixiſſet: Ego dixi, dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Seruat ſe quidem Deum diis in patriâ, Deum vtique reuelatâ facie ſpeculandum; ſed in Euchariſtico epulo gloriæ pignore deos interim efficit virtute alimenti diuiniſſimi, ſuos in altorem alumnos tranſmutantis.

3. Ex dictis hactenus concludo, animam quæ prius Germanæ inſtar aquilæ, admiſſis nigreſcebat criminibus, ſenſim frequenti Euchariſticæ niuis eſu candeſcere, ſuæque fieri concolorem alimoniæ; quæ quidem excellentior ad dignam ſanctiſſimi Sacramenti ſuſceptionem cenſetur diſpoſitio, vt non verſicolor, ſed Chriſto planè concolor appareat, exactâ virtutum eius imitatione, ſi S. Ambroſio credimus l. 5. in Luc. cuius verba profero, quòd ex iis deprompta videatur noſtri Emblematis Epigraphe: *In eamdem igitur formam ſeries conuenit Præceptorum, ne actus noui & veteris hominis*

miſceamus; cum ille exterior opera carnis operetur, & hic interior qui renaſcitur, non verſicolorem ſpeciem veterum nouorumque debeat habere geſtorum; ſed concolor Christo, illum ſtudio mentis imitari, cui renatus eſt in lauacro. Abſint ergo de coloramentis velamina quæ diſplicent ſponſo, diſplicent enim ei qui veſtem non habuerint nuptialem. Quę porro veſtis illa nuptialis eſt, niſi quę ſponſi niueæ ſtolę concolor, accumbentes in nuptiali epulo conuiuas eidem exhibet per omnia conformes. Hanc autem induit qui virtute Sacramentalis vnionis, ipſi magis in dies aſſimilatur, ac inſtar aquilæ vel leporis, Alpini. *Suæ ſenſim fit concolor eſcæ.*



EMBLEMA XXXVI.

CYNCHRAMVS COTVRNICES AD OPTATAM REGIONEM DEDVCENS.



TVrba coturnicum, Cynchrami tuta ducatu,
Per freta prosequitur, quod bene cœpit, iter.
It Glottis malefida comes, primoque labore
Fracta, priore gregem linquit in hospitio.

Non ita Cynchramus; donec sedem vsque quietam
Duxerit, anteuolans corpore sternit iter.

APODOSIS.

Glottis nostra caro est animæ malefida sodalis;
Cynchramo similis Numinis alma caro.
Insidiosa tuæ fugias consortia carnis;
Quâ comite ad cælos nemo peregit iter.
Illa manebit humi numerosis vermibus esca,
Solus & adstabis inditis ante thronum.
Pro duce, si sapias, diuinam selige carnem;
Sitque tibi Iesus duxque comesque viæ.
Hoc duce deuenies cælos, & amæna vireta,
Hic vbi meta viæ est, nec peritura quies.

FONS EMBLEMATIS.

CYnchramus perseuerantior quàm Glottis, quæ nusquam plus vno die cum coturnicibus pergit, & in proximo hospitio eas deserit. At Cynchramus festinat etiam peruenire ad expetitas sibi terras; itaque noctu is eas excitat, admonetque itineris. Ita Plinius l. 10. c. 23. qui de Glottide sic scribit: Glottis prælongam exerit linguam, vnde ei nomen; hanc initio blanditâ peregrinatione auidè profectam, pœnitentia in volatu, cum labore scilicet subit; reuerti incomitatam piget, & sequi, nec vmquam plus vno die pergit, in proximo hospitio coturnices deserit.

INTERPRETATIO.

1. VT Glottis laboris impatiens, susceptique pœnitens itineris, post vnius diei comitatum coturnices in proximo deserens hospitio, mundum exprimit, cuius ea est indoles barbara &

immitis, vt suos asseclas ex hac vitâ migrantes deserat, instar illius viri Amalecitæ, cuius meminit scriptura 1. Reg. 30. qui seruum Ægyptium morbo laborantem in viâ deseruit, omnibus remediis & alimentis destitutum, quasi certam mortis victimam: ita Cynchramus Glottide perseuerantior noctu coturnices voce excitans, & itineris admonens, & ad expetitas terras cum iis peruenire festinans, Saluatoris fidelium animarum hinc in cælestem patriam commigrantium, fidissimi ducis & custodis, egregium mihi videtur hieroglyphicum. Fidelis ille amicus est electus ex millibus, & inter omnes seligendus, qui iuxta leges inuiolabilis amicitiæ nusquam suos clientes necessariis gratiæ subsidiis deserit, nisi prius extinctis sancti Spiritus inspirationibus ab iis deseratur; vtque in ipso patriæ cœlestis itinere, exulibus ad Paradisi delicias anhelantibus, perseuerantiæ donum, ne præ labore deficiant, impertitur: ita in eorumdem comitatu inuictissimè perseuerat, donec ad optatas sedes perduxerit sanos, & incolumes. D. Bernardus de interiori domo c. 4. oppositos hinc mundi, illinc Christi mores considerans, ad priorem negligendum, & posteriorem eligendum his hortatur verbis: *Cogita ergo in societate aliorum nunc positus, quia non poteris semper manere cum illis, & interim elige tibi socium illum, qui cum subtracta tibi fuerint hæc omnia, tibi fidem seruabit, qui dilectoribus suis fidem seruat, nec recedit in tempore angustiæ. Deus tuus ille est, quem eligere debes.* & c. 5. *Talem te præpara, vt tecum adsit Deus; sit in ore, sit in corde, semper tecum eat, tecum redeat, nec recedat à te. Nunquam ille te dimittet, nisi prior illum dimiseris.*

2. Christus igitur fidelem animam, è terrâ in

cælos transmigrantem, vt coturnices Cynchramus comitatur, subleuat, custodit, ne in itinere deficiant. Mundus verò fallax, perfidus & infidelis, non secus ac Glottis, asseclas suos ex hac vitâ migrantes deserit infernalium falculis accipitrum sæuissimè laniandos. Nimirum, inquit Bernardus ep. 107. *mundus cum suis concupiscentiis transit, sed te prius dimittit, quam ipse pertransit. Quid te sine fide delectat amor mox finiendus?* Et paulò post exclamat. *O sæculum nequam! quod solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos, consequenter & indignos concilio beatorum. Planè enim qui amicus vult esse tuus, inimicus Dei constituitur. Amicus itaque mundi, excluditur à concilio amicorum Dei.* Non ita Christus Dominus, permanet in die necessitatis, amicus fidelis non solum vsque ad aras vbi nos pascit, sed vsque ad mortem, & totam æternitatem, nec vsquam suos in angustiis deserit, nisi deseratur, vt secum viuant in æternum. Nullibi verò clarius inuiolabilis ipsius elucet fidelitas, quàm in Eucharistiæ Sacramento, verè Christianorum in Domini osculo morientium viatico, verè pharmaco immortalitatis. Nouit enim quàm arcta, quàm salebrosa ac difficilis via sit quæ ducit ad vitam; quandoquidem Math. 13. 14. admirabundus exclamat: *Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam! Et pauci sunt qui inueniunt eam!* Si arcta via est, præeunte duce nobis opus est qui viam sternat & aperiat: & si pauci illam inueniunt, comite nobis opus est qui nobis illam indicet. Cumque nihil magis viatorum animos à suspiciendo itinere absterreat, quam cibi potusque penuria; nisi nos pretiosi corporis viatico præmuniret, dubio procul in viâ deficeremus, desperantes cælestis patriæ

potiri deliciis, ad quas totis hiamus præcordiis, & piorum desideriorum alis tendimus. Idcircò arduum iter aggredientibus dux & custos amantissimus, indefectibilem annonam suggerit, labentes crucis suę baculo sustinet, proprio corpore fatigatos subleuat, & veluti commodo vehiculo transfert ad Patriam, cui nostra peregrinatio suspirat. Eapropter Chrysost. hom. de Oratione Dominicâ, duas illius petitiones expendens, hanc videlicet præcedentem. *Adueniat regnum tuum*, illam subsequentem: P*anem nostrum quotidianum da nobis hodie*, priorem de fine, id est, de regno cælesti, posteriorem de mediis ad finem conducentibus, pane videlicet Eucharistico intelligit, de quo sic loquitur: *De ipso comedimus, inde viuimus, inde pascimur, inde nutrimur, inde peruenimus, & tandem quotidie patriam quærimus: ne deficiat fides nostra, ne vires animæ nostræ in istâ arctâ & angustiâ viâ fatigatæ non perueniant ad patriam. Ergo, Domine, pasce nos quotidie pane isto cœlesti.* At quorsum quotidie? nisi quia quotidie ad patriam pergimus, quotidie ex viâ fatigamur, quotidie nouæ difficultates occurrunt solis gratiæ viribus superabiles, quotidie diuturno itineris labore vires exhauriuntur, solo Corporis diuini viatico resarciendæ: vnde necesse sit tandem in viâ deficere, nisi nos Iesus dux & custos fidissimus ad amœna Paradisi vireta perducat.

3. Hinc acutissimè Hugo Cardinalis obseruauit in cap. 11. Luc. inter septem orationis Dominicæ petitiones, quarum tres priores vitam æternam, tres posteriores vitam temporalem spectant, mediam interiacere, quâ quotidiani & supersubstantialis Eucharistiæ panis subsidium exigitur; quòd


Christus sub panis specie delitescens , sit vtriusque vitæ confinium , eibusque tam comprehensoribus , quàm viatoribus communis , illos diuinitatis suæ ac gloriosæ humanitatis aspectu satians, hos eiusdem humanitatis esu reficiens : vnde medium inter vtramque vitam locum obtinere debuit , vt vel hinc innotesceret neminem hoc impertransito medio , à vitâ præsenti ad futuram , ab vno extremo ad aliud vnquam peruenire posse. Pij Cardinalis verba accipe: *Sunt distinctæ septem istæ petitiones secundùm duas vitas , temporalem scilicet , & cœlestem. Tres primæ petitiones pertinent ad vitam cœlestem , tres vltimæ ad vitam temporalem: media, scilicet panem nostrum quotidianum &c. est communis , & quasi confinium vtrarumque (attende ad sequentia) confortans & dirigens transeuntem de vitâ temporali ad vitam cœlestem.* Vides vt mysticus noster Cynchramus ducis fungatur officio , & dirigat transeuntes animas , de vitâ temporali ad cælestem. Quapropter vbi Christus Eucharisticum epulum beatifico præambulum , suaue militantis Ecclesiæ cum triumphante glutinum instituit , sine morâ de patriæ cælestis epulo sermonem subtexuit , vt innueret nobis peregrinis ac exulibus patriam repetentibus salutare esse viaticum : Math. 26. 29. *Dico autem vobis , non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum , cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Nimirum ex Eucharistico conuiuio facilis & breuis est ad cæleste transitus , vbi Deo clarè viso felices animæ satiantur , quòd migrantes animas pretioso corpore sustentet. Fælices igitur animæ quas Christus , vt coturnices Cynchramus , in mortis agone ad iter cæleste excitat ,

quibus viam monſtrat vtique ſacri Corporis viatico præmunitis, quas ex hac vitâ migrantes nuſquam deſerit in proximo Purgatorij hoſpitio, immo potius inde illas eripit virtute incruenti ſacrificij, vt ad Patriæ gaudia vel minimis emaculatas ſordibus perducat, *Sedem vſque quietam dux fiduſque comes.*



EMBLEMA XXXVII.

CORNIX PVLLOS SVOS IMPLVMES ALERE DETRECTANS.



PRolis amans cornix, ecquid nutrire tenellam
Abnuis? implumi pabula iure nego.
Pluma vbi vestierit natiuo membra decore;
Tunc & ego matris munus obibo libens.

APODOSIS.

Non ſibi diſsimiles conſueuit paſcere Ieſus,
Crimina queis animæ ſurripuere decus.
Ornamenta ſuis in alumnis exigit altor,
Virtuteſque, quibus conciliatur amor.
Gratiâ adornatos vt carne & ſanguine paſcit,
Gratiâ inornatis ſic alimenta negat.

FONS EMBLEMATIS.

PVllos ſuos, vt audio, non prius cornices ſolent paſcere, quàm plumis veſtiri incipiant, vt & aliæ pleræque aues, quæ volaces magis, quàm pulueratrices ſunt: hæ enim per ſe edunt, inquit Geſnerus in cornice, literâ C. Cur verò nudos paſcere detrectent, rationem profert S. Gregorius Magnus in Moralibus lib. 30. c. 8. quòd nondum in illis per pennarum nigredinem ſua ſimilitudo videatur. Nempe ſimilitudo eſt mater amoris.

INTERPRETATIO.

1. VT Cornix *pullis editis eſcam præbere diſſimulat*, inquit Greg. M. loco cit. *priuſquam plumeſcendo nigreſcant, eoſque inediâ affici patitur, quoad uſque in illis per pennarum nigredinem ſua ſimilitudo videatur*: Ita Chriſtus animas virtutum ornatu deſtitutas, vtpote ſibi planè diſſimiles, Euchariſticis dapibus alere renuit, donec nuptiali charitatis veſte conſpicuæ ſibi magis ac magis aſſimilentur. Quî enim adorandæ participes fierent humanitatis, quæ nondum per gratiam factæ ſunt conſortes Diuinitatis? Audiendus Chryſoſtomus hom. 3. in c. 1. ad Epheſ. *Menſa regia parata eſt, menſæ iſti Angeli adminiſtrant: denique ipſe rex adeſt, & tu adſtas oſcitanter?*

tanter? squallet sordibus vitiorum pallium animæ tuæ, neque vlla istius rei absconsæ cura est tibi? sed pura est animæ meæ stola, inquies; igitur accumbe mensæ, & esto particeps Dominici corporis. Venit quotidie rex, vt interuisat discumbentes, 1. vt cum eis sermones misceat familiariter; & tunc quidem in quorumdam conscientiam tacitus insusurrat: amici quomodo huc vos præsentatis non habentes vestem nuptialem? Nec mirum si diuini præses epuli tantam in discumbentibus exigat cordis munditiem, animæ nitorem, virtutum ornatum; quando Rex Babylonius iuuenes elegit modestos, & facie decoros, vt regali mensæ ministrarent.

2. Nec est quod pannosus aliquis sese excuset, quod præ inopiâ nuptialem gratiæ stolam emere non potuerit, cum iis omnibus quos ad epulum Christus inuitat, vltrò eamdem offerat, vt proinde è conuiuarum numero iure sit expungendus, qui nuptiali nudatus ornatu discubuit, non tam epulaturus, quàm damnandus. Ita disertè Chrys. hom. 21. ad pop. *Et tu ad nuptias vocatus spiritales, & prandia regalia, consideres quam dignum sit vestimentum regale comparare. Verùm neque opus est comparare, sed is qui te vocat, tibi dat gratis, ne paupertatem prætendere valeas: nusquam enim venditur tale vestimentum.* Quorsum verò nuptiale vestimentum minimè venditur? nonne præuiis fidei, spei, pœnitentiæ & dilectionis actibus nuptialem charitatis stolam de congruo meremur? Non inficior. Verumtamen quia gratia excitans, quâ ad illos actus eliciendos impellimur, non meritis redditur, sed gratis datur, ideò nec à peccatore nuptialis vestis emitur, nec à Domino venditur, sed gratis datur, vnde & adhuc gratia nominatur. At qui

lacerâ ſordidâque veſte diſcubuit, nunquid opponere poterat, diuites ac pauperes, ac proinde nudos, & pannoſos à miniſtris regiis ad epulum vocatos fuiſſe? minimè gentium: quoniam vt rectè ratiocinatur Origenes relatus à D. Thoma in catenâ ad hunc locum, quamuis pauperes & nudi vocati ſint, non tamen vt ſordidi regalibus epulis accumberent, ſed vt exutis vitiorum pannis, Apoſtolicum adimplerent conſilium Coloſſ. 3. 12. *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.* Hæc enim ſunt nuptialia veſtimenta. Vbi idem Doctor ſubtiliter obſeruat, miſerum hunc conuiuam non idcirco à rege fuiſſe damnatum, quod impuris manibus regia fercula tetigiſſet, ſed quòd inter comites candidatos, ſolus ſordidus accubuiſſet, antequam dapes à miniſtris inferrentur. Adeo graue facinus eſt ſine nuptiali veſte, ad altaris menſam accedere, vt vel ante Sacramenti ſuſceptionem verè peccator cenſeatur reus damnationis æternæ. Audi Origenem: *Et ideò rex ingreditur vt videat diſcumbentes, priuſquam eis prandium apponatur, vt habentes nuptialia veſtimenta retineat, & deiectet condemnetque contrarios.*

3. Vt igitur Cornix pullis implumibus alimenta ſubtrahit, quod nudi ſint ſibique diſſimiles, ita Chriſtus omnium gratiarum ac virtutum clarus inſignibus, peccatores vitiis ſquallidos ab Euchariſtico conuiuio longius arcet, quod ſimilem in illis non videat ornatum, illamque animæ munditiem quæ ſanctitas vulgo nuncupatur. Iuxta id quod olim antequam fideles ad ſacram ſynaxim accederent, Diaconus inclamabat: *Sancta ſanctis.* Hoc eſt, inquit Chryſoſt.hom. in illud ad Hebr. vo-

luntariè peccantibus nobis &c. Si *quis sanctus non est, non accedito. Non omnis, ait, liber & expiatus, sed sanctus: sanctum enim non peccatorum modo liberatio facit, sed spiritus etiam præsentia, bonorúmque operum abundantia. Nolo enim vos à cœno liberari tantum, sed etiam albos esse ac pulchros.* Ac proinde virtutum ornatu carentibus, veluti pullis illegitimis ac *nudis alimenta recuso.*



EMBLEMA XXXVIII.

TVRTVR VIDVA, PRÆ COMPARIS DESIDERIO, AQVAM AD POTVM TVRBIDANS.



Cur vitreos, turtur, latices haurire recuſas?
Cur tibi præ illimi turbida lympha ſapit?
Orba maritali ſolamine lympida turbo:
Non etenim viduam gaudia pura decent.

APODOSIS.

Sit anima, æternum cui crimen ademit amantem,
Ingemat, & sortem nocte dieque fleat.
Altaris purum caueat contingere fontem:
Fletibus ante suis turbidet, inde bibat.
Pura fluenta animæ possunt potare fideles;
Nesciæ adorandi fallere iura thori.
Purior haustus obest orbatis virgine sponso,
Si gemitu, & lacrymis mixta sit vnda, iuuat.
Sanguineas lacrymas toto dat corpore sponsus;
Cur oculis aqueas non rea sponsa daret?

FONS EMBLEMATIS.

ILlud scitu & admiratione dignum est, inquit Grapaldus, turturem viduam siccis truncis semper insidere, ac fluenta lympida ad potum turbidare, ob nimium amissi consortis desiderium, Sic ille apud Gesnerum in turture. Idem ferè scribit S. Bernardus ser. 59. in Cant. his verbis: Turtur compare vno contenta est, quo amisso alterum iam non admittit, in hominibus numerositatem nuptiarum redarguens. Cernere enim est turturem tempore suæ viduitatis, sanctæ viduitatis opus strenuè exequentem; videas vbique singularem, vbique gementem audias, nec vnquam in viridi ramo residentem prospicies. Videatur Greg. M. in illud Cant. 1. pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

INTERPRETATIO.

1. TVrtur vidua lympidos latices ad potum turbidans, prę comparis amissi desiderio, animæ pœnitentis symbolum est, quæ præuiis la-

crymis puriſſimum altaris permiſcet fontem; prę ſponſi ſibi per crimen erepti deſiderio, ne lympidior hauſtus mortem potius, quàm vitam adferat. Lympidi quidem ſunt omnes Saluatoris fontes; verum cæteris Euchariſtiæ fons lympidior, animæ peccatrici, cęleſtique ſponſo orbatæ, copioſis turbibandus lacrymis, ne ſuam in cryſtallina illius ſuperficie deformitatem agnoſcens, inde potius ſe proripiat, quàm puriſſimos latices pręlibare præſumat. Quod autem dixit Iſaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, de iis animabus dixit, quæ nullius ſibi ſceleris conſciæ, ſponſique iugiter fruentes amplexibus, puram ex iis aquam in gaudio hauriunt, non verò de adulteris & infidelibus, ac proinde viduis, quæ non niſi gemebundæ; & illacrymantes turbidam fletibus aquam ebibunt. Niſi enim effuſis lacrymis turbidarent, bibere non auderent, quod vitrei fontis ſpeculum quantò Dei ibidem deliteſcentis pulchritudinem, tanto ſuam ipſis fœditatem clarius repræſentet. Porrò vtriuſque notitia non poteſt vberes non elicere lacrymas; quibus vultus ſui maculas in pellucido fonte deprehenſas eluant. Siquidem vt cum Aug. loquar in Pſal. 98. *In multis quantum nobis innoteſcit voluntas Dei, etiam reatus noſter innoteſcit nobis, & quantò plus ille nobis innoteſcit, tantò plus imus in fletus & lacrymas. Videmus ergo quàm iuſtum ſit, quod de nobis exigat* Deus, *in quantâ adhuc imperfectione iaceamus, & fit nobis quod dictum eſt: qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem.* Vnde ne ſcelerum admiſſorum turpitudo, vultuſque deformitas, quâ ſe ſponſi complexibus & blanditiis indignas præſtiterunt, nimium iis horrorem incutiat, & à ſacro fonte

longius secedere persuadeat, operæpretium est, antequam bibant, lympidos fletu plurimo turbare latices: sic enim vt minus sua illis in turbido latice apparebit deformitas, ita citius iisdem diuini fontis haustu gloriosa continget deiformitas.

2. Equidem eliquatas amoris ardore de contrito corde lacrymas Eucharistiæ perceptioni præfundi debere satis indicauit Elias, dum 3. Reg. 17. viduam ligna colligentem his compellauit verbis? D*a mihi paululum aquæ in vase, vt bibam: cúmque illa pergeret vt afferret, clamauit post tergum eius: Affer mihi, obsecro, buccellam panis in manu tuâ.* Cùr enim aquam prius postulauit, quam buccellam panis, Eucharistiæ figuram, nisi vt innueret Pœnitentiæ lacrymas sacræ communioni præmittendas esse; quod orbatæ cœlesti sponso animæ illiusque præsentiam ardentissimè sitienti, sine præuio lacrymarum haustu non sapiat buccella panis Eucharistici. Æstuans enim præferuore desiderij, & ardentius ad sponsi complexum anhelans, nisi prius suas lacrymas bibat, panem illum cœlestem deglutire non poterit, quin faucibus exulceratis, sitim magis ac magis accendat: Præuio proinde lacrymarum haustu quasi leni vehiculo in stomachum traiiciendus est, vt ibidem fletu permixtus, facilius concoquatur, nostramque pariter famem ac sitim extinguat. Quò referri potest subtilis S. Chrysostomi obseruatio in hom. ad Neophytos, vbi notat ex Christi latere primum aquam exiisse, deinde sanguinem, his verbis: *Non ait Ioannes, exiuit sanguis & aqua, sed exijt aqua primum, & sanguis.* Cur ita, nisi vt Euangelista innueret aquam lacrymarum, Eucharistiæ per sanguinem adumbratæ, esse præfun-

dendam. Fauet hæc Chrysostomi annotatio quorumdam recentiorum opinioni existimantium aquam illam de scisso pericardio promanasse, quod cum prius lanceâ apertum fuerit, quam ipsum cor Domini, prius quàm cruor in cordis sinu residuus, effluere debuit.

3. Neque durum videri debet, si Ecclesia ab infideli & peccatrice animâ, ad recuperandam sponsi gratiam, eosdem gemitus, eamdemque lacrymarum vim præexigat, quam fidelis anima etiamnum latentis in Sacramento sponsi perfruens amplexibus vltrò profundit, dum ad intuitiuam vultus ipsius contemplationem ardentius aspirat. Vis audire vocem turturis, & gemitus animæ reuelatâ sponsi facie beari gestientis, audi S. Bernardum ser. 59. in Cant. *Quidni moneat mihi crebras lacrymas, & gemitus quotidianos Christi absentia? Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboraui in gemitu meo, tu scis, sed beatus qui dicere potuit: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Non solùm autem mihi, sed & his omnibus qui diligunt aduentum eius gemitus isti comperti sunt. Hoc quippe est quod ipse aiebat: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc lugebunt. Ac si diceret, & tunc vox turturis audietur. Ita est, Iesu bone, venerunt dies illi: nam & ipsa creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc, reuelationem filiorum Dei expectans. Non solum autem illa, sed & nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri; hoc scientes, quia quandiu sumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino. Nec vacui gemitus quibus è cœlo tam misericorditer respondetur: propter miseriam inopum, &*

gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Hæc mœſta vox animæ ad claram ſponſi viſionem anhelantis, hi gemitus caſtiſſimæ turturis, præ abſentis comparis deſiderio, fontis Euchariſtici latices ad potum fletu vberrimo turbidantis. Quid igitur agendum animæ peccatrici & adulteræ, quæ ſuo ſe crimine, ſponſi dilectione & blanditiis indignam præbuit? Nonne vberioribus & amarioribus lacrymis turbandus altaris fons puriſſimus, ne purior hauſtus noceat, vt abſenti ſponſo veraciter nuntiare poſſit, *Præ luctu lympida turbo.*



EMBLEMA XXXIX.
COLVMBÆ CRVOR, E VENA CORDI VICINIORI, AD OCVLORVM MEDELAM EFFICACIOR.



SAnguine ſuffuſos oculos infuſio curat,
Sanguinis ablatum reddit & illa iubar.
Venula ad hos vſus eſt incidenda columbæ,
Quæ mage de cordis proximitate calet.

Hoc melior, quo feruidius de vulnere manans
Bullit, in ingenti tota calore salus.

APODOSIS.

Sanguini adorando vires vicinia cordis
Auget, vbi immensus viuit & ardet amor.
Quo mage ferueret, fieretque potentius æstu
Collyrium, læuum transforat hasta latus.
Humanus transfigit amor præcordia Christi,
Feruidiore tumens sanguine vena fluit.
Ipse cruor bullit, quia cor illius origo
Flagrat amore hominum, flagrat amore Dei.
Depromit medicum flammato ex corde calorem,
Quo superûm felix cœtus, humusque calent.
Vt cæcis oculos aperiret sanguine Christus,
Ipsi oculos clausit vulneris author amor.

FONS EMBLEMATIS.

COlumbarum, turturum, palumbium, perdicum sanguis, oculis cruore suffusis eximiè prodest, in columbis masculæ efficaciorem putant. Vena autem sub alâ ad hunc vsum inciditur, quoniam suo calore, vtpote cordi propinquior, vtilior est. super imponi oportet splenium è melle decoctum, lanamque succidam ex oleo & vino. Ita Plinius l. 29. c. 6.

INTERPRETATIO.

1. ADuersus spiritalium oculorum caliginem, & animæ cæcitatem nullum efficacius collyrium pretioso sponsi sanguine agnoscit Ecclesia, quod à diuini cordis immenso charitatis ardore succensi vicinitate medicinalem efficaciam mutuetur. Huius collyri virtutem aperit S. Cypria-

nus ſer. in Cœnâ Domini, his verbis: *Nobis pro quibus ſanguis Chriſti oblatus eſt in cruce, ipſe Chriſtus pincerna hoc porrexit poculum, & docuit, vt non tantum exterius hoc ſanguine liniremur, ſed & interius aſperſione omnipotenti in animâ muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quicquid eſſet intus ibi durum effugaret, & renouaret, ſanaretque quicquid morbi carni, vel ſpiritui, veteris vitæ adlinerat corruptula.* Si ea ſit diuini Sanguinis virtus, vt morbis omnibus veteris vitæ corruptelâ contractis medeatur, cùm inter eos annumeranda veniat animæ cœcitas, haud dubiè diuini huiuſce liquoris illitu diſſipabitur.

2. Enimverò inter ſeptem Ieſuani cruoris effuſiones, quas Bern. tract. de Paſſione Domini à capite 34. ad 42. enumerat, nulla mihi videtur ad medelam efficacior, quam omnium poſtrema, vel ea quæ in vltimâ cœnâ facta eſt, quod ſanguis ille è diuino corde charitate flammato medicinalem calorem deprompſerit. Non inficior quamlibet illius guttulam à diuinâ Verbi hypoſtaſi infinitum valorem mutuari, nihilominus non incongruè dici poteſt illum ſanguinem qui vel de corde aut præcordiis effluxit, vt feruidiorem, ita nobis ſalubriorem extitiſſe. Ille quidem quem in horto Gethſemani toto corpore ſudauit, ad medelam efficax, quod ſuam in corde ſcaturiginem quadantenus haberet, vt his aſſerit verbis Bern. c. 37. cit. *Inſpice tribulationem mitiſſimi cordis quâ angebatur, cùm totum corpus ex omni parte ſanguineo ſudore manaret. Neque enim corpus extrinſecus tanto taliquе ſudore deflueret, ſi cor intrinſecus nullius doloris moleſtiâ frangeretur. contritum eſt cor meum in meipſo, ait* Propheta. *Sciſſo igitur corde interius, ſciſſa eſt & exterius pellis*

nostri Salomonis, effusus est sudor sanguineus super terram. Verum ille mihi singularem medendi vim habuisse videtur, qui vel de venis cordi propinquioribus, vel de ipsomet corde militari lanceâ transfixo profluxit, tum quia de corde vbi sedes amoris est, apertius emanauit, tum quia mirabilem illam, quæ in institutione sanctissimi Sacramenti pridie facta fuerat, feruentissimi cruoris effusionem adumbrauit, vt vulgo docent SS. Patres: sic enim asserit S. Paulinus ep. 30. *Illa petra quæ de latere lanceâ perforato, aquâ fluxit & sanguine, vt pariter nobis salutiferos funderet fontes, aquam gratiæ, & sanguinem Sacramenti, qui idem est & fons aquæ salutis, & pretium.* Vbi per sanguinem Sacramenti illum intelligit, quem ex Eucharistico Calice Sacerdotes hauriunt.


3. Nihilominus suauiorem ac efficaciorem præ cæteris medendi virtutem obtinere mihi semper visus est ille Iesuani cordis cruor, quem non instantis mortis timor, vt in horto Gethsemani; non militaris hasta, vt in Caluariâ violenter extraxit, sed solus isque nimius erga homines amor, non atrociter, sed amanter, sed suauiter ex sanis, viuidis, & integris præcordiis elicuit. Nemo quidem inficiabitur defæcatiorem esse sanguinem calicis, quàm crucis, vtpote qui solari radio purior sit, & nectare suauior, non carnificum equorumue pedibus proculcatus, non puluere permixtus, sed lympidus; quique bibentibus minimum horroris incutiat, plurimum amoris. Reuerâ si columbinus cruor, quanto feruidior est, cordique vicinior, tanto ad oculorũ medelam censetur efficacior; vbinam excœcatæ mentes potentius inuenient collyrium, quàm in Eucharistico calice, præ nimio cha-

ritatis ardore, bullienti? ſatis enim cordis æſtuan-
tis & inde ſanguinis ſupra modum accenſi feruo-
rem his verbis expreſſit: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* I. feruentiſſimis votis optaui mei eruoris Calicem fumantem, bullientem, amore flammatum vobis ad potum, & ad medelam propinare. Cùm igitur è corde Domini flammeâ charitate ſuccenſo feruidior effluxerit, non potuit non eſſe efficacius cæteris collyrium; quandoquidem. *Vim medicam vicinia cordis adauget.*



EMBLEMA XL.

COTVRNIX ÆSTIVI FERVORIS AMANS PRIMA PRVINA DISCEDIT.



FLantibus huc zephyris, & vere tepente coturnix
Aduenit, hinc illam prima pruina fugat.
Hospes in æstiuo solum feruore fidelis,
Æestus vbi primum transiit, inde fugit.

APODOSIS.

Flante Paracleto, mentem inflammante superno
Numine, amas nostros, Christe, subire sinus.
Hinc & abis, cùm feruor abit, ferųoris amantem
Criminis admissi prima pruina fugat.
Quale gelu est istud, cui cedit numinis æstus!
Quo penetrante animas, igneas alget amor.

FONS EMBLEMATIS.

COturnices ad nos, vt audio, medio fere Aprili veniunt, & abeunt cum prima pruina ingruit; ita vt si pridie plurimæ apparuerint, & postridie pruina subsequatur, ne vna quidem reliqua amplius conspiciatur. Gesnerus in coturnice litt. C.

INTERPRETATIO.

1. D. Bernardus ser. 2. in Cœnâ Domini expendens illud Cantic. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, eleganter ait: *Ibi enim est cor: (scilicet inter vbera) & vbi est cor, ibi est dilectio, & vbi dilectio, ibi dilecti mansio.* Quare dilecti mansio in corde? quia sedes amoris est in corde, vbi autem amor est, ibi & feruor est ab amore inseparabilis: vbi primum amor tepescit, amor esse desinit, quippe qui totus igneus viuere nequeat, nisi ferueat. Libenter igitur Dominus in corde feruido commoratur, inter deuotionis ardores hospes fidelissimus; etenim Deus noster, ignis consumens est, nec fieri potest, vt non ferueat cordis regio tantæ charitatis æstu torrida. Quippe si solum ipsius colloquium tantum in discipulorum cordibus excitauit ardorem, vt illius

memores

memores ad inuicem dicerent: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in viâ?* Quantò magis ipſemet ſpeciebus inuolutus Euchariſticis, ſeſe in intima inſinuans præcordia, ſempiternis Empyrei ardoribus, & immenſæ charitatis igne deuorante cor noſtrum incendet, medullaſque depopulabitur? Nonne animæ dilecti cruore ebriæ, amoris iaculo transfixæ, deſolatoriis Euchariſtiæ carbonibus inflammatæ, cum mellifluo Doctore hom. Feriæ 2. Paſch. libet exclamare: *O dulcis ardor, dulcis ſplendor, dulcis amor! ardor confortans, ſplendor illuminans, amor inebrians! quàm dulciter ardes, quàm mirabiliter ſplendes, quàm ſufficienter totum cor hominis imples! quis poterit habitare de nobis cum igne deuorante, cum ardoribus ſempiternis? cum iam non erit ignis in Sion, ſed caminus in Ieruſalem in ſplendoribus æternitatis.* Vbi S. Doctor ignem Sionis cum cæleſtis Solymæ camino componens, innuit ignitum huius vitæ feruorem, qui ſempiternos patriæ parit ardores, ex monte Sion deriuari, i. ex ſanctiſſimo Sacramento in eodem monte à Domino, pridie quàm pateretur, inter immenſos charitatis æſtus inſtituto. Vnde ſubdit: *Nonne cor noſtrum tunc ardens erat in nobis* (fratres ſuos alloquitur) *cùm in clauſtro reſidentes meditaremur in ſilentio, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo noſtro?* Nimirum vbi Chriſtus in pectore ſuſceptus eſt, ibi Deus in tabernaculo noſtro requieſcit, & hinc oritur non tepor, non frigus, ſed ingens deuotionis feruor, & ignis in Sion ſuccenſus de flagranti cœleſtis Ieruſalem camino exiliens; quo capaciores reddimur habitandi cum ardoribus ſempiternis.

2. Immenſa Dei maieſtas anguſto non capitur


habitaculo : cor noſtrum anguſtum eſt , nec tantò idoneum hoſpiti, niſi dilatetur. Quomodo dilatabitur? feruore deuotionis, æſtu charitatis. Vt enim corpora hiberno gelu cõſtricta, æſtiuo calore dilatantur; ita corda ſceleris alicuius frigore contracta charitatis ardor ampliat, vt Chriſtus dignius ibidem hoſpitetur. quicunque igitur amore ęſtuans, cum Pſalmiſta dicere poteſt : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum*; in corde ſuo diuinitus ampliato poteſt oſtendere Domino, ſi non cœnaculum grande ſtratum vbi recumbat, ſaltem puluinar vbi caput reclinet. Animam proinde quæ diuino hoſpiti cordis præparat habitaculum, ęſtu charitatis ampliari conuenit, & vt cum eodem Patre loquar ſer. 27. in Cant. *Neceſſe eſt eam creſcere & dilatari, vt ſit capax* Dei. *Porro latitudo eius, dilectio eius; ſicut dicit Apoſtolus 2. Cor. 6. Dilatamini in charitate : nam etſi anima minimè, cùm ſit ſpiritus, quantitatem corpoream accipiat, tamen confert illi gratia, quod negatum eſt à naturâ. Creſcit quidem & extenditur, ſed ſpiritaliter; creſcit non in ſubſtantiâ, ſed in virtute; creſcit & in gloriâ, creſcit etiam in templum ſanctum Domino.* At ſi latitudo animæ dilectio eius eſt, ergo amore dilatatur; ſi amore, igitur & feruore, vt idoneum venienti Domino diſponat hoſpitium, vtpote qui ſit *Hoſpes ſolum in feruore fidelis*. O quanta illi animæ latitudo, quæ in dilectione ſtabilis tanti hoſpitis maieſtatem & digna reperitur ſuſcipere, & ſufficiens capere, vtpote quæ nullo deinceps mortalis culpæ frigore conſtringatur! Verum quoniam in hoc exilio, ſenſim deficiente deuotionis æſtu, ſuccedit delicti pruina, quâ cordis ſedes conſtringitur; hinc diuinus hoſpes anguſtioris impatiens domicilij à no-

bis recedit, maximè si post æstiuos charitatis ardores, alicuius criminis pruina, flante Dæmonis aquilone, subsequatur.

3. Porro rationem fugæ discessusque Domini idem Doctor mellifluus ser. 3. de Ascensione Domini his adfert verbis: *Impleri visitationibus Domini animæ non potest, quæ distractionibus subiacet, & quantò magis illis euacuabitur, tantò amplius istis implebitur, si multum, multum; si parum, parum; vel certè, si magis probas, numquam istæ illis misceri poterunt in æternum, quia vbi vacua vasa non inuenit oleum, stare necesse est. Neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas, in vno domicilio commorantur; præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum prouocare.* Nempe Christi humanitas in Sacramento ignitus carbo est, de diuinitatis ardore planè flammeus, contacta non solùm adurens, sed & vicina quæque potens inflammare. At non bene conueniunt carbo & glacies, ardor & algor; nec in vnico cordis sinu sese cõpatiuntur frigus iniquitatis, & flamma charitatis. Hinc Gilbertus ser. 6. in Cant. expendens illa verba sponsæ: *Quæsiui illum & non inueni*, eleganter ait: *Fratres, si sedulitas submouetur, desidia quando admittetur? Si non inuenit amor, quando inueniet tepor?* Sponsa dilectum quæsierat etiam calente studio, quia tamen non toto cordis affectu, nec toto charitatis feruore quæsierat, idcirco se non inuenisse conqueritur: anima verò iners, languida, tepida, forte etiam admisso crimine gelida sponsum in cordis hospitio reperire sperabit? absit. Vt enim coturnices nostris è regionibus primâ pruinâ fugari solent, ita Dominus è tepidi, gelidi ve cordis hospitio confestim recedit. *Hospes solum in feruore fidelis.*

EMBLEMA XLI.

AQVILA SENEX, PETRÆ ATTRITV, CLAVSVM OS AD CIBVM APERIENS.



MOs aquilæ est, roſtri nimium cui creuit aduncus
Mucro, nec ex raptâ viuere carne licet.
Attritu lapidis clauſum os aperire, ciboque
Pellere, languebat qua moribunda, famem.

Sic senio confecta, cibi virtute reſtoret,
Atque iuuentutis gloria prima redit.

APODOSIS.

Petra mihi Ieſus, attritio cordis ad illam
Sola poteſt ſanctis os aperire cibis.
Obſtruit os mortale nefas, attritio pandit,
Iuncta Sacramento cor renouare poteſt.
Os humilis primum reſeret confeßio; clauſo
Ore quis ad ſacras poſſet hiare dapes?

FONS EMBLEMATIS.

DIcitur aquila, cum ſenectute corporis preſſa fuerit, immoderatione roſtri creſcentis, cibum capere non poſſe: pars enim roſtri eius ſuperior quæ ſupra partem inferiorem aduncatur, cum præ ſenectâ immoderatius creuerit, longitudo eius incrementi non ſinit eam os operire, vt ſit aliquod interuallum inter inferiorem partem, & vncum ſuperiorem. Niſi enim aliquod interuallum pateat, non habet morſus quaſi forcipem, vnde velut tondeat quod tranſmittat in fauces. Creſcente itaque ſuperiore parte & nimis aduncatâ, non poterit os aperire & aliquid capere. Hoc ei facit vetuſtas. Prægrauatur languore ſenectutis, & inopiâ comedendi langueſcit nimis, vtraque re, ætate, & egeſtate accedente. Itaque modo quodam naturali in menſurâ reparandæ quaſi iuuentutis, aquila dicitur collidere & percutere ad petram ipſum quaſi labium ſuum ſuperius, quo nimis creſcente, edendi aditus clauditur, atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, omnia reparantur; erit poſt ſe-

nectutem quaſi iuuenis aquila; redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelſa ſicut ante, fit in eâ quædam reſurrectio; non ad immortalitatem reparatur, nos autem ad vitam æternam. Sed tamen propterea inde ducta eſt ſimilitudo, vt quod nos impedit, petra nobis auferat. Non ergo præſumas de tuis viribus: firmitas petræ tibi excutit vetuſtatem, *Petra autem erat Chriſtus*. In Chriſto renouabitur ſicut aquilæ iuuentus noſtra. Oblitus es comedere panem tuum? creuit vetuſtas, os clauſit, atteratur in petrâ. Non ſatiaris modo, quia non eſt idonea anima tua ad ſolidum illum & magnum cibum, ſed roſtro clauſo non eſt idonea: vetuſtas tibi os clauſit; propterea petra data eſt, vbi vetuſtate contritâ, renouetur iuuentus tua, ſicut aquilæ, vt poſſis manducare panem tuum illum qui ait: *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi: renouabitur iuuentus tua, ſicut aquilæ, tu ſatiaberis in bonis.* Hactenus S. P. Auguſt. enarratione in Pſal. 102. ad illa verba: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus mea.* Breuiter Ariſtoteles l. 9. de animal. c. 32. Seneſcentibus aquilis roſtrum ſuperius accreſcit, incuruaturque ſubinde magis magiſque, vt demum fame intereant.

INTERPRETATIO.

1. NOlo nunc celebrem illam ventilare quæſtionem, an contritionis actus in Sacramento pœnitentię neceſſario requiratur, adeo vt attritio etiam illa quæ ſalutaris à Theologis appellatur, cum Sacramento non ſufficiat ad animam à peccatis emaculandam? ſatis mihi eſt doctrina Tridentinæ Synodi Seſſ. 14. c. 4. declarantis. *Illam*

contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Quam doctrinam definit Can. 5. eiusdem Seſſ. Ex quibus liquet attritionem illam salutarem quantumuis contritione inferiorem, quippe quæ non sit admiſſi peccati deteſtatio, vt eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, nihilominus viam ad iuſtitiam parare in Sacramento Pœnitentiæ, ac proinde os prioribus delictis obſtructum, ad Euchariſtiæ ſuſceptionem aperire. Certè parum nouæ legis Sacramentorum ſupra illa veteris legis, dignitati conſuleretur, ſi eadem omnino contritio, quæ ad Hebræos olim iuſtificandos exigebatur, à Chriſtianis quoque ad gratiam obtinendam in Sacramento pœnitentiæ neceſſario requireretur. Cæterùm vltrò fateor contritionē perfectam, quæ voto etiam ſoli Sacramenti connexa ad mortalis culpæ remiſſionem ſufficit, longè nos excellentiori modo ad ſacram communionem diſponere, & os prioris vitæ vetuſtate clauſum melius aperire.

2. Patet quidem ſemper os eorporis, vel in inueteratis peccatoribus; verum os cordis, peccato mortali ita clauditur, vt adorandæ carnis prædam deinceps edere impotens anima periculosâ fame

& ſenio conficiatur. Quanam autem viâ os aperietur? attritu ad petram? quænam illa petra cor durum atterens, & ad cibum aperiens? Chriſtus, à quo non ſolum impetratur gratia, ſed etiam gratię mater pœnitentia, quæ clauſum os ad cibum Euchariſticum aperit, quo fames ſedatur, ſenectus abigitur, priſtinæ iuuentutis gloria renouatur. Os ille veraciter aperit, qui ſe ſimpliciter & humiliter accuſat; os obſtruit qui confitendo ſeſe inaniter excuſat, quod potius diſſiteri eſt, quam confiteri. *Illud*, inquit Bernardus ſer. 16. in Cant. *non confeſſio eſt, ſed defenſio, nec placat, ſed prouocat; in animam etenim ſuam peccat qui ſe excuſat, repellens proinde à ſe indulgentiæ medicinam, & ſic vitam proprio ſibi ore intercludens.* Quid eſt excuſatione ſibi proprio ore vitam intercludere, niſi defectu ſynceræ confeſſionis os obſtruere, quo panem vitæ debuerat comedere? nec enim peccator à Domino panem viuum iure poteſt exigere, niſi prius illum ſibi infenſum ſtudeat mitigare; cum non niſi mitigatus ſoleat alimenta concedere. Quomodo verò mitigabitur? culpæ confeſſione. Audi Tertull. l. de pœnit. *Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ Deus mitigatur.* Mitigatus pœnitenti cœleſtem alimoniam impertitur, ergo Pœnitentiâ, & attritione clauſum os cordis ad Euchariſticas epulas reſeratur. Quippe cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit, ſed reſpicit, imo etiam ſemetipſo, vtpote vero & vnico cordis cibo reficit, & paſcit. *Sanat contritos corde*, canit Pſaltes regius, 1. interprete Aug. *Sanat humiliatos corde, ſanat confitentes, ſanat ſeipſos punientes, in ſeſe verum iudicium exercentes, vt poſſint eſſe illius miſericordiam ſentientes.* Quam miſericordiam? Illam vtique quâ

mouebatur qui dicebat : *Misereor super turbam, quia triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Triduo siquidem sustinent, qui contritione, confessione, & satisfactione ad Eucharisticum panem sese disponunt. Sentiunt ergo Dei misericordiam, dum prius suam sentientes miseriam, implorant cœlestem alimoniam, quam merentur per pœnitentîam.

3. Peccator proinde, priusquam accedat ad altare, meminerit placabile confessionis sacrificium offerre, contritique cordis victimam in aram inferre, vt sic ore vi confessionis aperto panem superessentialem mereatur comedere. Siquidem ex Lactantio in Epitome diuin. Institut. c. 6. *Hæ sunt victimæ, hoc sacrificium placabile, hic verus est cultus, cum homo mentis suæ pignora in aram Dei confert, summa illa maiestas hoc cultore lætatur, hunc vt filium suscipit, quia donum immortalitatis impertitur.* videlicet Eucharistiam, quæ pharmacum immortaliratis dicitur, quam solus ille suscipere meretur, cuius os prioribus culpis obstructum, per attritum ad petram mysticam aperitur. Etenim Ambrosij celebris sententia est l. 2. de pœnit. E*uidentissimè Domini prædicatione mandatum est, etiam prauissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifestâ confessione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cælestis refundendam gratiam.* Hinc subtiliter August. serm. 102. de Tempore, obseruat, pannosum illum Euangelij conuiuam, idcirco prælertim à rege damnatum, & à nuptiali conuiuio exclusum fuisse, quod cum mitius increparetur, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Quæ verba internam inspirationem eum ad criminis confessionem excitantem exprimunt) ipse obmutuerit, & humili

culpæ confeſſione os aperire noluerit, quo ſe cæleſti epulo reddidit indignum. Tunc enim ſolum cum obmutuit, & crimen ſilentio preſſit, illum damnauit, magis vtique propter confeſſionis neglectum, quam propter nuptialis ſtolæ defectum, quam obtinere potuiſſet confitendo delictum. Quemadmodum igitur ſeni aquilæ roſtrum aduncum ad petram atterenti, & aperienti, *redit vigor membrorum, nitor plumarum, & fit in eâ quædam reſurrectio*, vt ſuperius in Emblematis fonte aiebat Auguſt. ita pœnitens vbi cor ad lapidem angularem atterendo, clauſum os aperuit & iuuenilem Chriſti carnem comedit, illico iuueneſcit & renouatur, tum Euchariſtiæ, tum ipſius virtute pœnitentiæ, cuius vires admirans Chryſoſt. hom. de pœnit. exclamat. *O pœnitentia quæ peccatum Deo miſerante remittis, & paradiſum reſeras, quæ contritum ſanas hominem, & triſtem exhilaras, vitam de interitu reuocas, ſtatum reſtauras, honorem renouas, fiduciam das, reformas vires, gratiamque abundantiorem refundis.* Nonne hoc eſt, inſtar aquilæ renouari, immo & reſurgere, cùm non ſolùm vires reſtauret, verùm etiam vitam de interitu reuocet, os ad cibum viuum & immortalem aperiens. Nempe *cibis attritio clauſum os aperit.*

EMBLEMA XLII.

CICONIA ADVLTERA FONTE AD SCELVS CELANDVM ABVTENS.



SIccine adulterium celare ciconia ſperas?
Fœtida dum puris membra lauantur aquis.
Illiciti tandem coitus prodêris odore,
Atque mari pœnas dilaniata dabis.

APODOSIS.

Perfida sic vxor, diuini fontis abusu,
Occulit admissum coniugi adulterium.
Hei mihi! qui mores! quæ tempora! crimina Iesus
Palliet, & propriâ carne, cruore tegat?
Vela Sacramenti, Veneris sint vela nefandæ,
Subque Dei lateat virgine carne Venus?
Proh scelus inferni vix igne piabile! tegmen
Sacrilegi coitus sacra synaxis erit?
Ecquid agis meretrix? mortalem crimina celas:
Nescis omniscium fonte latere Deum?
Mortalem vt lateas, immortalemne latere
Posse putas? multum falleris, immo pates.
Proderis ipsa magis diuini fontis abusu:
Non bene in illimi crimina fonte latent.

FONS EMBLEMATIS.

NOn dubium est ciconias castitatis sectatrices esse, fœdusque coniugij inuicem seruare. Fertur enim quòd in eminentiori loco domus cuiusdam par ciconiarum habitarit; vne mare ad pastum recedente, frequenter alius mas adueniens fœminam adulterino coitu polluebat. At illa statim eminus in fonte se mergebat, sic scelus adulterii per aquæ lauacrum delens, marem proprium deludebat. Huiuscemodi factum Dominus habitationis frequenter aduertit, & quadam die post adulterium, eam à fonte ne lauaretur prohibuit. Nec mora, mas à pastu rediens, in suâ fœminâ scelus adulterij deprehendit, & in præsentiâ dissimulans abiit, reuersusque secundâ die maximam ciconiarum multitudinem secum adduxit, quæ singulæ adulteram aggressæ miseram crudeli morte lania-

runt, hactenus Author lib. de naturâ rerum apud Gesnerum in ciconiâ.

INTERPRETATIO.

1. QVantò præ cæteris Saluatoris fontibus Eucharisticus limpidior est, tanto illius vsus sanctior, & abusus sceleratior ac damnabilior. Cicontam domestico fonte abutentem ad adulterium celandum non diu pertulit mas offensus, sed totâ vi insurgens in pœnam, vbi primum illiciti coitus odorem deprehendit, numerosæ multitudini dilaniandam obtulit; quantò minus Christus Puritatis Eucharisticę zelator pręcipuus, nonnullas mulieres frequenti sacræ synaxeos abusu potius, quàm vsu, sua adulteria coniugum oculis occultantes, æternis cruciatibus addicet? qualis enim impudentia iisdem velis infandam Venerem occultare, quibus prima virginum Trinitas, & totius princeps virginitatis Christi humanitas, & Marianæ carnis virginalis portio, & totius fons puritatis operitur. Limpidior est fons Eucharisticus, quàm vt tot horribiles spurcitias occulat, fluidior illius latex, quam vt tanta criminum ferat onera, sincerior Dei absconditi simplicitas, quàm vt istam diu patiatur hypocrisim. Quippe si teste August. in Psal. 63. *Simulata innocentia non est innocentia, simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia & iniquitas est, & simulatio:* Nonne triplex erit iniquitas, & adulterium commisisse, & pietatem simulare, & sacrilegâ communione crimen occultare? si iuxta Hieronymum l. 7. in Isaiam sub finem, *in comparatione duorum malorum leuius malum est apertè peccare, quàm simulare & fingere sanctitatem:* Quid de impudicâ muliere censen-

dum, quæ non ſolum ſanctitatem ſimulat, ſed & totius ſanctitatis fontem execrabili ſimulatione conſpurcat? Nonne cordium inſpector, & renum ſcrutator Dominus in Sacramento deliteſcens, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, illam templum ſimulatâ pietate ingredientem iiſdem poteſt compellare verbis, quibus olim vxorem Ieroboam Ahias Propheta 3. Reg. c. 14. *Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te eſſe ſimulas? ego autem miſſus ſum ad te durus nuntius.* Quidni enim durus ille ſit nuntius, qui meretrici animæ à Deo ſuo fornicanti duriſſimum annuntiat iudicium; qui gehennam interminabilem, ardores ſempiternos, & mortem æternam interminatur.

2. Memini Gregorium Nazian. in funebri orat. Patris, hypocritam comparare meretrici, quæ, vt eius verbis vtar. *Sicut cùm natiuâ pulchritudine deſtituta eſt, ad colores, pigmenta & fucos confugere ſolet; ita hypocrita cum ſpecie ſolidæ perfectæque virtutis careat, adumbrationem quamdam pietatis externam ſimulat, quæ eorum oculos retinet, qui adumbratâ virtutis ſimulatione capiuntur.* At quæ damnabilior hypocriſis, quàm eorum participatione myſteriorum quibus tota ſanctitas adumbratur, ſummam iniquitatem diſſimulare, & ſanctitatem fingere? Deus nec illuditur, nec fallitur; ſecretiores cordis receſſus penetrat, oſſium peruadit medullas, intimiores animæ ſinus permeat, & occultiores cogitationes agnoſcit, voluntateſque conceptas in ipſis adhuc clauſi pectoris latebris intuetur: quæ igitur maior dementia, aut intolerabilior impudentia, quàm externâ pietatis ſimulatione ſcelera velle tegere, quæ ſub illius luce clareſcunt? Equidem vt cum Auguſtino loquar l. 83. quæſtionum q. 53. *Sicut*

prope summa & diuina virtus est neminem decipere, sic vltimum vitium est quemlibet decipere. Maximè verò illum velle decipere, qui nec decipi potest, nec decipere, planè diabolicum est, & totâ numinis vltione dignissimum; quod summæ illius simplicitati nihil magis aduersetur, quàm hypocrisis, nihil ipsius sanctitati sit hostilius, simulatione sanctitatis. Sanè quoties impudica mulier, vt illicitos celet concubitus, ad sacram synaxim accedit, toties viuum Dei corpus gloriosum, & sole splendidius cadauerosi pectoris sepulchro recondit. Propterea siquidem in Euangelio dealbatis sepulchris assimilantur hypocritæ, quòd sicut sepulchra marmorea foris quidem pulchra, intus autem vermibus scatentia sunt, & plane sepulchra; ita meretrix pietate luxuriem adumbrans, spectantium quidem oculis apparet pia, quamuis intus sit aperto sepulchro fœtidior, & coram Deo prorsus abominabilis. Hinc Iob. 13. dicitur. *Non veniet in conspectum Dei omnis hypocrita.* Quî etenim in conspectum Dei aliquando veniret, qui diuinis oculis fucum fecit, vt eum, si fieri posset, circumueniret? quomodo coram reuelatâ Dei maiestate in cælis appareret, quæ coram occultâ ipsius Diuinitate toties in templis comparuit, vt eius sanctitatem sanctitatis simulatione contaminaret?


3. Quid tandem dicam de qualibet animâ à Deo sponso, mortalis sceleris admissione, fornicante? siquidem authore Bernardo ser. 4. super Salue regina, *Fornicatio alia est spiritus, alia corporis: spiritus fornicatio est, deserto Deo adhærere diabolo. Vnde Psal. 72. dicitur: perdes omnes qui fornicantur abs te.* Etenim, vt addit Gillebertus ser. 35. in Cant. *Iure perditur quæ tam charas necessitudines perdit fornicando,*

nec vltra meretur hæc blandimenta audire, vt vocetur soror, vt sponsa, vt hortus, & hortus conclusus, qui neminem nisi dilectum admittit. Dicam audacter, nullam fornicatricem animam, ad nuptialem dilecti thalamum in altari impudenter accedentem, impune recessisse. Exemplum è multis vnum proferam, à S. Cypriano lib. de lapsis allatum, de quadam muliere, quæ cum à Deo suo fornicata esset, fornicatione spiritus, quæ idolorum est seruitus, ad sacram communionem accedens, *nec cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia, inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi & animâ exæstuante concludi postmodum cœpit; & pressuram non iam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem.* Nimirum vt Ciconia mas illicitum comparis coitum odore deprehendens, eam reliquis discerpendam obtulit, etsi fontis abusu scelus celare niteretur; ita Deus vindex infidelem animam atrociter punit, quoniam Eucharistici *crimen malè celat fontis abusu.*

EMBLEMA

EMBLEMA XLIII.

ARDEA PVLLOS NON NVTRIENS, NISI SVO CORPORI ADHÆRENTES.



Non nisi adhærentes lateri cibat Ardea pullos,
Inceditque ferens hoc pietatis onus.
Tuta magis soboles, alis protecta parentis,
Erigit ad lectas rostula hiulca dapes.

APODOSIS.

Corpori adhærentes & vero, & myſtico alumnos
Paſcis, at abſciſsis pabula, Chriſte, negas.
Iure quidem: nec enim diuinâ viuere mente,
Seiuncta a proprio corpore membra valent:
Non anima auulſos animat, mouet, & regit artus;
Abſcindi à viuo corpore, nonne mori eſt?
Viuere vis Domini cœleſti ſpiritu? adhære
Corpori, adhærentem gratia iugis alet.

FONS EMBLEMATIS.

ARdea ſtellaris excluſos pullos mater ſub alis fouet, ſingulum ſingulâ, & ſic pullis ſuo corpori adhęrentibns incedit, prominentibus eorum roſtris cibum benignè inſerens. Ita Phyſiologus apud Geſnerum in Ardeâ ſtellari.

INTERPRETATIO.

1. MIra quidem Ardeæ ſtellaris erga pullos pietas, vt illos alis protegat, & ſuis lateribus intimè adhærentes ſelectis dapibus enutriat, quas prominentibus inter alarum pennas roſtulis inſerit: verum admirabilior omnino Chriſti erga fideles Charitas, quos ſuo tùm vero, tum myſtico corpori (quod eſt Eccleſia) firmiter adhærentes, immortalibus Euchariſtiæ paſcit epulis; ab vtroque autem corpore ſeparatos tanquam fœtus degeneres inediâ conſumi permittit. Enimverò, quandoquidem ex Chryſoſtomo hom. 61. ad pop. *Propterea Dominus corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt.* Satis inde liquet neminem ex cordis affectu ſuo corpo-

re pascere, nisi sibi per charitatis reciprocæ glutinum adhærentem. Porrò illa intima membrorum suo cum capite vnio, illa corporum nostrorum cum ipsius corpore singularis commixtio, nonnisi eiusdem corporis participatione perfici docet idem Doctor hom. 45. in Ioan. *Vt non solùm per dilectionem, sed reipsâ in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobiscum commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur.* Cur autem intimam illam membrorum cum suo corpore copulam desideret, hinc oriri autumo, quod vt ipsemet ait: *Caro non prodest quicquam: spiritus est qui viuificat.* Vult ergo nos suo viuificare spiritu, ac proinde prius suo corpori per charitatem adhærere. *Vt Sacramentali gustu* (verba sunt Cypriani de Natiuitate Christi) *viuificis mysteriis inhærentes vna caro, & vnus spiritus simus; dicente Apostolo: qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Porro Iesuano spiritu vegetari nequeunt membra ab ipsius corpore seiuncta, sed ea solum quæ & capiti conformia, & sibi inuicem cohærentia, conformia moribus, cohærentia fide & amore. Suo quidem corpore Iudam proditorem pauit, sed inuitus, vtpote sibi nullatenus charitate cohęrentem, At suo spiritu minimè viuificauit, vtpote membrum à suo corpore separatum. Vltro verò cæteros Apostolos suâ carne saginauit, vtpote sibi charitate cohærentes, suoque spiritu viuificauit, tanquam partes nobiles suo corpori coniunctas. Nisi enim virtute diuinæ communionis illis fuisset non solum vnitus, verũ etiam, vt ita loquar, concarnatus & conuisceratus, dum ad horam ab iis in horto Gethsemani Patrem oratu-

rus abſceſſit, non ab Euangeliſta ab illis *auulſus* diceretur: auelli ſiquidem id tantummodò propriè dicitur, quod alteri tenaciter adhæret.

2. Hoc argumentum D. Auguſtinus præ cæteris Patribus eleganter proſequitur, cuius verba licet longiora, quia tamen huius Emblematis animæ ſummopere conſentanea, profero: ſic igitur tract. 27. in Ioan. diſſerit: *Manemus in Chriſto, cùm ſumus membra eius: vt autem ſimus membra eius, vnitas nos compaginat; vt compaginet vnitas, quid facit niſi charitas? & charitas* Dei *vnde? Apoſtolum interroga: Charitas* Dei, *inquit, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ergo *ſpiritus eſt qui viuificat, ſpiritus enim facit viua membra; nec viua membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat ipſe ſpiritus inuenerit.* Vnde ſic concludit tract. 26. in Ioan. *Fiant fideles* Corpus *Chriſti, ſi volunt viuere de ſpiritu Chriſti.* De *ſpiritu* Chriſti *non viuit, niſi* Corpus Chriſti. *Vis ergo & tu viuere de corpore* Chriſti*? in corpore eſto* Chriſti. *Inde eſt quod exponens nobis Apoſtolus hunc panem: vnus panis, inquit, vnum corpus multi ſumus. O Sacramentum pietatis! ô ſignum vnitatis! ô vinculum charitatis! qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur; non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur; ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori, viuat Deo de* Deo.

3. Quæres quid ſit Dominico corpori adhærere, & in illius membris computari? Reſpondet S. Bernardus l. de vitâ ſolit. ad fratres de Monte Dei *Quandiu in eo manes per amorem, & ipſe in te per ſanctitatis & iuſtitiæ operationem, in eius corpore, & membris eius computaris.* Et quid eſt Chriſtianum

Domino adhærentem ab eodem paſci? niſi corpus eius ſpiritaliter manducare, paſſionem ipſius recolendo, & patientiam imitando? Eumdem Patrem audi ſer. 2. in Cœnâ Domini. *Nouit quicunque rectè ſapit, quantum Chriſtianæ pietati expediat, Dei ſeruum deceat, ſacroſanctæ Paſſionis ipſius fidelius recolere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientiâ, ad recondendum plenius per imitationem in memoriâ, quod eſt ſpiritaliter manducare corpus* Domini, *& Sanguinem eius bibere, ob amorem & reuerentiam eius, qui credentibus in ſe præcepit dicens; hoc facite in meam commemorationem.* Quiſquis proinde in Chriſto manet per amorem, ab eodem libentiſſimè paſcitur, quoniam aptus eſt, vt diuino ſpiritu viuificetur; quoniam ſacroſancto corpori tanquam viuum, pulchrum & ſanum membrum charitate copulatur. At delicatiori ac ſucculentiori cibo alitur, qui non qualecunque membrum iſtius corporis, ſed pars præcipua & nobilis, immo cor ipſum appellari promeretur. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, inquit Apoſtolus, quæ verba enucleans Gillebertus ſer. 21. in Cant. appoſitè ſucclamat: *Felix planè quodcunque membrum capitis huius; ſed qui cor eſt eius, de præcipuis eſt. Et vide ſi non cor eius, qui quodam in ventre ſecretorum* Dei *foueatur, in vitali affectionum calore, in medio meditationum: de corde enim cogitationes, non operationes exeunt.* Iure *ergo cor eſt, qui in medio ſpiritalium locatus eſt cogitationum, in pinguedine gratiarum, in quodam ventre veritatis, in vtero ſapientiæ.* Felix quodcunque Dominici corporis membrum; quod vnumquodque cum aliis cohæreat, & quamuis ob diuerſa gratiarum munera non eumdem cum aliis actum habeat, vnitas tamen interior, & vnani-



mitas ipſam quoque multiplicitatem colligat, & charitatis glutino conſtringit. At longè felicius, qui feruentiſſimæ charitatis affectu cor huiuſce corporis eſſe meruit. Sed qualecunque ſit membrum, modo corpori adhæreat, eius ſubſtantiâ nutrietur, quoniam Dominus membra ſua & ſpiritu vegetat, & ſubſtantiâ nutrit; ſi verò non adhæreat, non nutriet: quia fideles ſuos, ſicut Ardea pullos, *non niſi adhærentes paſcit.*



EMBLEMA XLIV.
CINNAMOMVS CARNIS COMPORTATÆ PONDERI IMPAREM NIDVM SVBRVENS.



IMprudens quid agis volucris? quid grandia carnis
Pondera comportas, unde cubile graues?
Hostiles attende dolos; te carnibus Indus
Decipit, ut nidum pondere in ima trahant.

Niduli aromaticas desiderat ille ruinas,
Et pretiosa tuæ cinnama tigna domus.

APODOSIS.

Sæpe leuem cordis Christi caro pondere nidum
Subruit; est oneri sæpius impar homo.
Ni domus interior solidis sit fulta columnis,
Tignaque virtutum firma catena liget.
Corruet ingenti diuinæ pondere carnis:
Est firmanda prius, pòst oneranda cibis.
Si concussa tremat mortalis pondere culpæ;
Hanc illata Dei diruet ipsa caro.
Culpæ igitur quicunque grauem se pondere sentit,
Grande Sacramenti ferre timebit onus.

FONS EMBLEMATIS.

CInnamomum Arabes mirabilius, quam thus & casiam legunt: nam aut quo modo, aut qua in terrâ gignatur, illud nequeunt dicere, nisi quod probabili ratione vtuntur, quod quidam volunt gigni in his regionibus, vbi Dionysius educatus est, & ipsas cinnamomi festucas adferri à grandibus quibusdam alitibus, ad nidos è luto constructos, in præruptis montium, & homini inaccessis. Contra quas hoc Arabes excogitauerunt: Boum & aliorum iumentorum membra minutatim concisa in ea loca portant, & vbi iuxta nidos posuere, procul abscedunt. Ad hæc frusta delapsæ volucres ad nidos suos carnem comportant, cui sustinendæ impares, nidi ad terram discissi labuntur. Tunc Arabes ad eos colligendos accedunt. Ita Herodotus lib. 3.

INTERPRETATIO.

1. CInnamomi siue cinnamulgi volucris Indicæ nidus sublimior, lignis materiatus aroma-

ticis nimio comportaræ carnis pondere grauatus ſubuertitur, quòd tigna illius non ſatis firmiter inuicem cohæreant, vnde iis ſub carnis onere diſſidentibus, fœtus ſuos & aromata multo labore conquiſita, tum ad nidi ſtructuram, tum ad prolis annonam infeliciter amittit. Euchariſtia inæſtimabilis prorſus pretij, creatis omnibus facile præponderat, quòd Chriſtum in quo totius inhabitat plenitudo Diuinitatis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, in quo omnes tum gratiæ, tum gloriæ opes ac diuitiæ latitant, includat. Nemo proinde carnem adorandam, tot opibus & gazis refertam in interiorem pectoris nidum inferat, niſi ſe ferendo tanti Sacramenti ponderi ſenſerit idoneum, niſi nidi ſtructuram tignis inuicem bene cohærentibus ita ſtabilem nouerit, vt tantæ maieſtatis pondere ſubrui non poſſit: ſiquidem vt eleganter ait Bernardus ſer. 2. in dedicat. *Primo loco ſtudeat vnuſquiſque ne diſſideat ipſe à ſemetipſo, quoniam omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſuprà domum cadet, nec intrabit Chriſtus vbi fuerint parietes inclinati, & maceriæ depulſæ. Nonne enim corporis ſui domum integram anima vult habere, & exire illam neceſſe eſt, ſi fuerint à ſe inuicem membra diſperſa? Videat ergo & ipſa ſi deſiderat habitare Chriſtum per fidem in corde ſuo, i. in ſeipſâ: ſollicitè caueat, ne à ſe inuicem membra eius diſſideant, I. ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergo abſque errore ratio, vt bene congruat voluntati, talem enim voluntas amat: ſit & voluntas ſine iniquitate, quoniam ratio talem approbat, ſit etiam memoria ſine ſorde, vt nullum in eâ peccatum maneat, quod non purâ confeſſione deleatur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruerſa,*

nec memoria fuerit inquinata. Tres igitur, domus interioris ad capiendam Dei abſconditi maieſtatem deſtinatæ, parietes ſunt, ratio ſine errore, voluntas ſine iniquitate, memoria ſine peccati ſorde: tigna vero iis innixa Christianæ virtutes, quas inuicem cohærere difficile eſt, niſi charitate conſtringantur, aut diu ſubſiſtere ſtabiles, niſi in humilitate fundentur: harum quippe virtutum tam indiſcreta connexio eſt, vt qui in vnâ earum conſtruitur, ſimul in vtraque fundetur: ſicut enim pars charitatis eſt humilitas, ita pars humilitatis eſt charitas.

2. Ruinæ proinde proxima eſt illa animæ domus, nec ſuſtinendo Sacramenti ponderi idonea, cuius tigna nec charitate connexa ſunt, nec humilitate ſtabilita. Siquidem ex S. Hieronymo ep. 14. ad Celantiam: *Hæc eſt præcipua conſeruatrix & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium.* Hinc Chryſoſt. hom. 35. in Geneſ. docens quanam arte in pectoris ſinu, ſtabile Chriſto domicilium exſtruere poſſimus, ita loquitur, *bonis operibus noſtris humilitatem quaſi fundamentum ſubſtruamus, vt ſecurè virtutes ſuperextruere valeamus. Virtus enim non eſt, niſi coniunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem ſtructuram excitare. Hæc eſt inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non ſinens ipſum vel à ventorum violentiâ, vel ab imbrium impetu, vel à ſpirituum vi deijci; ſed omnibus inſidijs inacceſſum facit & inuictum, quaſi ex adamante conſtructum eſſet.* Quid ad rem noſtram accommodatius? quantumuis enim aromaticis virtutum lignis interioris nidi ſtructura coaleſcat, niſi tamen ſolidâ humilitatis baſi ſtabiliatur; Euchariſtiæ pondus nunquam ſuſtinere pote-

rit; quòd cæteræ virtutes nutent, nisi humilitate fulciantur, quantumlibet earum actus excelsi videantur. *Miranda quippe actio cum elatione, non eleuat, sed grauat*, inquit Gregor. M. hom.7. in Euang. Vnde hoc? nisi quia ex Cypriano de Natiuit. Christi, *fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cœlo stare potuit superba sublimitas.* Quia vero plerique Cinnamulgum auem æmulabundi, sublimem quidem in corde suo ex variis virtutum aromatibus Domino nidum exstruunt, nec tamen profundâ humilitate fulciunt; hinc accidit vt dum adorandam in illum carnem inferunt, totam structuram tanti Sacramenti ponderi imparem diruant. Contrà vero qui tigna virtutum & charitate connectunt, & humilitate stabiliunt, solidam domum ædificant: quoniam teste Ambrosio ep. 84. *in verâ humilitate nihil diuisum, nihilque non solidum est, & ideo omnes participes suos vnum facit, quia inæqualitatem ipsa non recipit.*


3. Intolerabile Dominicæ carnis pondus suis dispendiis expertus est Iudas proditor, dum illam ausu nefario in pectoris nidum nec charitate compactum, nec humilitate firmatum comportans, tanto impar oneri, *crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*, totaque structura penitus diruta & dissipata. Nimirum vt eleganter ait Cyprianus de Cœnâ Domini, *Vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de areâ exsufflatus est.* Similiter illa paruula, cuius idem Pater lib. de lapsis meminit; sacrificiis idolorum polluta, sese ferendo Sacramenti ponderi postmodum imparem sensit: vix enim illi Diaconus os instinctu diuinæ

maiestatis obturanti de Sacramento calicis infudit, cum secutus est singultus & vomitus: *In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta Maiestas.* Adeo vera est illa celebris Tertulliani sententia lib. de patientiâ c. 1. *Bonorum quorumdam, sicuti & malorum intolerabilis magnitudo est; vt ad capienda & præstanda ea sola gratia diuinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum, nec alius id quàm qui possidet, dispensat, vt cuique dignatur.* Ita sanè beatis mentibus intolerabilis foret diuinæ visionis magnitudo, nisi lumine gloriæ roborarentur; intolerabilis viatorum intellectui tot sublimium mysteriorum credulitas, nisi habitu fidei fulciretur, intolerabile demum humano cordi Eucharistiæ pondus, nisi & charitate & humilitate solidetur: qui diuinam carnem, instar Cinnamulgi, in nidum instabilem comportauerit, dissolutâ illius structurâ, *Grandis sua perdet pondere præda.*



EMBLEMA XLV.

DACNIS EPVLANTIVM CAPITI ILLIGATA, NE QVID IN MENSA INDECENS AGANT, PVNGENDO PROHIBET.



I'empesche ceux qui sont a table
D'y rien faire de reprochable.

45

P*Aruula sopitos prohibet dormire bibentes*
Dacnis, & ad calices excitat, atque dapes.
Hanc conuiua solet capitis religare corollæ,
Poßit vt exhaustis inuigilare scyphis.

APODOSIS.

Numinis occulti grandis timor impedit, aris
Ne quid in angustis irreuerenter agas.
Hunc animæ vincire decet, ne pressa sopore
Inter adorandas dormiat illa dapes.
Neue semel cratere madens mysteria temnat,
Interius pungat mixtus amore timor.
Solus is vngendus diuini balsamo amoris,
Qui maiestatis pungitur antè metu.
Hîc quod ames, metuasque, epulo reperitur in vno,
Est metuenda Dei gloria, amandus homo.
Altor, & vltor inest; Deus vltor iure timendus,
Altor amandus homo: si vis, vtrumque time.

FONS EMBLEMATIS.

DAcnides sunt auium genus, quas Ægyptij inter potandum cum coronis deuincire solent, quæ vellicando, morsicandoque & cantitando assiduè non patiuntur dormire potantes, aut quid indecens in mensâ agere. Ita Pompeius Festus.

INTERPRETATIO.

1. QVod epulantes Ægyptij olim agere consueuerunt, ne diuturnâ potatione sopiti, in mensa rhonchos ederent, Dacnides nimirum auiculas capitum corollis religando, quarum crebris punctionibus & modulis à somno excitarentur; idem fere Christianis omnibus ad magnificum Eucharistiæ conuiuium diuinitus inuitatis exequi necesse est, vt Dei videlicet timorem altius cordibus imprimant, cuius repetitis identidem punctionibus, à cælestis mensæ profanatione præpediantur. Menti suæ timoris diuini Dacnidem al-

ligauerat S. Martinus, quem nullus vnquam ad altaris menſam accedentem aſpexit, niſi corde palpitante, vultu pallido, tremulis manibus & labiis, genibus ſeſe inuicem collidentibus, totius denique tremore corporis, præſentis Numinis metum conteſtantem. Reuera D. P. Aug. exponens illud Pſal. 21. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum*, ibidemque per Chriſti vota, Euchariſtiam intelligens, quam ſemper habuit in votis, & ardenti deſiderio deſiderauit; ſatis innuit Dominum non niſi coram conuiuis præ nimio tantorum myſteriorum horrore contremiſcentibus ſua huiuſmodi vota velle reddere, his verbis: *Sacramenta Corporis & Sanguinis mei reddam coram timentibus eum.* Enimverò quis ad incomprehenſibilem Incarnati Verbi in Sacramento deliteſcentis gloriam, non ingenti metu intus exteriuſque concuteretur, præſertim vbi vilitatem ſuam cum tantâ maieſtatis excellentiâ componit? Quis adeo tremendum myſterium, quod nec Archangeli, propter emicantem inde ſplendorem, & crebra gloriæ fulgetra, liberè audent intueri, intrepide contrectaret, niſi ſe aut Dei præſentis immemorem, aut ſuæ ſortis oblitum immoderatius gereret? Eapropter S. Chryſoſt. hom. 61. ad pop. verſans illud Iſaiæ 26. *A facie tuâ, Domine, concepimus & quaſi parturiuimus ſpiritum*, à communicaturis exigit, vt præuio tanti Sacramenti timore, quaſi quodam caſto ſemine, ſpiritum i. arcanæ Diuinitatis amorem concipiunt, ac poſtmodum cum fiduciâ ad altaris menſam accedant: *Qui compunctionis dat ſpiritum*, inquit, *corda noſtra compungat, & in profundo ſemina ponat, vt ab ipſo timore concipiat, & pariat ſpiritum ſalutis, & cum fiduciâ accedat.* Iure

quidem; quoniam Euchariſtia nil aliud eſſe videtur quam fornax amoris, tota illa amor eſt, tota charitas; vt ergo timor Charitati, ita & Euchariſtiæ locum præparat. Itane verò timor amorem parit? audi Auguſtinum tract. 9. in Epiſt. Ioan. *Si nullus timor, non eſt qua intret charitas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem.* Nempe, vt ipſemet dixerat tract. præcedente, *timor non eſt in charitate; ſed in qua charitate? non in inchoatâ, in qua ergo? perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem.* Præcedat itaque in cordibus noſtris timor arcanæ maieſtatis, vt ſuccedat eiuſdem amor, & intret Deus charitas.

2. Hinc Pſaltes regius conuiuas Euchariſticos his admonet verbis: *Seruite Domino in timore; & exultate ei cum tremore.* Nulli ſiquidem in hoc epulo nuptiali exultare licet, niſi prius timuerit, imo nec exultare poſtquam timuerit, ſimpliciter licet, ſed exultare cum tremore: quoniam tremenda ſemper myſteria iugem quoque tremorem incutiunt. Audiendus Chryſoſt. hom. 1. in c. 6. Iſaiæ: *Quomodo igitur licet exultare cum timore, neque ſimpliciter cum timore; ſed etiam cum tremore; qui eſt timoris vehementia, & immodicæ cuiuſdam anxietatis ſignum? quomodo igitur, inquies, hoc fiet? ipſa tibi Seraphim dicunt reipſa tale in myſterium implentia. Nam ineffabili gloriâ Conditoris fruuntur, incomprehenſibilem eius pulchritudinem contemplantia. Sed quid prætereà vidiſti, ô Propheta? quid circa illum ſpectaſti? Et Seraphim, inquit, ſtabant in circuitu eius. Quid faciebant? quid dicebant? qua fiduciâ fruebantur? fiduciâ quidem;*

quidem, inquit, nullâ; verum stuporis & timoris erant plena, ipsâ etiam specie metum ineffabilem declarantia: duabus enim alis velabant faciem. Si ergo immortales illi spiritus quantumuis gloriæ lumine collustrati, oculis alas obtendebant, vt emicantem ex Dei solio splendorem vtcunque temperarent; nec sine stupore quodam ac tremore stabant, quo plenam illam horroris venerationem indicarent, quâ celsiorem cælestium arcanorum indagationem refugiunt: quî fieri posset, vt intrepidi Dei mensæ accumberemus, aut sine tremore tremenda sumeremus fercula, quibus Incarnati Verbi Diuinitas, & Humanitas, immò & tota latitat Trinitas? præcipuè cum eodem teste Chrysost. hom. de Euchar. in Encæniis: dum in nostris altaribus *Agnus Dei immolatur, Seraphim astent sex alis faciem tegentia*, præ nimiâ tanti Sacramenti reuerentiâ, cui nunc maiorem, quam olim ipsimet Deo super solium sedenti, videntur exhibere. Etenim Isaiæ c. 6. propter Dei reuerentiam, duabus duntaxat alis faciem velabant: at coram sanctissimo Sacramento, non duabus solum, sed præ venerationis excessu, sex alis faciem tegunt, inquit Chrysostomus: Cur autem, nisi quia in illo tria profundissima fidei clauduntur mysteria, Trinitatis videlicet, Incarnationis, & Transsubstantiationis? vt proinde binas ob reuerentiam singuli cuiusque mysterij, conniuentibus oculis alas obtendant.

3. Concludo igitur cum eodem Doctore l. 3. de Sacerdotio. *Hoc ergo mysterium omnium maximè horrendum, verendumque, quis tandem qui insanus minimè sit, quique è potestate mentis non exierit, fastidire ac despicere poterit?* Insanus enim ille sit, necesse est, qui sine tremore tremendis adstat mysteriis, in qui-

bus illa eadem adeſt maieſtas, cuius ad nutum, inquit Iob. c. 16. Columnæ cæli contremiſcunt & paueat. 1. interprete Gregor. M. l. 17. mor. c. 15. *Ipſæ virtutes cœleſtium, quæ Deum ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipsâ contemplatione contremiſcunt.* Præſentis itaque numinis timor, quaſi Dacnis identidem pungens ac vellicans, cordibus noſtris alligandus eſt, quoties altaris menſæ accumbimus, ne quid adorabili Sacramento cogitemus aut operemur indignum; ne inter cœleſtes epulas ſtertamus inhoneſtè. At, inquit idem Chryſoſt. hom. 8. in ep. ad Philipp. *quomodo comparabitur iſte timor? ſi cogitauerimus Deum vbique præſentem eſſe, omnia audire, omnia videre, non ſolum quæ opere fiunt, & quæ dicuntur, ſed & quæ in corde ſunt omnia, & quæ in profundo ſunt animi: iudex enim eſt cogitationum & conſiliorum cordis. Dic mihi, ſi tibi ſemper proximè principem ſtandum eſſet, non cum timore aſtares? quando comedis, cogita præſentem eſſe Deum, adeſt enim.* Quiſquis igitur regis regum accumbit epulis, præſentem ipſius maieſtatem fidei oculo contempletur, vt filiali eiuſdem timore perculſus, nihil indecens, nihil indecorum aut tremendis indignum ſacris admittat; vt timor ille cordi impreſſus intus inclamet. *Pungo, epulum ne forte profanet.*

EMBLEMA XLVI.
AQVILA SINE FLEXIONIBVS RECTA IN PRÆDAM INVOLANS.



CIrcuitus, quos Circus amat, Iouis armiger odit:
Rectâ summa petit, rectâ & in ima ruit.
Insidias fraudesque animus generosus abhorret;
Flectere non poterit vel malesuada fames.

APODOSIS.

Circuitu, sanctamque dolo circumuenit escam,
Qui sacra mundano motus honore facit.
Irruit in prædam rectâ, quem zelus honoris,
Christe, tui, & purus numinis vrget amor.
Circuit infamis, Circi de more, sacerdos;
Recta sed excelsas mens imitatur aues.
Præparet illustres animas intentio recta:
Quippe synaxis obest, mens vbi recta deest.

FONS EMBLEMATIS.

AQuila sola auium directo volatu, sursum aut deorsum fertur, cæteræ flexionibus vtuntur Ita Ælianus,

INTERPRETATIO.

QVonam aptiori Hieroglyphico rectam illam intentionem, quâ fidelis anima in adorandæ carnis prædam inuolat, exprimere possem, quam imperialis aquilæ, quæ non vt Circus, aliæue rapaces volucres, flexionibus prædam circumuenit, sed rectâ, siue sursum, siue deorsum in eam irruit, nihil generosâ indole moliens indignum? Et quidem ista rectæ intentionis synceritas Eucharistiæ præmittenda, pane olim azymo adumbrata fuit, cuius vsus in Paschalis agni comestione Hebræis erat præceptus, iuxta mentem S. Eligij hom. 14. *Azyma dicimus absque fermento. Fermentum verò malitiam designat & dolum. Absque fermento autem agnum comedimus, si sacram Eucharistiam, sine malitiâ & simulatione, in simplicitate bonæ vitæ percipimus.* Quam doctrinam hausisse videtur ex Cypriano ser. de Cœna Domini, vbi sic loquitur :

Non oportet esse fermentarios noui testamenti ministros puras sincerasque mentes sanctum quærit conuiuium : in veru crucis boni odoris assatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem , & induret solidetque mentis affectus : nec in Ecclesiæ sanctæ sacrificio vlla sit macula , sed pura simplicitas & innocentia vitæ. Nimirum hoc est epulari in azymis synceritatis & veritatis, vt ait Apostolus , rectâ sincerâque intentione carnem Dominicam edere ; recta autem intentione comedimus , si nihil aliud quàm Dei gloriam , Ecclesiæ rriumphantis honorem , militantis augmentum , animarum salutem , demum charitatis , & virtutum omnium incrementum præ oculis habeamus ; si in nostræ seruitutis , & supremi Dei in nos dominij protestationem , & in Dominicæ Passionis memoriam incruentum sacrificium offeramus. Tunc enim simplex erit nostræ intentionis oculus , ac proinde totum siue sacrificij , siue sacræ communionis corpus omnino lucidum erit. Immò & adorabile Christi corpus , quod sinistrâ intentione illud accipientibus tenebrosum est , simplici oculo contuentibus lucidius ac gloriosius apparebit ; iuxta illud verbum Domini Math. 6. 22. *Si oculus tuus fuerit simplex , totum corpus tuum lucidum erit ; si autem oculus tuus nequam fuerit , totum corpus tuum tenebrosum erit.*

2. Quod enim hîc per oculum intentio designetur, docet passim S. P. Aug. præsertim l. 3. contra Iulian. c. 4. vt probet non officiis , sed finibus distingui virtutes , & l. de sermone Domini in monte c. 21. vbi sic scribit : *Intentio est quâ facimus quicquid facimus , quæ si munda fuerit & recta , & illud aspiciens quod aspiciendum est , omnia opera nostra , quæ secundùm eam operamur , necesse est bona sint.* Cui sub-

ſcribens S. Gregor. l. 28. mor. c. 13. *Quid per oculum,* inquit, *exprimitur, niſi opus ſuum præueniens cordis intentio? quæ priuſquam ſe in actione exerceat, hoc iam quod appetit contemplatur. Et quid appellatione corporis deſignatur, niſi vnaquæque actio, quæ intentionem ſuam quaſi intuentem oculum ſequitur? Lucerna itaque corporis eſt oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illuſtrantur actionis.* E*tſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: quia ſi rectè intendimus, per ſimplicitatem cogitationis bonum opus efficitur, etiamſi minus bonum eſſe videatur. Etſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit: quia cum peruersâ intentione quid vel rectum agitur, etſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obſcuratur.* Longiuſculè, ſed ad rem appoſitè; quamuis enim in conſpectu mortalium nihil illuſtrius, ac auguſtius videatur tremendo Miſſæ ſacrificio; ſi tamen peruersâ intentione, ſiue lucri ſordidi, ſiue gloriæ cupiditate, à miniſtris offeratur, innato ſibi ſplendore deſtitutum prorſus obſcuratur; & adorabile Chriſti corpus quod rectis ſinceriſque mentibus ſole meridiano clarius affulget, indignis ſacerdotibus, non rectà, inſtar aquilarum, in illud irruentibus, ſed miluorum more circumuenientibus, horribiles offundit tenebras; adeo vt quod ex ſe planè lucidum eſt, defectu rectæ intentionis appareat tenebroſum.

3. Væ igitur illis Sacerdotibus & Epiſcopis, qui dignitatis ſplendore gloriantes, pompaticè ad humilitatis Dominicæ Sacramentum, & diuinarum exinanitionum centrum accedunt; qui characteris ſui dignitati totum tribuunt, ſanctitati nihil; qui coram humili Domino faſtu turgidi, furto ſacrilego gloriam eidem ſurripiunt, vt ſibi arrogent; qui

ſuis in functionibus ſplendidis admodum & illuſtribus laudem humanam, non Dei gloriam intuentur. *Quandoquidem* vt ait S. Aug. expendens illud Pſal. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, & ipſa ab hominibus laus homini iuſto quantacunque prouenerit, non ibi debet eſſe eius finis boni; ſed etiam ipſa referenda eſt ad gloriam* Dei, *propter quem bona faciunt verè boni, quoniam nec à ſeipſis, ſed ab illo fiunt boni.* Et infrà. P*orrò ſi vanum eſt propter hominum laudes bona facere; quantò vanius propter adipiſcendam pecuniam, vel augendam.* Quod poſtremum quibuſdam ſacerdotibus competit, qui niſi ſtipendium temporale ſperarent; numquam ſacra myſteria celebrarent; mouentur enim potiſſimum non diuinæ gloriæ, ſed pecuniæ ſtudio. Quo fit vt mihi ſemper admirabile viſum fuerit animam prauâ intentione accedentem tanti Sacramenti pondus ſuſtinere potuiſſe, vtpote inſtabilem, nec ſolidà ſinceræ intentionis baſi firmatam. Siquidem vt cum Gregorio loquar lib, 28. mor. cap. 13. in illud Iob. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt: Baſes vniuſcuiuſque animæ ſunt intentiones ſuæ: nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, virtutes verò in intimâ intentione ſubſiſtunt. Et quia ſcriptum eſt: fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, tunc baſes in fundameneo ſunt, cum intentiones noſtræ in Chriſtò roborantur. Incaſſum verò alta ſuper ſe baſes ædificia erigunt, ſi non ipſæ in fundamento ſolidatæ conſiſtunt.* Quidni igitur ſtupendum videatur, animas inſtabiles, nullâ rectæ intentionis baſi firmatas adorandæ Humanitatis prædam ingentem ſuſtinere poſſe, & ſecreti Numinis ſer-



re maieſtatem, iis omnibus intolerabilem quæ in ſtabili fundamento minimè ſolidantur. Sacerdos itaque non vt Circus flexionibus Euchariſticam prædam circumueniat, ſed rectâ in eam inſtar nobilis & Imperialis Aquilæ, irruat : Etenim *rectâ cor nobile fertur in eſcam.*



QVADRVPEDES.

EMBLEMA XLVII.

LEO FVRENS, OPERTO SAGI INIECTV CAPITE, IMMOBILIS FIT, ET VLTRO VINCVLA SVBIT.



QVid monſtri video? Libyes Leo *gloria & horror,*
Vincula ſubmiſſo vertice ſponte ſubit.
Horribiles ceruice toros non excutit, oris
Non aperit rictum, dente nec vngue furit.

Ille prius venantum acies perrumpere doctus,
Et fremitu reliquas exanimare feras:
Quàm cito natiuos, velatâ fronte, furores
Exuit, vt vilis iussa sequatur heri.
Ardentes oculorum orbes vix pastor amictu
Texit; & ecce feræ colla superba ligat.
Veste superiecta, quantum mutatur ab illo,
Qui modo ab humana strage redibat ouans,
Nempe oculis vis maior inest; tege, torpidus hæret:
Quem non mille domant spicula, vela domant.

APODOSIS.

Filius ipse Dei quas strages edidit olim!
Quot mari, & æthereo perdidit igne reos!
Angelicas quot chiliades in tartara, ab astris
Impulit, hoc ne satis noscitur vngue leo?
Verùm vbi factus homo panis se texit amictu,
Pristinus extincto languit igne furor.
Qui nullâ prius arte capi, poteratue teneri,
Nunc venit in nostras, mitis vt agna, manus.
Hæret in altari suppressa immobilis irâ,
O quas illecebræ, sæuitiæque vices!
Sic animos mutat Sacramentalis amictus:
Ille Deum potuit flectere, quidni hominem?
Non leo iam sacris tegitur speciebus, at agnus:
Si leo sis, species accipe, & agnus eris.

FONS EMBLEMATIS.

CApere Leones ardui erat quondam operis, foueisque maximè. Principatu Claudij casus rationem docuit, pudendam pene talis feræ nomine, pastoris Gætuli sago contra ingruentis impetum obiecto. Quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpes-

cente tantâ illâ feritate, quamuis leui iniectu operto capite, ita vt deuinciatur non repugnans, videlicet omnis vis constat in oculis. Ita Plinius lib. 8. c. 16.

INTERPRETATIO.

1. LEo Dei filius, de quo Isaias c. 5. 29. *Rugitus eius vt Leonis, rugiet vt catuli Leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.* Leoni autem ad iracundiam magna inest procliuitas, cui, teste Basilio hom. 9. in hex. tanta vocis eliciendæ natura præstitit instrumenta, vt animalium complura longè ipso celeriora, solo sæpe rugitu capiantur. Quis verò leonis nostri furores, quis ab eo editas in veteri testamento strages,

Quis funera fando
Explicet, aut poßit lacrymis æquare dolores?

Ex vngue leonem. Primùm quidem innumeras angelorum myriades, ob vnicum superbiæ crimen, ab Empyrei vertice in inferni centrum detrusit, nullâ habita ratione, aut natiuæ pulchritudinis, aut subtilitatis ingenij, aut excellentis gratiæ qua fulgebant, aut gloriæ sibimet ex tot immortalium spirituum felicitate, laudibus, & obsequiis redundaturæ, aut malorum, casum & ruinam ipsorum totâ æternitate subsequuturorum, puta lapsus humani generis, & scelerum omnium quæ in mundum inuecturos certissimè præsciebat: quin potius in flagranti delicto deprehensos, irreuocabili sententiâ damnatos, in flammea compegit ergastula, nequidem vnico, ad peccati pœnitentiam instanti concesso. Appositè Bernardus ser. 1. de Aduentu: *Si superbientibus angelis Deus non pepercit,*

quantò minus tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitauit superbiam, & in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est. O stragem inauditam! ô inflexibilem iracundiam! ô terribilem leonis rugitum! *Leo rugiet, quis non pauebit?* ait Amos. Ex vngue leonem.

2. Secundo protoparentes nostros cum omnibus posteris regno cœlesti exclusit, Paradiso expulit, innocentiæ prærogatiuis spoliauit, totumque fere genus humanum, vnius ob noxam, dæmonum tyrannidi pluribus sæculis permisit; immo & generali cataclysmo submersit, ruptisque cæli catarrhactis ad internecionem vsque deleuit. Quis vnquam Gætuliæ leo tali lanienâ greges obuios dissipauit? nec ex clade mitior factus iterum furit & grassatur, vt ei congruat quod de leone memorat Plinius: *Placidus aliquando ac clemens, quod rarum est; crebrior enim iracundia eius.* Quippe recenti hominum cæde spumantes rictus oblitus, flammas iterum efflat, ac sulphureis ignibus infamem Pentapolim præposteræ libidinis ardore semiustam incendit, euertit, consumit; idque in momento, negatâ qualibet ad pœnitudinem morâ. Quid hic memorem Pharaonis exercitum Erythræi maris fluctibus obrutum, Hebræos aut incendiis absumptos, aut hiatu terræ absorptos? quid centum & octoginta quinque Assyriorum millia vnius Angeli gladio perempta, plagas multiplices Ægypti, aliaque id genus diuinæ seueritatis exempla?

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Nimirum vt ait Sapiens Prou. 20. 2. *Sicut rugitus leonis, ita & ira regis.* Immo & leone seuerior, vt ita loquar Dei filius. Quippe si Aristoteli credi-

mus l. 9. de hist. animal. cap. 44. Leo percussorem quidem agnoscit, & ex obseruatò inuadit; attamen si quis non percusserit, sed infestet, hunc si ceperit, non vnguibus lacerat, sed quatit solum, atque vbi ita terruit, dimittit. At Dei filius ob admissum à solo Dauide facinus, septuaginta populi millia triduo sustulit. *Quis istud*, inquit eleganter Seneca, *delectari sono catenarum, quocumque ventum est, multum sanguinis effundere, aspectu suo terrere, & fugare? quæ alia vita esset, si leones regnarent*; meritò itaque Dei filius tot cladibus in veteri testamento delectatus, leoni ferarum ferocissimo comparatur.

3. Verum, quod omnem excedit admirationem, Leo noster vix sese Sacramentalium amictu specierum obtexit, operto prius nostræ carnis sago, suæ diuinitatis capite; cum verso in gemitum rugitu, mutata in clementiam iracundiâ in altaribus substitit immotus, adeo vt accidentium vinculis deuinciatur non repugnans. Nempe vt bellè cecinit Ouidius l.3. Trist.

Quò quisquis est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Quis vero Dei filio velis obuoluto Eucharisticis aut maior, aut generosior? in arâ non amplius vindictam spirat, sed vitam; non suppliciis delectatur, sed blanditiis; non furoris librat fulmina, sed amoris vibrat iacula; non formidine leonina percellit, sed agnina mansuetudine pellicit. Quis hanc Leonis in agnum metamorphosim non admiretur? ô repentinam vltricis iustitiæ, & illicis clementiæ vicissitudinem! Ille idem qui tot angelos & homines fulmineo veluti caudæ ictu prostrauerat, vix sacramentalibus velis obuolutus est; cum se à quibusuis sacerdotibus non tangi solum, sed

etiam manducari sinit, ad eorum nutum mouetur, nunc in sacrario recluditur, nunc per compita defertur, agno mitior: tanta est Sacramentalis amictus potentia: tanta, Iesu mitissime, in Sacramento, tui cordis lenitas & clementia. Hæc illa est quę non solum manducare cum peccatoribus tibi persuasit, sed etiam à peccatoribus manducari voluit: vt proinde tibi cum poeta dicere possim:

Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris,
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.
Hæc docet vt pœnis hominum, vel sanguine pasci
Turpe ferumque putes, vt ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, vt non infensus alendis
Materiem præstes odiis, vt sontibus vltro
Ignouisse velis, deponas ocyus iram
Quam moueas, precibus numquam implacabilis obstes,
Obuia prosternas, prostrataque more leonum
Despicias

Leui quantum mutatus amictu.



EMBLEMA XLVIII.

PANTHERA TORVVM CAPVT FERIS OPERIENS, ODORIFERAM PELLEM DETEGENS.



Elle descouure ses apas,
Et cache ce qu'on n'ayme pas.

VT Panthera feras pellis demulcet odore,
Sic capite horrifico terret, & ore fugat.
Prædæ inhians quid agat? densis se vepribus abdit,
Eximia ostentat terga, caputque tegit.

Natiuum interea pellis transpirat odorem,
Cuius ad afflatum plurima Dorcas hiat.
Sentit vbi captu faciles, inopina latebris
Prosilit, hisce famem docta leuare dolis.
Alliciens sentitur odor, latet horrida forma:
Qua trahit illa patet; qua fugat illa latet.

APODOSIS.

Christus in altari virtutum balsama sudat,
Fragantisque animas carnis odore trahit.
Terribilis sed enim Deitas, corpusque beatum
Plus terroris habent, illecebræque minus.
Subtiles mirare dolos, technasque Theandri:
Id quod amas aperit, quodque times operit.
Ad calicem sitibundus hias, panemque famescens
Appetis; ecce tibi præstat vtrumque libens.
Si terret Deitas, non vinum terret & esca:
Illa Sacramento delitet, hæcque patent.
Pane satur, vinoque madens Deitate frueris;
Immo latentis eris potus, & esca Dei.

FONS EMBLEMATIS.

ADmirabilem quamdam, & nobis occultam odoris suauitatem olet Pardalis, siue Panthera: quam bene olendi præstantiam diuino munere donatam, cum sibi propriam plane tenet, tum verò cætera animalia hanc eius vim præclarè sentiunt. Hæc autem hoc modo venationem capit: quum horum quæ ad victum opus sunt, eget, sese vel in loca fruticibus densis consita, vel foliis vestita ita occultat, vt inuentu difficilis tantum respiret: tum hinnuli, Dorcades, Capræ Syluestres, atque alia huiusmodi animalia quadam suauis odoris illecebrâ attrahuntur, & proximè accedunt.

Illa

Illa tum quàmmox de latebrâ exiliens ad prædam se rumpit, atque eam comprehendit. Ita Ælian. l. 5. de Anim. c. 40. Cui consentit Solinus c. 21. his verbis: Tradunt odore Pantherarum, & contemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas persentiscunt properatò cōuenire, nec terreri nisi solâ oris toruitate. Quam ob causam Pantheræ abscōnditis capitibus, quæ corporis reliqua sunt spectanda præbent, vt pecuarios greges stupidos in obtutu populentur, securâ vastatione. Idem docent Aristoteles, Plinius, & Plutarchus apud Gesnerum inAntherâ c. 3.

INTERPRETATIO.

1. PAnthera mirabili pellis fragrantiâ feras illiciens, Dei Filius est, quem Eusebius Cæsariensis l. 5. de præpar. Euang. c. 1. pulchrè vocat, *Fragrantiam Patris*, cuius odoriferæ carnis adeo potens, ac suauis sit afflatus, vt illustres animæ certatim sequentes clamitent: *Trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Verùm, vt Panthera toruum caput fruticibus densis inumbrat, ne feris, terrorem incutiat; maculosam verò pellem iis spectandam præbet, cuius in obtutu stupidas facilius capiat; ita Dei Filius, ne nos incomprehensibili maiestate terreret, caput suum, hoc est, Diuinitatem vltrò nostræ humanitatis amictu operuit, carnemque suam nostrarum infirmitatum maculis conspersam, quò nobis vt similior, ita amabilior fieret, aperuit, triginta trium annorum spatio, vt animas in ipsius contemplatione defixas ad se raperet, & desiderabili prædâ potiretur. Neque verò mihi dubium est Dominicam carnem virginali formatam sanguine suauissimum circum-

quaque odorem expiraſſe, vt de virtutum fragrantiâ ſileam, quo peccatrices animas quaſi totidem feras alliceret, puta Magdalenam, Mathæum, Zachæum, compluresſque publicanos, quibuſcum libentiſſimè conueſcebatur. Currebant alacriter in odorem vnguentorum eius, quoniam terribilis latebat diuinitas, & amabilis patebat humanitas, ineffabilis clementiæ balſamo delibuta, cuius odorem longè lateque diffudit, dum illud exinaniuit. Quando autem illud vnguentum exinaniuit, niſi cum formam Dei ſub formâ ſerui occultans, ſemetipſum exinaniuit? audiendus Origenes hom. 1. ex quatuor in Cant. *Niſi exinaniiſſet vnguentum, hoc eſt plenitudinem diuini ſpiritus, & humiliaſſet ſe vſque ad formam ſerui, capere eum nullus in illâ Diuinitatis plenitudine potuiſſet, niſi ſola fortaſſis ſponſa, pro eo quod videtur indicare, quia vnguentum iſtud exinanitum non ſibi; ſed adoleſcentulis dilectionis dederit cauſam: ſic enim dicit: vnguentum exinanitum nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te: ac ſi diceret; adoleſcentulæ quidem propterea dilexerunt te, quia exinaniſti te de formâ* Dei, *& factum eſt vnguentum exinanitum nomen tuum.* Niſi ergo ſemetipſum exinaniiſſet, nominis ſui non effudiſſet vnguentum, cuius in odorem currunt adoleſcentulæ, & vt eum nullus in illâ Diuinitatis plenitudine capere potuiſſet, ita nec ipſe nos caperet, ac virtutum fragrantia pellicere poſſet: quin potius apertæ maieſtatis horrore perculſos longius à ſe gloriæ fulgetris abegiſſet, cum Hebræis vociferantes: *Non loquatur nobis* D*ominus, ne forte moriamur.* Verum vbi Panthera noſtra Diuinitatis ſuæ caput operuit, quo terrebat, & odoriferam carnis ſuæ pellem aperuit, quâ pelliciebat, innumeros ſibi

comparauit tum opertæ Deitatis adoratores, tum apertæ humanitatis admiratores, & quod amplius est, theandricarum actionum fecit imitatores.

2. Id quidem primum ingeniosus ipsius amor excogitauit, dum adhuc in carne mortali nobiscum conuersaretur, quo desideratâ animarum prædâ facilius frueretur. Verum triumphatâ iam morte rediuiuus & immortalis, cùm probè sciret carnis suæ gloriam mortalium oculis intolerabilem nonnihil deinceps terroris nobis incussuram, ne expetitâ prędâ frustraretur, eamdem vltrò suá cum diuinitate, amabilibus panis & vini symbolis occuluit, ne quid in ipso appareret, quod accedentes vel tantillum exterreret; Pantheram imitatus, quæ, vt supra vidimus, non solum caput, sed & reliqua corporis densis fruticibus ita occultat, vt inuentu difficilis tantum respiret mirabilem illam odoris suauitatem, qua pellectæ Dorcades fidentius accedant, & capiantur. Quidni enim in Sacramento censeatur inuentu difficilis, quem tot hactenus hæretici diu conquisitum inuenire non potuerunt, quia sine fide, qua solâ inueniri potest, eumdem quæsierunt? quidni ibidem miram expiret vtriusque naturæ delitescentis fragrantiam, cùm tot ad eum fideles animæ conuolent suauissimi nominis odore pellectæ? Liceat hîc mihi cum Origine loco supra cit. à minori ad maius sic arguere: *Si solum nomen eius, quia vnguentum factum est exinanitum, tantum operis egerit, & ita suscitarit adolescentulas, vt primò traherent eum ad se, & habentes eum apud se caperent vnguentorum eius odorem, & statim currerent post eum: si hæc, inquam, omnia solo nomine eius effecta sunt; quid putas faciet ipsa eius substantia? quid ex illâ adolescentulæ istæ virtutis, quid vigoris acci-*

pient, si quo pacto potuerint aliquando ad ipsam eius incomprehensibilem atque ineffabilem substantiam peruenire? Ego puto quod si ad hoc aliquando peruenerint, iam non ambulent, neque currant; sed vinculis quibusdam charitatis eius adstrictæ adhæreant ei, ne vltra mobilitatis alicuius vllus in eis resideat locus, sed sint cum eo vnus spiritus, & compleatur in eis illud quod scriptum est: Sicut tu Pater *in me, & ego in te vnum sumus, & ita isti in nobis vnum sint.* Ita est, si sola nominis Iesu fragrantia tot fideles animas attraxit, vt in dilecti amplexum non currerent modò, sed volarent: quid agent in sacrâ Communione, cum non solo nominis odore recreantur, sed & eius carne satiantur, eius cruore inebriantur, totâ denique diuinâ, & humanâ ipsius substantiâ saginantur? si tenuis Pantheræ nostræ halitus, adolescentulas quasi vagas Dorcades, vt in vnguentorum odorem currerent, animauit; qualem nunc iis vigorem inspirabit ipsemet sponsus tota Patris fragrantia, ipsamet hypostasis Verbi, ipsa Diuinitas, ipsamet Trinitas Sacramento delitescens? hæc enim quamuis non mediocriter exterrerent, si in propriæ gloriâ maiestatis apparerent; quia tamen sub panis & vini speciebus larent, quibus nobis tum famelicis, tum sitibundis nihil optabilius; tantum nobis nunc amorem inspirant, quantum olim Hebræis inter mugientia tonitrua, & gloriæ fulgura terrorem incusserant. Nimirum in monte Sina patebat solum quod pellebat, latebat autem quod pelliciebat: è contrario verò nunc in sacramento Dominus *latet quâ pellit, patet quâ pellicit.*

EMBLEMA XLIX.

CAPRA CVLTRVM QVO MACTARETVR, SACERDOTI PORRIGENS.



LEcta capra Acraeae Iunonis sistitur arae;
Sed popa cultello, quo feriatur, eget.
Ipsa morae impatiens, terram pede victima scalpit,
Vnde sibi gladium, quo cadat icta, trahit.

Attonitis hærent animis cum plebe ministri,
Instrumenta suæ quòd dedit apta necis.
Quæ reperit cultrum, cuius procumberet ictu;
Nunquid eam meritò se iugulasse putes?

APODOSIS.

Consummatâ, epulo Paschali*, lege, typisque,*
Se proprio Iesus immolat ore Patri*.*
Non pede, sed linguâ cultrum eruit, vnde cruorem
Separet à sanctâ carne, libensque cadat.
Diuini cultro eloquij se mactat ad aram:
Idem est vnius victima, mysta sacri.
More sacerdotum, fumantem vase cruorem
Excipit, & sociis porrigit vnde bibant.
Victima quæ proprij verbi mucrone secatur,
Nonne est in plagas ingeniosa suas?
Victima quæ humani cultro mactatur amoris,
Nonne in delicias occidit illa meas?

FONS EMBLEMATIS.

IVnoni Acrææ (à Promontorio sic appellatæ) Corinthij sacra facturi erant, victimarium cultrum popæ nullum habebant. Cum ecce tibi capra, (hæc enim erat Iunoni destinata victima) pedibus terram exscalpens, in suam perniciem cultrum eruit. Ita Zenobius centuriâ primâ adagiorum adag. 27. hinc natum adagium *capra sibi ipsi gladium*; in eos qui ipsi reperiunt quo pereant.

INTERPRETATIO.

1. QVod capra in holocaustum destinata sacerdoti inermi cultrum; suam in perniciem, porrexerit, casu id euenit: quod Christus Dominus tremendi altaris sacrificij sacerdos simul & vi-

ctima, cultrum spiritalem, eruerit quo primùm à se, deinde verò à nouæ legis sacerdotibus mystico & inuisibili modo mactaretur, id ex industriâ, & institutione diuinâ planè contigit. Meritò quidem: quis enim adorabilem illam hostiam omni vtriusque Ecclesiæ cultu dignissimam, non dicam immolare, sed vel attrectare auderet, nisi victimarium cultrum & gladium, quo feriretur, vltrò ipsamet sacrificanti subministraret? quis ille gladius tantę virtutis & efficacię vt talem hostiam, initio quidem adhuc mortalem, postmodo verò immortalem ingulare possit, & cruoris à corpore separatione cruentum crucis repræsentare sacrificium? vtique sermo consecrationis: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax*, inquit Apostolus Hebr. c. 4. *& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum.* Quam solida autem, & subtilis gladij huius acies, quæ Dominici corporis venas & arterias omnes penetrans, ita sanguinem à reliquâ carne seiungat, vt nisi naturalis partium connexio fulgureæ cuspidi obesset, hostię corpus exangue & exanime in altari collocaretur! rectè siquidem de Christi semetipsum in vltimâ cœnâ sacrificantis sermone intelligitur illud Ecclesiastę 8. *Sermo illius potestate plenus est.* & ipse verba consecrationis proferens, quibus panem & vinum in corpus & sanguinem suum transmutauit, illud Isai. 55. dicere potuit: *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quodcunque volui.* Quid porro Eucharistiam instituens voluit? quid desiderio desiderauit, nisi prius in mensâ modo incruento mactari, quàm cruento in cruce immolaretur? quam mysticam immola-

tionem efficaciter peregit Verbum conſecrationis quouis gladio penetrabilius ex eius ore egrediens, nec vacuum ad ipſum rediit, quod viuam iugulans victimam, & ſanguinem à carne diuidens, incruentum ſacrificium abſoluit.

2. Sanè ſi in antiquæ legis ſacrificiis, tunc verè cenſebantur immolari victimæ, quum ſacerdos in earum iugulum cultrum adigens, ſanguinem vniuerſum, in quo eſt anima, eliciebat: quidni Dominus in vltimâ cœnâ ſemetipſum Deo Patri in odorem ſuauitatis immolaſſe exiſtimetur, quum ancipiti verbi conſecratorij gladio viuam hoſtiam feriens, totum cruorem ſeorſim à corpore poſuit? quandoquidem hac myſticâ victimæ mactatione, futurum crucis ſacrificium ad viuum expreſſetit, ſupremumque Dei dominium, ſuamque vt homo ſeruitutem proteſtatus ſit. Quod hiſce luculentis verbis docet S. Gregorius Nyſſ. orat. 1. de Chriſti reſurr. *Cum corpus ſuum diſcipulis congregatis edendum, & ſanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit Agni ſacrificium iam eſſe perfectum.* Rationem ſubiungit: *quia victimæ corpus non eſt idoneum, ſi animatum ſit. Quare cùm corpus edendum, & ſanguinem bibendum dedit, iam victima arcano & inuiſibili modo erat immolata.* Nimirum Chriſti corpus non erat idonea veri ſacrificij conſummati victima, niſi vi verborum ſeorſim poſito ſanguine, fieret exangue, ac proinde exanime, myſticâ quadam morte hoſtiæ cultri ſpiritalis ictum ſubſecutâ. Præclarè S. Ambroſ. in Pſ. 39. *Vidimus principem ſacerdotem ad nos venientem; vidimus & adiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum.* Vtique in momento conſecrationis, cùm hæc verba protulit; *Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſta-*

menti, qui pro vobis, & pro multis effundetur. Vnde ſubdit idem Doctor: *Tunc ipſe offertur in terris, quando corpus eius offertur; & tunc ipſe offerre manifeſtatur in nobis, quando ſermo eius ſanctificat ſacrificium quod offerimus.* Hoc eſt quando ſermonis conſecratorij gladius viuam hoſtiam myſticè diuidens, incruentum ſacrificium omnino conſummat.

3. Neque verò ſolum adorabilis illa victima, cultrum illum ſpiritalem, quo iugularetur, ſibimet vt ſacerdoti porrexit; verum & quotidie eumdem cultrum, nouæ legis ſacerdotibus, quo iuge fiat ſacrificium adminiſtrat. Propterea quippe, vt obſeruauit Ambroſ. l. 4. de Sacram. dum ſeſe ad immolandum, hoc eſt ad corporis ac ſanguinis Dominici conſecrationem accingunt, non amplius ſuis, ſed ſermonibus vtuntur Chriſti, id eſt gladio ſpiritali, quem illis hoſtia mactanda ſponte porrigit. Hinc Cypr. De cœna Domini. *Ex quo dictum eſt, ait, à Domino, hoc facite in meam commemorationem; Hoc eſt Corpus meum; &, Hic eſt Sanguis meus: quotieſcunque his verbis, & hac fide actum eſt; panis iſte ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum exiſtens.* Si holocauſtum, ergo vi verborum conſummatur ſacrificium totum cedens ad Dei gloriam. Eam ob cauſam Gregor. M. 4. dialog. c. 58. tempus quo verbi conſecratorij gladius à ſacerdote ſtringitur, emphaticè *immolationis horam* appellat. Et S. Chryſoſt. hom. de proditione Iudæ, aſſerit, hæc verba Domini: Hoc eſt Corpus meum, *Vſque ad conſummationem mundi, firmitatem præſtare ſacrificio*, quod illorum virtute iugiter in noſtris altaribus hoſtia mactetur: ad quam immolationem poteſtas & character ſacerdotij noſtri præ-



ſertim ordinatur, vt patet ex verbis quibus ſacerdotes inaugurantur; ac proinde cùm Chriſtus incruenti victima ſacrificij, ſibi vt primario ſacerdoti, & nobis vt eius miniſtris conſecratorij verbi gladium quo myſticè iuguletur, porrexerit, ſequitur veram eſſe noſtri emblematis epigraphem: *Quo caderet dedit hoſtia cultrum.*



EMBLEMA L.

AGNVS SVPRA SCROBEM LIGNO PENDVLVS LETHALE LEONIBVS ILLICIVM.



Stipite suspensus foueâ en tener agnus ab altâ
Eminet, esca vagis perniciosa feris.
Ne subodorentur fraudes, breuis vndique surgit
Murus; at hunc rictu transit hiante leo.

Mox improuisæ conclusus carcere scrobis
Frendet, & agninæ carnis amore perit.
Hostiles furias sic mansuetudo triumphat;
Deque ferâ immani paruulus agnus ouat.

APODOSIS.

Quid scrobs alta? humilis Deitas; quid stipite pendens
Agnus? sacra caro penduli imago Dei,
Agni auidus leo, scrobe perit Deitatis opertæ;
Prædonemque capit præda tenella suum.
Dæmonis vt furias, hominis sic perdomat Agnus
Quem violenta nimis reddidit ira feram.
Si leo sis, placidis animum balatibus Agnus
Leniet; Agni inhians carnibus, agnus eris.

FONS EMBLEMATIS.

LEonum venationem in Africâ sic ex Oppiano refert Gillius, apud Gesnerum in Leone lit. E. vbi leonis ex speluncâ ad aquam proficiscentis tritam viam Libyci venatores obseruarunt; iuxta illam rotundam scrobem & amplam faciunt, in cuius medio columnam ligneam excitant, de quâ Agnum lactentem suspendunt, fossamque maceriâ cingunt, ne cum appropinquat fera, dolosum barathrum videat. Agnus sublime fixus famelicum Leonis cor balatu incitat. Accedens igitur, nec diutius circa maceriam versari sustinens statim transilit, & inopinatâ foueâ excipitur, qua iam inclusus in omnes se partes versat, ad escam magis, quam vt euadat, & sursum versus impetum facit. Hactenus Gillius.

INTERPRETATIO.

LEo prædæ inhians, Dæmon; scrobs profunda, Dei in Eucharistiæ mysterio incompre-

hensibilis humilitas, & exinanitio; rotunda scrobis maceria, hostia circularis; columna lignea, crucis Dominicæ, quæ in hoc Sacramento recolitur, memoria; Agnus ab eâ pendens, Christus, siue sacro-sancta ipsius humanitas quondam cruci pro nobis affixa; Leo foueâ captus, Dæmonis superbia Christi humilitate contrita, siue hominis vindictam spirantis rabies, Agni Eucharistici lenitate mitigata. Paulò fusiùs ista explanemus. Eleganter & apposite S. P. Aug. ser. 164. de temp. ita differit: *Christus leo dictus est, qui agnus occisus est; leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam: leo quia inuictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte suâ vicit leonem, qui quærit quem deuoret; dicitur enim & diabolus leo, sed feritate, non virtute.* Christus igitur verus agnus, non solum morte illâ qua semel in Caluariâ cecidit, verùm & morte mysticâ qua quotidie sacris in mysteriis occidit, de leone triumphauit. Quis ille leo, nisi diabolus, cui leonis indoles, astutia, crudelitas, mirè conueniunt, Leo validus pectore & priore corporis parte, posterioribus membris degenerat, ex Macrobio: talis & dæmon, cuius anteriores partes, ea meritò sæcula dixeris, quæ ab hominis lapsu, ad ipsius reparationem per Christum effluxerunt, quibus tyrannicâ sæuitiè cunctis fere nationibus toto orbe dominabatur; quas partes anteriores etsi præualidas, ab Agno nostro contritas Hieron. in c. 9. Isai. v. 4. his asserit verbis: *Tu Domine iugum oneris eius, I. diaboli, qui prius exultabat in mundo, qui cunctis gentibus imperabat, qui grauissimo seruitutis iugo colla omnium deprimebat, & virgam qua percutiebat vniuersos, & peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, detraxisti.* Po-

ſterioribus verò partibus quantum degeneret, i. iis ſæculis quæ à Domini Paſſione fluxere, quam infirmus ſit, ſatis ipſemet aperit hac querelâ apud Athanaſium in vita S. Antonij: *En nullum iam habeo locum, nullam poſſideo ciuitatem, iam mihi nulla ſunt arma; per omnes ciuitates, cunctaſque prouincias Chriſti perſonat nomen, ſolitudines quoque monachorum ſtipantur choris; ipſi ſe quæſo tueantur, & ſine causâ me non lacerent.* Leo peruigil, & impiger rarò, & patentibus oculis dormire fertur, nec vnquam caret cibo, quod ad illius inquiſitionem minime ſegnis ſit. Nunquid & aduerſarius noſter diabolus in animarum venatione peruigil, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret? Leo cadauera non deguſtat; ſed quod viuum comprehenderit, edit. Neque dæmon cadauerofis peccatoribus libenter paſcitur, lautiores cibos appetit, animas fide viuas, ſpe ſtabiles, charitate ſanctificatas. Leo armatis venatoribus terribilis, infantis obuij ſimplicitate terretur. Dæmon ſuperbis valde formidabilis, mites & humiles reueretur; nempe *Myrmicoleon eſt*, i. *leo & formica*, inquit Greg. M. l. 5. mor. c. 17. *quia ſicut contra conſentientes fortis eſt, ita contra reſiſtentes debilis: ſi enim eius ſuggeſtionibus aſſenſus præbeatur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt; ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur. Alijs ergo leo eſt, & aliis formica; quia crudelitatem eius carnales mentes vix tolerant, ſpiritales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.*

2. Leonem iſtum tot ſæculis impune graſſantem ac miſerum mortalium gregem ſæuiſſime laniantem hac arte cepit Dei filius: in incarnatione ſcrobem altiſſimam excitauit, dum formam ſerui accipiens ſemetipſum exinaniuit; quam in Euchari-

ſtiæ myſterio profundius excauauit, dum non ſolùm Diuinitatem humanitate operuit, ſed ipſam etiam humanitatem panis orbiculo concluſit. In hac profundâ inſcrutabilis exinanitionis ſuæ ſcrobe, columnam ligneam cui balantem agnum alligaret, exſtruxit, dum in Sacramento ſuipſius agni veri & immaculati è cruce pendentis memoriam recoli voluit; vt dum leo famelicus innocenti agno inhians aſſumptam humanitatem lacerare geſtit, latentis Diuinitatis hamo caperetur, & eius ſuperbia Diuinæ exinanitionis foueâ abſorberetur. Vtrumque docet Auguſt. primum quidem lib. cur Deus homo c. 6. aut quiſquis illius author ſit: *Subtiliter ſubtilem inimicum Deus voluit expugnare, & quaſi ſub eſcâ humanitatis hamum celauit Diuinitatis; quatenus ille qui omnem carnem ſubegerat, talem inueniret, quæ ſibi prorſus nihil deberet, quam dum illicitè contingeret, meritò eam, quam quodammodo licitè poſſidebat, amitteret; vt qui homines deluſerat, per hominem Deum deluſus & ipſe fieret; & ſicut incautum hominem ſibi callidè ſubiecerat, ita per hominem diuinitus cautum non callidè, ſed ſapienter ſubijceretur.* Secundum verò, ſcilicet leonis ſuperbiam Agni humilitate fuiſſe contritam, his aſſerit verbis l. 2. de pecc. orig. c. 40. *Mediator angelis fortior, infirmus propter homines factus eſt: ſic ſuperbia captiuatoris, Redemptoris humilitate deſtruitur; vt qui ſuper filios hominum angelicâ fortitudine gloriatur, à Filio Dei ſuſceptâ humanâ infirmitate vincatur.* Qualis erit Agni Euchariſtici poteſtas, quando dæmonis poteſtatem atterit ipſius infirmitas, qualis erit eius maieſtas, quando tyranni ſuperbiam opprimit ipſius humilitas?


3. Agnus igitur noſter ſacrarum ſpecierum nexibus altari reuinctus, inferni principatus expo-

liauit, vt ait Apoſtolus, vbi ſe in Sacramento prin-cipatu abdicauit, & non ſolum Diuinitatis maie-ſtate, verùm & humanitatis claritate in ſpeciem exſpoliauit; leonis virtutem ad nihilum redegit, vbi ſemetipſum exaniens in hoſtiæ triticeæ puncto collegit. Certè de eo numinis exinanitione exina-nito Ezech. 28. 19. dicitur: *Nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Quoniam vt ait Greg. 14. mor. c. 11. E*x quo bene eſſe perdidit, ad non eſſe tetendit*, & qui omnia eſſe, diuinam æqualitatem affectando, ambiuit, eo ipſo nihil factus eſt, quò Chriſtus qui erat omnia in Euchariſtiâ propter nos exinanitus eſt. Agnus mitis & humilis, iracundi ſuperbique hoſtis verè feralis illecebra; ipſius inſcrutabilis exinanitio, profunda fouea feræ capiendæ per ido-nea, qua circuncluſa rugiat quidem, neminem ve-ro mordeat niſi volentem. Quis non miretur ab agno Sacramentalibus ſymbolis irretito leonem talem ac tantum irretiri? quis non ſtupeat dum dæ-monem in energumenis venerabilis hoſtiæ fulgore territum Agni noſtri veſtigia lambentem intuetur; maximè verò vbi Energumeni pectus diuinus triumphator intrauit. Siquidem, vt cum Caſſiano loquar collat. 7. c. 30. *Sacroſancta communio vexatis à dæmone data, non ad dæmonis eſcam, ſed potius ad purgationem & tutelam corporis & animæ peruenire cre-denda eſt: quæ ab homine percepta, eum qui in mem-bris eius inſidet ſpiritum, ſeu in ipſis latitare conatur, velut exurens fugat incendio.* Sic Agni lenitas leonis feritatem perdomat, & *de ſæuitie dulcedo triumphat.*

EMBLEMA

EMBLEMA LI.

DASYPVS EX ARBORIS CACVMINE FERAS AD OCCVLTÆ PRÆDÆ ESVM INVITANS.



Excelsâ Dasypus pendens ex arbore, aperto
Ad latitans epulum conuocat ore feras.
Quem primum , cruciante fame , laniauerit agnum
Seruat , & arbuſtis ceſpitibuſque tegit.

Conuiuas vult ille, quibus communicet escam:
Ni comites habeat, non bene præda sapit.

APODOSIS.

Christus in extremis Agnum prece mactat ad aras
Nec sine consilio pane recente tegit.
Prædam immortalem nactus conscendit in altam
Arborem, & optatæ brachia amica crucis.
Inde suos validis fratres clamoribus vrgens
Impulit agninâ carne leuare famem.
Ni crucis, illustris prædo, sublime cacumen
Scanderet, ad prædam nullus hiaret homo.
Quicqnid inest carni dulcedinis, è cruce manat;
Sanguinei calicis profluit inde sapor.
Nil magis astantes epulis accumbere cogit,
Quàm sapor escarum; de cruce at ille venit.
Diuinæ meminisse necis nil suauius; atqui
E cruce nex, igitur de cruce deliciæ.
Vt sapiat caro sacra, crucem conscende, necemque
Mente reuolue, tuas condiet illa dapes.

FONS EMBLEMATIS.

OCotochlus siue Dasypus pinuum Vertagi est magnitudine, vlulatu exili, facie leoninâ, incredibili pernicitate; venatur ceruos, oues, agnos, & alia eiusdem molis animalia; occisorum cadauera herbis, fœno, cespitibus tegit, deinde conscendens ptopinquas arbores vlulat. Tunc feræ circumiacentes arcano naturæ documento consciæ inuitationis ad epulum ocyus aduolant, prædâ ex signo inuentâ satiantur. Postremus ipse Ocotochlus descendit, vt innocuè pascantur conuiuæ: Nam si ille prior vesceretur, corruptis veneno suo reliquiis, cæteræ perirent feræ,

quotquot deinde gustarent. Ita prouisum est vnius feræ charitate, multis aut inualidis, aut tardioribus ceruo. Ita Nierembergius l. 1. hist. c. 20. & l. 9. c. 1.

INTERPRETATIO.

1. CONsideranti mihi Indicum istud animal, innatâ sibi charitate, feris imbecillioribus secretum de propriâ venatione fruticibus opertâ præparans epulum, moxque in excelsam ascendens arborem, vt eas repetitis vlulatibus conuocatas latentis prædæ participes efficiat, statim venit in mentem Dominus Iesus ab incruentâ sui ipsius immolatione, quâ sese agnum immaculatum Sacramentalibus operuerat symbolis, in crucis arborem transiliens, vt ex eâ pendulus nationes omnes; à quatuor orbis partibus, ad arcanum Eucharistiæ conuiuium clamore valido conuocaret. Quippe nisi crucis cacumen redemptionis opus consummaturus ascendisset, nullus ad Agni Eucharistici esum hiaret; cum altaris mysterium, vtpote cruenti Caluariæ sacrificij expressiuum, vim omnem & efficaciam, gratiam & suauitatem suam ab eodem mutuetur: vt proinde carnis agninæ sapor, & ineffabiles Sacramenti deliciæ, è cruce meritò promanare censeantur. Hinc Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 16. expendens hæc verba Domini: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* ait: *Figurata est locutio præcipiens Passioni Domini communicandum, & suauiter ac vtiliter recondendum in memoriâ, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.* Satis innuens carnem eius, nisi foret crucifixa, non suauiter nec vtiliter à nobis edendam in Eucharistiâ, quoniam ibidem editur ab Ecclesia, vt mortis ip-

ſius celebretur memoria. Nimirum voluit ſaluator fideles ſuos Euchariſtico pani, dulce crucis ſuæ lignum immiſcere, vt miro ipſius ſapore condiatur; quaſi communicaturis dicat: Venite, mittite lignum in panem meum, non taxum à quo toxicum, quo magis amareſcat, ſed dulce crucis lignum, quo magis dulceſcat, & ſuauius ſapiat, vt meæ mortis memores, cæleſtibus deliciis é cruce nectareo cruore madida diffluentibus affluatis.

2. Eapropter ſacerdotes diuinum hunc panem conſecraturi crucis ſignum adhibent, vt obſeruarunt SS. Patres, præcipuè verò Aug. tum ſer. 181. de temp. *Signo crucis conſecratur corpus Dominicum.* tum tract. 118. in Ioan. *Quid eſt, quod omnes nouerunt, ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Vt vel hac exteriori ceremoniâ, crucis memoriam ſacroſancto pani permiſcendam eſſe admoneamur, quò ſuauiſſimo illius ſapore condiatur. Ita ne verò crux tot tantiſque deliciis diſſluit, vt Euchariſtiæ ſuauitatem maximam adaugere poſſit? omnino. Quid enim Ieſu illius amabili ſponſo ſuauius? qui vltro ſponſæ ſuæ ſuſcipiens amaritudines, proprias illi ſuauitates & delicias communicauit, vt ex cruce carnis ſuæ comeſtionem nobis commendaret, & ad Agni illius eſum, quem pridie quàm crucis arborem aſcenderet, noſtrum in paſtum mactauerat, & ſacris ſpeciebus, inſtar Ocotochli, operuerat, potentius inuitaret. Quo quidem in argumento, ſuo more triumphat Aug. exponens titulum Pſalmi 33. ita ad rem noſtram opportunè diſſerens: *Chriſtus in corpore & ſanguine*

ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commendauit corpus & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice *altitudinem ipſius: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud* Deum, *&* Deus *erat Verbum. Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducant cæleſtes ſpiritus, & manducant & ſaginantur, & integrum manet quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? vnde cor tam idoneum illi cibo? oportebat ergo vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, niſi per carnem traijciatur? Nam mater hoc fecit. Quod manducat mater, hoc manducat infans; ſed quia minus idoneus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ, & lactis ſuccum de ipſo panę paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pauit nos ſapientia Dei? quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem: quia panem angelorum manducauit homo, ideſt Verbum illud quo paſcuntur angeli ſempiternum, quod eſt æquale Patri manducauit homo; quia cum in formâ* Dei *eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Saginantur *illo Angeli.* Sed *ſemetipſum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis:* (attende ad verba ſequentia) *vt iam de cruce commendaretur nobis caro & ſanguis Domini.*

3. De cruce igitur corpus ſuum commendauit, dum crucis amaritiem in dulcedinem mutæns, mirum admixtâ illius memoriâ, pani Euchariſtico ſaporem indidit; ac proinde cum nihil ita com-

mẽdet epulum, quàm excellens ſapor epularum, nihilque conuiuas potentius ad epulandum prouocet, quam ſuauitas ferculorum: cùm è cruce omnes huius admirabilis conuiuij defluant illecebræ; Non immeritò Dominus inſtar Ocotochli agni mactatione geſtientis, confeſtim in excelſam crucis arborem aſcendit, vt nos cæleſtis prædæ ſub Sacramento delitefcentis faceret participes, & de cruce carnem ſuam nobis commendauit, vt ad illius eſum inuitaret quos crucis ſuæ videbat haud immemores: quaſi noſtris auribus inclamaret: *Ab arbore pendens ad latitans inuito epulum.*



EMBLEMA LII.

LEOPARDVS VENATICVS, AB HERO FACIEM AVERTENTE, QVVM FVRIT, FRVSTO CARNIS MITIGATVS.



VEnatus Leopardus amans, vt odora canum vis,
Quem cicurem Domini fecit amica manus:
Irruit in prædam laxatâ iussus habenâ,
Quasque capit cursu, deuorat ore feras.

Verum vbi feruenti turgeſcit ſanguine prædæ,
Tunc natura ferox, quæ fuit ante, redit.
Reſpuit obſequium, dedignaturque catenam,
Effrænis feritas vix bene noſcit herum.
Jlle ſed auerſo vultu mox carne furentem
Mulcet, & illicio cogit ad officium.

APODOSIS.

Vultum operit Ieſus Sacramentalibus vmbris,
Carnis vt illecebris effera corda domet.
Illicio cicuratus homo ſe ſponte catenâ
Intricat, & mitis iuſſa capeßit heri.
Indociles animas facies diuina fugaret;
Ni ſacra terrificum frangeret vmbra iubar.
Eſcam igitur cœleſtem aperit, faciemque tremendam
Occulit, vt capiant abſque metu quod amant.

FONS EMBLEMATIS.

ACcepi, inquit Geſnerus, à quodam oculato teſte, in aulâ regis Galliarum, Leopardos duorum generum ali, magnitudine tantum differentes, maiores vituli corpulentiâ eſſe, humiliores, oblongiores: alteros minores ad canis molem accedere: & vnum ex minoribus aliquando ad ſpectaculum regi exhibendum à beſtiario, aut venatore equo inſidente à tergo ſuper ſtragulo aut puluino vehi alligatum catenâ, & lepore obiecto dimitti, quem ille ſaltibus aliquot bene magnis aſſequutus iugulet. Venator leopardum recepturus accedit auerſus, & fruſtum carnis retro inter crura protenſum porrigit, ne ſi faciem obuerteret, ab eo inuaderetur, & rurſus loro alligatum demulcet, ac reducit ad equum; ille in ſedem ſuam facile reſilit. Sic ille in Pantherâ lit. E. p. 831.

INTERPRETATIO.


1. QVa Venator arte ferocientem leopardum mitigare consueuit, vt faciem auertens, carnem illi porrigat in illiciũ, cuius esu furoris impetus euanescat. Eâdem mihi videtur vsus Dei filius, vt efferatas hominum mentes mansuefaceret, & ad veri Numinis cultum, & obsequium suauiter reuocaret. Nimirum in augusti solij celsitudine paternæ fulgore gloriæ circumfusus, tonans, fulminans, apertis cæli catarrhactis orbem terrarum submergens, nationes sulphureis imbribus obruens, æternos cruciatus minitans, terribilis quidem plurimùm, parùm amabilis, terrorem potius quàm amorem miseris ac meticulosis mortalibus inspirabat; vnde si tunc diuinam faciem iusto furore scintillantem, & gloriæ fulgetris coruscantem reuelaret, haud dubiè intolerabili iubare perstricti, tantæ maiestatis accessum refugerent, nisi carnis assumptæ nebulâ radios refringens, illos eiusdem carnis illecebrâ pelliceret ac leniret. Hinc S. P. Aug. expendens illa Christi verba Ioan. 8. *ego sum lux mundi.* eleganter ait: *Factum est propter nos sub sole lumen, quod fecit solem. Noli contemnere nubem carnis: nube tegitur, non vt obscuretur, sed vt temperetur.* Carnis igitur nube terrificam Diuinitatis faciem obtexit, & quasi auersâ facie propriæ carnis illicium obtulit, ne deinceps illius accessum auersaremur, sed potius quasi de feris cicures, in apertæ humanitatis sinum confugeremus. *Suscepit itaque hominem*, ait idem Pater, epist. 120. ad Honoratum c. 3. *quem videre homines poterant, vt sanati per fidem postea viderent, quod tunc videre non poterant.* Quid autem videre non pote-

rant, nisi Verbum, nisi micantem Dei vultum? quòd imbecilles eorum oculi ad tantam claritatem conniuerent. Verum vbi carnis nubem interposuit, & claritatem temperauit, tunc & latentis Verbi radios per hanc nubem transmissos exceperunt oculo fidei temperatâ claritate sanato. Audi eumdem Aug. tract. 1. in ep. Ioan. *Vt res quæ solo corde videri potest, videretur & oculis, vt corda sanaret: solo enim corde videtur Verbum, caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat vnde videremus carnem, sed non erat vnde videremus Verbum: factum est Verbum caro quam videre possemus, vt sanaretur in nobis, vnde Verbum videremus.*

2. Verum quoniam vt ait Hieron. l. 1. commentar. in Matth. c. 9. *Fulgor & maiestas Diuinitatis occulta etiam in humanâ facie relucebat.* Ne peccatores admissorum criminũ conscios eo fulgore perterreret, vltrò cum illis sæpe numero in mensâ discubuit, vt assuescerent secum conuesci, ne cum ad magnificum, & regali apparatu instructum Eucharistiæ conuiuium postmodo eos inuitaret, sese a regiis & diuinis epulis præ timore subducerent. Quem quidem timorem vt omnino ab eorum animis abstergeret, domitâ iam morte rediuiuus, gloriosam etiam carnem, quam mortalem mortalibus adhuc ipse mortalis spectandam præbuerat, iam immortalem occultauit, & Sacramentalibus velis inuoluit, eamque sic inuolutam in escam porrexit, vt maiori cum fiduciâ caperent, & capiendo caperentur. Lubet igitur hic cum Ecclesiâ exclamare: O quàm suauis es Domine spiritus tuus! qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo præstito esurientes reples bonis; qui non solum Diuinitatis maiestatem, sed & glo-

riosæ humanitatis claritatem operis, ne quid Eucharisticis insit epulis quod mortales absterreat, sed potius ad esum vel inuitos inuitet. Quis vel Leopardo ferocior ad tantæ lenitatis & bonitatis aspectum non mansuesceret ? quis agninæ carnis illicio non cicuraretur? Appositè S. Aug. tract. 75. in Ioan. de Christo ita disserit : *Videbat eum planè mundus carneis oculis in carne conspicuum ; non autem videbat quod in carne Verbum latebat. Videbat hominem, non videbat Deum, videbat indumentum, non videbat indutum: sed post resurrectionem suam, etiam ipsam carnem suam, quam non solùm videndam, verùm etiam tractandam demonstrauit suis, noluit demonstrare non suis.* Immò nec suis illam nunc demonstrat, qui eamdem Sacramentalium amictu specierum inumbrat, ne ab illius esu peccatores deterreat.

3. Præclarè S. Bern. ser. 1. in Epiph. *Quanto minorem se fecit Christus in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate ; & quantò pro me vilior, tantò mihi charior.* quantò secretior, tanto amabilior, quippe qui vt formidinem excuteret. & amorem accenderet, totam vtriusque naturæ gloriam occultauit. Nempe suis latebris ambitionis horrorem nostris cordibus imprimere gestit ; quo latere studeamus, dum latentem Deum in Sacramento adoramus ; vel si patere necesse sit in ipsâ dignitatum luce latebras amemus: quasi nos his eiusdem S. Bernardi verbis alloquatur ser. 1. super Missus est: *Erubesce superbire, cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis authori ? quoties hominibus præesse desideras, toties Deum tuum præire contendis ?* Nec enim hîc delitescit Deus homo, nisi vt nos




ſuo inſtruat exemplo, nec ſibi ab inani gloriâ timet, ſed nobis. Humiles ad Deum humilem accedamus, ambitionem ſimul & ſeruilem timorem illius latebræ à noſtris mentibus abigant; diuinæ carnis illecebræ fiduciam augeant, feritatem mitigent; ſiquidem. *Vultum aperit, tum mitigat eſcâ.*



EMBLEMA LIII.

ELEPHAS FVRIBVNDVS AD AGNI CONSPECTVM, MANSVESCENS.



Il est honteux de son couroux,
A l'aspect d'vn obiect si doux.

53

INsanos Elephas voluens in corde furores,
Seu vindicta agitet, seu furiosa Venus:
Barrit hians immane, feritque proboscide costas,
Fulmineâque rotat ligna reuulsa manu.

Nunc laceros venantum artus iaculatur in auras,
Nunc morsu infringit spicula fixa cuti.
Quis domet immanes flammati pectoris iras?
Obuia bacchantem mitigat agna feram.

APODOSIS.

Ergone brutales ouis obuia comprimet æstus,
Nec rabiem humanam flectet amore Deus?
Vltrices immo furias sacer edomat Agnus,
Lenis vt iratum temperat aura mare.
Si furis, accedas agni clementis ad aram:
Hoc præsente, animi sæua procella cadet.
Agnus homo, & Deus est: homini vel Numinis ira
Cessit; quidni hominis cederet ira Deo?

FONS EMBLEMATIS.

SI Elephantus feritate effertur; statim ad agni conspectum mansuescit, inquit Gillius; cui subscribit Cœlius his verbis: Elephas furens ariete viso quiescit, ac conflaccescit impetus. Ælianus verò l. de anim. 1. c. 38. non solum ad arietis occursum, sed & ad formosæ mulieris aspectum elephantem concitatos animi motus frangere scribit. Porro refert Solinus. c. 28. Elephantes si confertis pecoribus occursitent, itinera sibi blandâ & placidâ manu facere, ne quod obuium animal interimant. Miram siquidem exhibent erga oues & debiliâ animalia mansuetudiuem, vt ne furore præcipites in ea sæuiant.

INTERPRETATIO.

1. ELephas furens, Christianus vindictæ inhians; Agnus innatâ lenitate furorem mitigans, mitissimus Iesus, *occisus agnus à lupis, &*

faciens agnos de lupis, vt loquitur Augustinus. Siquidem & Agnus, & ouis, & aries, ob ineffabilem mansuetudinem appellatur: Agnus immaculatus pretioso sanguine mundum emaculans; ouis nutrix agnorum, parens Agnetum; vt patet ex Græco nominis Iesu anagrammate: Ιησοῦς enim idem est ac σὺ ἦ ὄϊς id est tu es ouis, & habetur expressè Isai. 53. 7. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Aries denique dux gregis Apostolici, solo intuitu vltrices hominum furias temperans. Ita Ambrosius exponens illud Gen. 22. 13. *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus. Arietem, inquit, vidit quasi præstantem vtique cætero gregi; & erat ille suspensus cornibus: vt aduertere liceret hostiam illam non esse terrenam, & quòd carnem suam virtute superiore a terris leuaret; iuxta illud quod scriptum est, cuius principatus super humerum eius. Quis enim eâ re alius præfiguratus est, nisi is de quo scriptum est, exaltauit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est, qui præstitit omnibus, sicut legimus: speciosus formâ præ filijs hominum; solus & exaltatus a terris, quemadmodum ipse nos docet dicens: Ego non sum de hoc mundo, ego de supernis sum. Hunc vidit Abraham in illo sacrificio, huius passionem prospexit, & ideo ipse Dominus de eo dixit: Abraham vidit diem meum, vidit & gauisus est. Quam etiam ob causam vocauit Abraham nomen loci illius: Dominus videt, & dicitur hodie, Dominus in monte apparuit. Hoc autem est quod apparuerit Dominus Abrahæ reuelans futuram sui passionem corporis qua mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit arietem, & per virgultum illud crucis patibulum. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus, omnia traxit ad*

ſe, vt ab omnibus cognoſceretur. Hactenus Ambroſius. Reuera dum Abrahamum inſpirato cælitus diuinæ zelo gloriæ Vnigeniti ſui cædem ſpirantem & bene furentem intueor, verùm ab hac cæde arietis vepreto hærentis, hoc eſt Chriſti in ariete figurati conſpectu prohibitum, elephantem furibundum arietis occurſu mitigatum mihi videre videor. Si vero crucis ille vepreto pendulus, ferocientem animum lenire potuit; multò magis id poterit Sacramentalibus vinculis ad aram reuinctus, quòd in Euchariſtiâ præſtantiora manſuetudinis exempla exhibeat, quam in Caluariâ: vnde nihil mirum ſi ad illius occurſum ferina corda manſueſcant; vt olim ad Crucifixi conſpectum hoſtilis Ioannis Galberti furor euanuit.

2. Agnum verò noſtrum in Sacramento illuſtriora manſuetudinis argumenta præſtare facile demonſtro. Nonne ille mitior, qui altero minante, non minatur? at ſemel & iterum paſſionis ſuæ tempore comminatus eſt; Iudæ quidem proditori æternum exitium: Matth. 26.24. *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur.* Filiabus Ieruſalem vrbis excidium, Luc. 23.29. *Ecce venient dies in quibus dicent, beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos.* Demum principibus Sacerdotum extremi iudicij terrores comminatus eſt, Matth. 26.64. *Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* At vero ſiue dum Euchariſtiam promiſit, Ioan. 6. ſiue dum illam inſtituit, nullas minas intentaſſe legimus: ſatius exiſtimans nullum vel indignis comminari ſupplicium, vbi tam inſigne nobis conferebat beneficium. Deinde nonne ille mitior qui patiendo non reluctatur,

quam qui vim ſibimet illatam vi repellit, hoſtemque proſternit? Chriſtus autem in horto Gethſemani irruentem hoſtium cateruam fulmineo verbi gladio proſtrauit, Ioan. 18. 6. *Vt ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram.* At in menſâ Euchariſticâ perfidum Iudam ſacratiſſimo corpori vim inferentem mactatâ lenior hoſtiâ ſuſtinuit, quin & ſacrilegos quotidie violentas ſibi manus afferentes inultus patitur, nec in flagranti etiam delicto deprehenſos erumpente è ſacris myſteriis igne conſumit. Rurſus nonne ille mitior, qui ab hoſtibus crudeliter exagitatus ne minimam quidem querelam edit, quam qui conqueritur, & iis ſæuitiam & feritatem exprobrat? Chriſtus autem paſſionis tempore de alapâ ſibi inflictâ grauiter conqueſtus eſt: *Si malè*, ait, *locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, cur me cædis?* Quin & tortoribus in ſe irruentibus exprobrauit: Matth. 26. 55. *In illâ horâ dixit Ieſus turbis: tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me.* In Sacramento vero quantumuis impuris attrectetur manibus, pedibus lutulentis proteratur, canibus laniandus proiiciatur, non queritur; non exprobrat, ſed ipſis etiam hoſtibus ſtupendam exhibet lenitatem, verè tunc agnus qui coram ſe tondente obmuteſcit. Quam deinde manſuetudinem imitati ſunt martyres de quibus canit Eccleſia:

Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur reſonat, non quærimonia;
Sed corde tacito mens bene conſcia
Conſeruat patientiam.

3. Quis igitur vel Elephante furore percito ferocior, ad huius mitiſſimi & innocentis agni con-

ſpectum non illico manſueſcet? ergone agni ſolo intuitu cicurabitur ferus elephas, & agninâ carne ſatur homo implacabilis ardebit? *Quam ſatisfactionem afferemus*, inquit opportunè Chryſoſt. hom. 51. in Matth. *cùm tali pabulo nutriti peccemus, cùm agnum comedentes in lupos conuertamur, cùm ſaturati ouinis carnibus, vt leones rapiamus? præſertim cùm hoc Sacramentum non a rapinâ ſolum, verùm & ab omni ſuſpicione inimicitiarum mundum ſemper ſeruare iubeamur, pacis enim Sacramentum eſt.* Pudeat nos ad huius agni occurſum adhuc in proximos ſæuire, nec agninam induere manſuetudinem; *Pudeat, hoc præſente furoris.*



EMBLEMA LIV.

LEÆNA ADVLTERII ODOREM FONTE PRIVS ABLVENS, QVAM AD CONIVGEM ACCEDAT.



Ie laue l'horreur de mon vice,
De peur d'en souffrir le supplice.

54

N*E luat atroces infamis adultera pœnas,*
Eluit admissum fonte leæna scelus:
Sordibus ablutis trepidanti audacia crescit,
Nec timet amplexu liberiore frui.

Quas pœnas miseranda daret, nisi flumine viuo
Pardini coitus dilueretur odor.

APODOSIS.

Sponsa Redemptoris pretioso lota cruore
Sæpe solet sancti fallere iura thori.
Mox exosa nefas lacrymarum flumine sordes
Abluit, vt sponsi pura cubile petat.
Ara cubile Dei est, iuuat illic oscula mille
Figere, & amplexu blanditiisque frui.
Nec tamen ad thalamos nisi crimine pura rediret:
Cum veneris maculis ire, perire foret.
Felis lacrymæ! queis culpa abstergitur horror,
Sponsa decore nitet, sponsus amore calet.

FONS EMBLEMATIS.

ODore, Pardi coitum sentit in Leænâ adulterâ Leo, totâque vi consurgit in pœnam: idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur. Ita Plinius l. 8. c. 16. rationem cur cum pardo coeat adfert Albertus M. his verbis: Leænam dicunt feruere ad coitum, & leonem non admodum posse coire propter nimium temperamenti calorem, ideo leænam admittere pardum, & hoc odore percipere leonem. Sed illa priusquam ad leonem redeat, se lauat aquis, vt adulterij odor obliteretur. Idem docet Philostratus l. 2. de Vita Apollonij.

INTERPRETATIO.

1. LEæna, fidelis anima, leonis de tribu Iuda sponsa charissima, cui fidem in baptismo spopondit, & irreuocabilis connubij fœdere sese obstrinxit. Verùm hîc cum Tertulliano l. de anima

c. 41. exclamare lubet: *O beatum conuiuium, si non admiserit adulterium!* Quippe iuratæ fidei sæpius immemor, ab amabili sponso sese auertit, vt illicitis creaturæ fruatur amplexibus, & mortalis peccati conscia, nuptialem thalamum infami polluit adulterio. Quâ in re se leænâ salaciorem exhibet, & impudentiorem: illa siquidem ab aspectu leonis se subducit, vt pardo copuletur; nec enim innatum pudorem exuit, vt vidente coniuge audeat adulterari: ipsa vero sub ipsius sponsi oculis fidem violat: quòd omnia ipsius scelera nuda & aperta sint oculis eius: *Nec enim est*, vt ait Aug. in sententiis Sent. 235. *quo fugiatur à Deo nisi ad ipsum: qui vult euadere offensum, fugiat ad placatum.* Quascunque igitur inuestiget latebras vt sua furta occultet, sponso vidente fornicatur, seque dæmoni prostituit impudens meretrix, nec amantis metuit vltricem iustitiam, nec erubescit ad eius præsentiam Quæ verò nec erubescere nouit, nec metuere, illa primas, vniuersæ tenet impudentiæ, ait Menander. Nec solum impudens, sed & desperata censetur; quod teste Gregorio in Psal. 1. pœnit. *Illud verum sit aperta desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum.* Hinc cum adultera synagoga à vero Deo recedens, exutâ omni verecundiâ, frontem meretricis induisset, sic loquitur Ierem. 2. 25. *Desperaui, nequaquam faciam; adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo.* Enimvero vt vxoris infamia redundat in maritum, cuius thalamus nefandâ libidine contaminatur; sic animæ perfidiâ, adorabilis sponsi immortalis humanitas, non polluitur modò, sed & quodammodo constupratur; quem merito pudeat hanc in sponsam elegisse, hanc suæ charitatis

induisse purpurâ, gratiarum ornasse monilibus, & sui cruoris venustasse purpurisso, quæ tantorum munerum immemor sese dæmoni prostituat leuis voluptatulæ gratiâ. sanè Tertullianus Apologetici c. 15. audacter asseruit gentilium lasciuiam in eorum numina refundi: *Cætera*, inquit, *lasciuiæ ingenia, etiam voluptatibus vestris, per deorum dedecus operantur.* Moxque recensitis turpitudinibus variis, quibus numinum suorum festa celebrabant, subjungit: *Nonne Diuinitas constupratur?* Verùm id de falsâ Diuinitate dixit Tertull. quam ethnici suis stupris constuprabant. Quantò sceleratior anima Christiana, quæ diuinæ facta consors naturæ in baptismate, sponsi carne toties in sacra synaxi saginata, & cruore inebriata, rupto nihilominus fœdere coniugali, pactum init cum morte, mœchatur cum dæmone ipsius miserabilis concubina? Nonne Christi Diuinitas talibus spurcitiis violatur, & humanitas constupratur? Nonne diuina facies de meretricis impudentiâ pudore suffunditur.

2. Leæna adulterini coitus odorem limpidi fontis latice abluit, antequam ad coniugem accedat. Vtinam anima quæ fornicantem leænam secuta est, sequeretur & pœnitentem, siue adulterij sordes eluentem, & vberi lacrymarum fonte admissi facinoris odorem abstergeret. Ea enim est pœnitentiæ vis, ea lacrymarum efficacia, vt peccata diluant, vtpote quæ preces oculares sint, & veniam plorando implorent. Ad hunc fontem his eam verbis sponsus inuitat Ieremiæ 3. *Vulgo dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem*

fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Quid his verbis ſuauius? quid hoc inuitatu amantius? Nempe in lege veteri mulier à viro repudiata nec ab ipſo reuocari, nec illa ſponte ad ipſum redire poterat, ſine vtriuſque, immo & totius terræ dedecore, iuxta legem Deuteron. c. 24. 5. Chriſtus vero quamuis ſponſam non prius deſeruerit, quàm ab ipsâ deſereretur, magis tamen de illius ſalute, quàm de proprio decore ſollicitus, quantumuis ingratam & infidelem ad priſtinos reuocat amplexus, quin & lateris hiulcam dilatat cicatricem, vt cordis ſinu reducem ſuſcipiat, & manante ſanguine ſordidam emundet: his illam verbis ad Eucharistiæ nuptialem thalamum allectans: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, verumtamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.* Cuius vel adamantinum pectus his non emolliretur illecebris? vt igitur maiori cum fiduciâ ſponſi proruat in amplexus, pœnitentiæ lauacro maculas abluat, amori ſuo gemebunda dicat cum Auguſtino Pœnitente, lib, 2. Conf.c. 1. *Amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine animæ meæ; vt tu dulceſcas mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix & ſecura, & colligens me à diſperſione, in quâ fruſtatim diſciſſa ſum, dum ab vno te auerſa, in multa euanui.* Videat quia malum & amarum eſt reliquiſſe Dominum, & fontem aquæ viuæ, vt ciſternam diſſipatam multo ſibi labore foderet; alacriter dehinc properet ad fontes ſaluatoris, nihil metuens ne dilectus adulterij odorem percipiat, totâque vi conſurgat in pœnam, quandoquidem amariſſimæ contritionis nitro, & lacrymis abluta, ſuauem deinceps pœnitentiæ fragrantiam exhalat.

3. Reuertentem ab illicito pardi coitu leænam, fonte tamen prius ablutam, tantò libentius maritus excipit, quantò diutius cupitis caruit amplexibus: ſic & animam pœnitentem eò Chriſtus alacrius ad nuptiale Euchariſtiæ conuiuium admittit, & amplectitur amantius, quò illius fugam & abſentiam tulit iniquius; reducem amicè conſolatur, iiſque Auguſtini vocibus, lib. de ſubſtantia dilectionis c. 3. to. 4. blanditur, hiulcas eidem cicatrices oſtendens: *Suge o apicula, ſuge & bibe dulcoris inenarrabilem ſuauitatem; immergere & replere, quia ille deficere neſcit, ſi tu non incipias faſtidire. Adhære ergo, & inhære, ſume & fruere; ſi ſempiternus guſtus fuerit, ſempiterna quoque beatitudo erit.* Quis, amabo, lacrymarum nitro lauari detrectet, vt iis poſtmodum ſponſi fruatur blanditiis? quis abnuat pœnitentiæ tranſire torrentem, vt demum in Euchariſtâ diuinæ torrente voluptatis inebrietur? quis Chriſti refugiat occurſum qui ſcelera noſtra nouis vlciſcitur beneficiis? *Quàm leni, & dulciſſimo ſpiritu imbutus eſt ſpiritus illius*, ait P. Damianus ſer. 29. *qui nouit ſpiritu lenitatis peccatores inſtruere, ſuſpendere vindictam & affectuoſis officijs inuiſcerare ſibi peccatorem, donec vitæ reddatur.* Hæc ſeriò cogita peccatrix anima, ablue ſordes lauacro pœnitentiæ, vt deinde immergaris Euchariſtiæ fonte, dic cum leænâ pœnitente; *Sceleris ne prodar odore, abluor.*

EMBLEMA LV.
MONOCEROS MITESCENS VIRGINIS VELO OBVOLVTVS.



Il quitte toute sa fierté
Soubs ce voyle de pureté.

55

Monoceros pugnax, & inexpugnabilis armis,
Terribilis populis, terribilisque feris;
Virginis amplexu sensim mansuescit, & vltro
Cornu inclinato vincla iugumque subit.

Virgineas non ille manus, non vela recusat,
Dulce reuinciri virgine, dulce capi.
Tota superiecto rabies vanescit amictu:
Nempe feram cicurat virginitatis amor.
Quem vis nulla capit, capit illibata puella;
Quem non missa domant spicula, vela domant.

APODOSIS.

Monoceros, summi Patris inuictissima proles,
Cuius & immensum robur, & ira grauis.
Numinis accensi quis ineuitabile cornu
Perferat, horribiles effugiatue minas?
Virginei sed enim floris pellectus odore,
Virginis in gremio vincula sponte gerit.
Hæret in altari tenui irretitus amictu,
Quemque furor nequijt vincere, vincit amor.
Illius exemplo; furijs vltricibus ardens,
Vela Sacramenti suscipe, mitis eris.
Virgo latens Deitas, est Eucharistia virgo;
Mitigat immanes vmbra vtriusque feras.

FONS EMBLEMATIS.

MOnoceros robore suo inexpugnabilis & indomita fera est, bicubitali cornu armata, morsu graui, & calcibus crudeliter pugnat, viua non venit in hominum potestatem, & interimi quidem potest, capi non potest. Cum gregalibus suis dimicat certamine ad mortem vsque ingrauescente; desertissimas incolit regiones, hostis est leonis; quare leo conspectâ hac ferâ ad arborem aliquam se recipit, & irruentem in se declinat: illa cornu arbori infixo hæret, & à leone occiditur. Nunc quâ ratione tantâ feritas mansuescat sic explicat Tzetzes 5.7. *Iuuenem aliquem robustum ve-*

natores puellæ instar vestitum, & aromatibus aspersum statuunt è regione loci, in quo Monoceros fuerit; ita vt odoris suauitas auræ flatu ad belluam deriuari possit; ipsi interea occultantur. Mox fera odore illecta ad iuuenem accedit, ille amplis muliebribus manicis totis refertis aromatibus eam obuelat, & ligat. Tum venatores accurrunt, & cornu quod venenis resistit, resecto, feram aufugere patiuntur. Hactenus Tzetzes; cui subscribit Albertus docens Vnicornem adeo puellas virgines venerari, vt ipsis visis mansuescat, & aliquando iuxta eas in somnum lapsus ligetur, & capiatur.

INTERPRETATIO.

1. MOnoceros cũ suis gregalibus pugnâ ad mortem vsque ingrauescente dimicans, cæteris verò animantibus, (si leonem excipias) sese supra modum mitem & placidum exhibens, Dei filium ad viuum exprimit, erga perduelles angelos seuerissimum, erga lapsos homines humanissimum. Quidni etenim angeli illius gregales dicantur? cum puri sint spiritus & immortales, non secus ac Patris vnigenitus. Quidni homines alieni ab ipso censeantur, vtpote ratione carnis eidem absimiles? iam aduerte nostri Monocerotis aduersus gregales suos incredibilem feritatem. Immortales illi spiritus viuidæ sui conditoris imagines, tot naturæ eximiis dotibus, tot gratiæ opibus illustres, insano natiuæ pulchritudinis amore capti, Dei filium humanitate nostrâ vestiendum aspernati, quâsi teneri Monocerotes aduersus inexpugnabilem Monocerota totius gregis ducem ambitionis erectis cornibus insurrexerunt. Quid ille à suis gregalibus atrociter impetitus? furit illico, totâ-

que vi in vltionem consurgit, eosque ineuitabili iustitiæ cornu transfixos in tartara deturbat æternis cruciatibus addictos. En ingrauescentem ad mortem vsque, & mortem æternam mystici Monocerotis aduersus gregales suos pugnam. Non attendit egregiam angelicæ naturæ pulchritudinem, ingenii solertiam, primordialis gratiæ splendorem, bona innumera ex culpæ condonatione secutura, puta gloriam sui nominis ex perpetuis eorum laudibus non mediocriter augendam; pro nihilo duxit damna ex eorum damnatione fluxura, diuini cultus exterminium, suorum euersionem altarium, erectionem idolorum, generis humani lapsum, aliaque id genus mala grauissima; sed vltricis iustitiæ cornu ventilatos, in inferorum ergastulâ compegit. Sic cum suis gregalibus, purus spiritus cum puris spiritibus, ad mortem vsque pugnauit. O stupendam in angelos filij Dei seueritatem! Sed ô miram & ineffabilem erga sibi alienos homines benignitatem! Quid enim magis à Deo immortali & inuisibili spiritu alienum, quàm homo mortalis atque carnalis? quæ porro maior benignitas, quam filiis iræ, gehennæ reis, mortis æternæ victimis; ignis inferni pabulis, non solum pœnitendi spatium concedere, quod angelis negauit, verùm & illos ad pœnitentiam suauiter allicere, pœnitentes humaniter excipere, exceptos charitatis stolâ induere, indutos gloriâ coronare? Scio decuisse in secundo peccato, filij Dei exerceri misericordiam, post exercitam in primo vltricem iustitiam; tum quia angelus in propriâ personâ sponte suâ, nullo suadente deliquerat; homo vero Dæmonis impulsu, eiusque posteri in ipsius personâ duntaxat ceciderant; tum quia omnis ho-

minum multitudo perierat, non angelorum. Nihilominus poterat perduelles homines æternis addicere cruciatibus in perditionis maſſâ derelictos: ac proinde. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti.*

2. At vnde iſta Monocerotis noſtri, erga alienos homines, inexpectata lenitas? ex vmbrâ Virginis, ex virgineo aſſumptæ humanitatis amictu, ex Sacramentalibus velis. Virgo quidem illum in excelſis Empyrei montibus quaſi ſoliuagum, virtutum ſuarum fragrantiâ ſuum in ſinum attraxit, & ipſa Spiritu ſancto prius obumbrata, virgineæ carnis amictu dehinc illum inumbrauit, vt vmbræ iſtius refrigerio diuini furoris æſtus temperaretur. Vel potius ipſamet humanitas aſſumenda Virgo fuit Gratiarum omnium vnguentis delibuta, quæ virtutum aromatibus vnicornem allexit, & ſuo complexu mitigauit, & dum hominem fecit, humaniorem reddidit. Quippe ſi humanum dicimus qui hominem hoſpitio ſuſcipit, nunquid ille cenſendus omnium humaniſſimus, qui non ſolum hominem hoſpitio ſuſcepit, ſed & proprio ſuppoſito ſuſtinuit? quod enim hæc ſingularis humanitas, in filij Dei deſtinata cõnubium, omnium chariſmatũ odoribus perfuſa fuerit, vt dignum fieret diuinæ hypoſtaſeos ſanctuarium, hoc Tertulliani diſcurſu l. de reſurrectione carnis c. 6. facile demonſtratur: *Non es diligentior Deo; vti tu quidem ſcythicas, & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, ne argento quoque oblaquees, ſed electiſſimo, & inſuper operoſiſſimo deſcrobes auro; vnguentis pretioſiſſimis quibuſque vaſculorum prius congruentiam cures; proinde perſpectæ ferruginis gladijs vaginarum adæques dignitatem:* Deus *vero animæ ſuæ vmbram, Spiritus ſui auram, oris ſui operam viliſſimo alicui capu-*

lo commiſerit. & indignè collocando vtique damnauerit? Quod enim ille de rationali animâ, id æquiori iure de Verbi ſacratiſſimâ hypoſtaſi dicimus, cui ſuſcipiendæ congruum Deus præparauerit tabernaculum, humanitatem, inquam, omnium gratiarum aromatibus perfuſam, quorum fragrantia in ipſius gremium alliceretur, vt ibidem velis operta ligaretur; velis vtique Sacramentalibus, quibus nihil ad ſpeciem fragilius & debilius, nihil ad ligandum omnipotentem reapſe potentius; quandoquidem iis conſtrictus in altari immobilis hæreat exutâ priſtinâ feritate, indutâ ineffabili lenitate, ibidemque ſopitis ſenſibus, noſtras vltrò veniat in manus. Nimirum. *Feritas cadit obruta velo.*



EMBLEMA LVI.

CERVVS ANGVIBVS PASTVS; NON ANTE BIBENS, QVAM LACRYMATVS SIT.



CEruus vbi attractos admotis naribus angues
Glutiit, accendunt hausta venena sitim.
Propterea fontes æstiuo sole requirit,
Frigida vt ardorem pectoris vnda leuet.

Viperea ne carne satur rumpatur ab haustu,
Tantalus in medio sustinet amne sitim.
Interea erumpunt lacrymæ, quas intimus ardor,
Eliquat, in lapides cogit & vnda nouos.
Nec prius attingit latices, quam lacryma virus
Dißipet: in lacrymis tota medela latet.

APODOSIS.

Haud licet altaris latices haurire salubres
Cui scelerum viru mens moribunda tumet:
Diuino calice abstineat, ne cordis ad arcem
Peruehat arcanam potio iniqua luem.
Diffluat in lacrymas vehemens quas feruor amoris
Elicit, & fletu diluat antè scelus.
Culpa ciens lacrymas non tota est conscia, viru
Gemma oritur, fœdi filia pulchra patris.
Gutta fluens oculis velut Indicus vnio fiet
Vt medicina reo, sic pretiosa Deo.
Post lacrymas è fonte potest haurire salutem:
Qui non flet moritur, ne moriare, fleas.

FONS EMBLEMATIS.

Belzaar est antidotum contra venena epotum efficacissimum, & prorsus diuinum: siquidem medicus probatissimus Auenzoar lib. 1. testatur se hoc vno medicatum esse quemdam, qui perniciosissimum venenum sumpserat. Cæterum huius medicamenti origo huiusmodi est. Ceruus postquam cum serpentibus congressus fuerit, & eas deuorauit, siti correptus præsertim in regionibus Orientem versus, vbi prægrandes reperiri constat, mox stagnum, aut flumen aliquod quærit, in quod sese immergat; iuxta illud regij Prophetæ: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deside-*

rat anima mea ad te Deus. Inde tamen naturâ ita docente, velut Tantalus, in mediis sitiens fluctibus non bibit, nam statim concideret mortuus, si quid aquæ degustaret. Erumpunt autem interim lacrymæ ex oculis, quæ paulatim crassescunt, coguntur, & coagulantur, atque in castaneæ magnitudinem excrescunt, quas postquam ex aquis euasit ceruus, deciduas homines obseruant & colligunt. Hoc illud est Belzaar tantæ apud illos qui possident æstimationis, vt cuiuis veneno vel medium vnguem apponant. Hactenus Agricola apud Gesnerum in ceruo c. 3. pag. 333. qui coniicit hunc lapidem appellari a dictionibus Hebræis, Baal quæ dominum, & Zehari quæ venenum significat, quasi Dominus Venenorum.

INTERPRETATIO.

1. NOn immeritò S. Chrysost. hom. 61. ad pop. Antioch. Eucharistiæ fontem magno illi fonti comparat, qui quatuor diuisus in alueos, vniuersam paradisi planiciem fæcundis fluctibus irrigabat: *ascendebat*, inquit, *ex Paradiso fons fluuios emittens sensibiles; ex hac mensâ fons ascendit spiritales emittens fluuios.* Siquidem inter reliquos Saluatoris fontes præcipuus, aquâ perenni diffluit, quâ sordidæ mentes abluuntur, aridæ rigantur, steriles fœcundantur; quam nec Ecclesia vbique terrarum diffusa repetitis vsque ad sæculi consummationem haustibus exhaurire possit. Fontis huius crater diuino liquore exuberans & redundans, Dominicum pectus; latex profluens, pretiosissimus eiusdem cruor, quem in nostrorum ablutionem criminum copiosè profudit. In huiusce fontani crateris orâ sitibundus sedit

olim ille discipulus qui supra pectus Domini in Cœnâ recubuit, quique, vt cum Gregorio Nyss. loquar hom. 1. in Cant. *Velut quandam spongiam cor suum apposuit fonti vitæ, & ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysteriis, nos implet bonis quæ ei à fonte sunt indita.* Huius verò fontis laticem diuinum esse sanguinem nouerat S. Ambros. dum l. de hisqui initiantur mysteriis c. 9. Christianum cum Hebræis comparans, ita disseruit: *Illis aqua de petra fluxit, tibi Sanguis è Christo. Illos ad horam satiauit aqua; te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit & sitit; tu cùm biberis, sitire non poteris.* Proinde quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita ad hunc fontem anhelat pœnitens anima, fontem vtique vitæ, fontem gratiæ, fontem futuræ gloriæ, cuius nectareis fluctibus vterque militantis & triumphantis Ecclesiæ Paradisus irrigatur, cuius aqua saliens in vitam æternam ita bibentes implet, vt non sitiant in æternum, quoniam iis propinat bonum, quod satiat in æternum.

2. *Ceruus serpentes necat*, inquit Aug. in Psal. 41. *& post serpentum interemptionem maiori siti inardescit: peremptis serpentibus ad fontes acrius currit. Serpentes vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Si mauis facere iniquitatem, quàm aliquod commodum temporale contemnere, morderi magis elegis à serpente, quàm perimere serpentem. Cum ergo adhuc faueas vitio tuo, cupiditati tuæ, auaritiæ tuæ, serpenti tuo; quando in te inuenio tale desiderium quo curras ad fontem aquarum? Quando concupiscis fontem sapientiæ, cùm adhuc laborres in veneno malitiæ? interfice in te quicquid contrarium est veritati. Et cùm te videris tanquam vacare à*

cupiditatibus peruersis, noli remanere quasi non sit quod desideres; desidera ad fontes aquarum: habet Deus vnde te reficiat, & impleat ad se venientem, & sitientem post interemptionem serpentum, tanquam velocem ceruum. Præclarè id quidem, & ad rem quam versamur apposite. Nihilominus vt ceruus serpentinis morsibus saucius, & hausto veneno turgidus, etsi impigrè currat ad fontes, iisque etiam sese immergat altius, vt aquæ frigore collectus calor interior acrius aduersus hostile virus dimicet, potu tamen prudenter abstinet, sitimque diu sustinet, donec hausti veneni vis, erumpentibus lacrymis foras emittatur: ita peccator suam in perniciem Eucharistici fontis degustaret latices, nisi vberibus pœnitentiæ lacrymis, admissi sceleris venenum prius expelleret. Vitales lacrymæ, quæ mortem instantem abigunt, virus dissipant, vitam reparant, salutem pariunt, & dilectionis ardore sursum, vaporis instar, attractæ, iudici se sistunt, exorant inexorabilem, flectunt inflexibilem, & absque supplicationis pudore mutâ quadam eloquentiâ, veniam extorquent! Potentes lacrymæ, quæ peccatricem animam rebaptisant, relapsam erigunt, captiuam iterum redimunt, sordidam abluunt, aridam irrigant; quæ & vitia submergunt, & ardores concupiscentiæ temperant, & gehennæ incendium prorsus extinguunt! Felices demum & diuites lacrymæ, quæ ceruinis longè pretiosiores, non in Belzaar, sed in margaritas inæstimabiles concrescunt, quibus diadema Redemptoris illuminetur; quæ denique, vt vtar verbis Ambrosij l. 10. in Luc. *Lauant delictum, quod voce pudor est confiteri, & veniæ consulunt, & verecundiæ; veniam non postulant, & merentur.*

3. Videre vis ceruum ſerpentinis vitiorum morſibus lacerum, vipereoque luxuriæ viru turgidum, inter medios Euchariſtici fontis latices miſerè ſitientem? lege Venerab. Petrum Cluniacenſem l. 1. de mirac. c. 2. *In Theutonicis partibus*, inquit, *Presbyter quidam impudicus Sacramenta redemptionis noſtræ Miſſam frequentius celebrando temerans, iram pariter & miſericordiam Domini erga ſe mirabiliter ſenſit. Nam Miſſam celebrans, cum iam ſe ad Sacramenta ſumenda pararet, repente caro Chriſti cum ſanguine, tam immundum vltra non ferens habitaculum, ab ipſius iam pene tenentis manibus euanuit. Admirans ille & obſtupeſcens, ab altari citiſſimè finitâ Miſſa receſſit. Cúmque indignationem Domini tam euidentis ſigni oſtenſione circa ſe commotam agnoſceret, ſemel tamen & iterum idem attentare veritus non eſt: ſed cum omnibus iam vt antè peractis ſollicitior, quæ appoſita erant oculis obſeruaret, & manibus contrectaret, oſque ad ſumendum aptaret, ſubito oculis, manibus ac ori tertiò inuiſibiliter ſublata diſparuerunt.* Iam vide, ſi lubet, ſitibundum ceruum vberrimè lacrymantem priuſquam diuini fontis liquorem hauriat & bibat. Pergit idem author: *Quo miraculo exterritus, multo tempore in ieiuniis, vigiliis, verberibus, cruciatibus & acerbâ corporis & cordis contritione emenſo, ſcelus ſuum Epiſcopo confeſſus, vt iterum pœnitentiæ lacrymiſque inſiſteret ab eodem admonitus eſt, quo purgatior & ſecurior rediret ad altare. Acquieuit ille, & ad propoſitum pœnitentiæ reuerſus, ſpiritu contribulato, lacrymiſque indeficientibus iram Domini in miſericordiam conuerti cogebat. Quid multa? expiatus & ablutus lauacro lacrymarum, de conſilio Epiſcopi acceſſit ad altare, totumque ſe lacrymis & contritione cordis immolans Deo, vſque ad perceptionem Sacramentorum vniuerſa rite peragens per-*

uenit. Et ecce nouo & inaudito miraculo, trium ante dictarum Missarum panes, qui indignè ſumere volenti ſublati fuerant, cœlitus allati ſunt, eoque iam diuino indicio ad hæc ſumenda digno facto, ante eum ſuper altare poſiti apparuerunt; cumque etiam oculos in Calicem admouiſſet, conſpexit pene vſque ad ſummitatem ſanguine repletum, & illarum Miſſarum detrimenta ad iſtius proueniſſe augmenta. Et ita de veniâ certior factus Deo placato gratias agens, qui vnum appoſuerat, quatuor panes, immo vnum Chriſti corpus & ſanguinem cum multa exultatione percepit. Hactenus Petrus Cluniac. Reuera ſacerdos ille qui ſuam in perniciem, ante lacrymas, fontis Euchariſtici latices attigerat, vbi vberrimis lacrymis ſcelerum virus è viſceribus expulit, ſuam poſtmodo ſitim, exuberantis calicis hauſtu, ſummo cum gaudio ſedauit; ac proinde meritò dicere potuit, *Bibendo perirem, ni prius illacrymer.*



EMBLEMA LVII.
FORMICÆ INDICÆ AVRO CONGESTO MINIME VTENTES.



INdica congesto formica senescit in auro,
Insatiata suas indiget inter opes.
Auri dira fames etiamnum animalia vexat;
Non auidas implet diues arena feras.

At propriis opibus non vti , nunquid abuti est ?
Parta labore graui surripit Indus eques.
Aurum igitur seruare nocet , quia nullius vsus:
Pendere ..is dolor est , accumulare labor.

APODOSIS.

Impius ingentem thesaurum in vase sacerdos
Poßidet , at summas interit inter opes.
Negligit infelix gazis cælestibus vti;
Non pretioso vti corpore , nonne nocet ?
Quid prodest reliquis seruare fidelibus escam,
Si cor inexpletum torquet acerba fames ?
Indica censetur formica minister auarus;
Aurum habet in sacrâ pyxide , semper inops.

FONS EMBLEMATIS.

FOrmicæ Indicæ animalia sunt Aegyptij lupi magnitudine, & felium colore, sed cornuta, aurum ex terræ cauernis eruentia, in regione Septentrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur, erutumque summâ curâ asseruantia. Accolæ æstiuos feruores maximè obseruant, illisque prę æstu in cuniculis latitantibus, aurum surripiunt. Sæpe tamen odore admonitæ formicæ è cauernis prouolant, crebroque lacerant, quamuis præuelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas, feritasque est cum amore auri. Ita Plinius lib. 11. c. 31. subscribit Theophrastus his verbis: Indorum Grypes, & Æthiopum formicæ, quanquam sint formâ dissimiles, eadem tamen agere student. Nam aurum vtrobique custodire perhibentur, & terram auri feracem adamare.

INTERPRETATIO.

1. CVm innumeri ac mirabiles planè sint sacræ communionis fructus, puta intima cum

Chriſto vnio, &, vt ita loquar, mira quædam commixtio, ac veluti transformatio, prauorum animi motuum ſedatio, libidinoſi ardoris extinctio, ſpiritalium ſordium ablutio, infirmitatum medela, tentationum victoria, vberioris gratiæ impetratio, charitatis virtutumque cæterarum augmentatio, felix vitæ noſtræ conſummatio, aliique ſimiles quos ex Euchariſtiâ vtpote perenni donorum omnium ſcaturigine profluere docent ſancti Patres: nullus inficiari poteſt, rariorem illius vſum damnabilem eſſe abuſum, veteris Eccleſiæ conſuetudini ſummopere repugnantem. Primi ſiquidem Chriſtiani ab Apoſtolis edocti quantus in hoc Sacramento theſaurus deliteſceret, quotidie in fractione panis, ſiue, vt habet Syrus interpres, in fractione Euchariſtiæ perſeuerabant, vt Act. c. 2. legimus. Quem morem Apoſtolicum ſatis inſinuat S. Ignatius martyr, dum Epheſios ad crebriorem huius Sacramenti ſuſceptionem iis hortatur verbis: *Date operam vt crebrius congregemini, ad Euchariſtiam & gloriam Dei.* Immo & Anacletus ſummus pontifex ita fieri præcepit de conſecr. diſt. 2. *Peractâ conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere luminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Quem quotidianæ communionis vſum in Eccleſiâ Romana vſque ad Hieronymi tempora viguiſſe ipſemet ſcribit ep. 50. *Scio*, inquit, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant.* Quod idem de Affricanâ Eccleſiâ teſtatur Cyprianus exponens hanc orationis Dominicæ petitionem: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Hunc panem,* ait, *dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis acci-*

pimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.

2. Reuera tam salutaribus mysteriis non vti, esse propriè abuti multis euinci potest rationibus. Primum enim nunquid ille pharmaco abuti censetur, quod cum in pixide reconditum habeat, aduersus virulentas plagas efficacissimum, nihilominus inflicta sibi vulnera eodem vngere negligit? omnino. Vt enim cum Augustino loquar ser. 28. de verbis Domini: *Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est quia sub peccato sumus, medicina est cæleste & venerabile Sacramentum.* Æger ergo Christianus Eucharistiâ quam *Pharmacum immortalitatis* vocat S. Ignatius ep. ad Ephesios, abutitur, dum illius vnctione suis vulneribus minimè medetur. Deinde nunquid ille pauper suâ culpâ fame interit, cui cum quotidie panis optimus offeratur, illum tamen tandiu comedere sustinet, donec ingrauescente fame moriatur? omnino: atqui quotidie primigenius gratiæ & charitatis humor externo venialium peccatorum calore sensim imminuitur, cuius dispendia nisi frequenti Panis supersubstantialis esu resarciantur, nos interire necessum est: quotidie nobis famelicis à Christo porrigitur: igitur qui eo non vtitur, prorsus abutitur concesso sibi munimine, inediaque meritò consumitur. Sic ratiocinatur loco cit. Aug. *ille panis animæ nostræ substantiam fulcit: quotidianus est; accipe ergo quotidie, quod quotidie tibi prosit.* Rursus nunquid ille thesauro abuti existimatur, quem cum in arcâ reconditum seruet, vnde sibi victum pariter & vestitum facili negotio comparet, illius tamen vsu abstinet, & præ nimio gelu nudus in-

terit? omnino. Atqui omnes cæleſtis ærarij gazas in vno Sacramento poſſidemus, ibidem Chriſtus fratribus ſuis, & victum ſuggerit & indumentum ſui titulo maioratus, proinde ſi non vtimur, ſi fame & nuditate morimur, nunquid paratiſſimo theſauri ſubſidio prorſus abutimur?

3. Quapropter iure inter alios damnandus eſt ille ſacerdos, qui cum Domini corpus quouis auro pretioſius & fulgidius in ſacrâ pyxide aſſeruet, eo ipſe nec vtitur crebrius, nec fideles eodem vti patitur: quippe formicæ Indicæ perſimilis, aurum non in proprios vſus congregat, & ineſtimabilis theſauri cuſtos infelix voluntariâ conſumitur egeſtate. In hunc damnabilem abuſum vehementius inuehitur Chryſoſtomus frequentis communionis zelator præcipuus, pluribus in locis, vt hom. 61. ad pop. O *conſuetudinem!* exclamat, *ô præſumptionem! ſacrificium fruſtra quotidianum; incaſſum aſſiſtimus altari, nullus qui communicetur. Hæc non vt temere communicemini, dico, ſed vt vos dignos reddatis. Non es hoſtiâ dignus, vel communione? igitur nec oratione.* Et hom. 5. in Epiſt. ad Timoth. eos redarguit, qui reuerentiæ prætextu à communione abſtinere conſultius ducerent; his verbis: *Hoc eſt quod vniuerſa perturbat; quia non munditiâ animi, ſed interuallo temporis longiore conſtare meritum putas, ſummamque arbitraris reuerentiam ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cæleſtem illam adeas menſam. Ignoras quoniam indignè accedere, etiamſi ſemel tantum fiat, te ſupplicio tradit? dignè verò etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquiris. Non eſt audaciæ ſæpius accedere ad Dominicam menſam, ſed indignè accedere, etiamſi ſemel tantum quiſpiam toto vitæ tempore accedat.* Hanc eximij ſui magiſtri doctrinam altè animo imbiberat Caſ-

ſianus, qui collatione 23. cùm retuliſſet quoſdam in monaſteriis rarius ex reuerentiâ communicare, obiectioni ex Magiſtri principiis ſic ſatisfacit: *Multò iuſtius eſt, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus & fatemur illa ſacroſancta myſteria nunquam pro merito nos poſſe contingere, ſingulis ea dominicis diebus, ob remedium noſtrarum ægritudinum præſumamus, quàm vt vanâ perſuaſione cordis elati, vel poſt annum dignos eorum participio nos eſſe credamus*. Concludo igitur cum S.P. Auguſtino loco ſupra memorato: *Sic viue, vt quotidiè merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Crebro igitur Dominicæ carnis auro in ſacrâ pyxide ſeruato Chriſtianus vtatur, ne rarius vtens, Indicæ formicæ more, illo abuti cenſeatur: ſiquidem illo *Non vti, nunquid abuti eſt?*



EMBLEMA LVIII.
CAMELVS HVMI VLTRO PROCVMBENS, VT HERVM SESSOREM ADMITTAT.



INclinatus humi sessorem sponte camelus
Suscipit, & flexo poplite poscit onus.
Non admittet herum nisi pronus adoret, amanti
Nil graue; fert alacris nobile pondus amor.

APODOSIS.

Corpori adorando Domini se sponte sacerdos
Subijcit, atque oneri flectit vtrumque genu.
Quidni amet Angelicis humeris optabile pondus?
Quidni & adoret eum, quem poli adorat apex?
Ante Deum rectus corde est, qui corpore curuus:
Si bene curueris, tunc mage rectus eris.
Rectus corde capis Dominum, si pronus adores
Corpore; consurgis, dum venerando cadis.

FONS EMBLEMATIS.

MIrum est quod de camelo refert Gesnerus, ex variis authoribus, libro de quadrupedibus pag. 160. Inclinat se in terram, inquit, ac vltro procumbit, vt sessorem admittat, vel onus recipiat, mox denuo surgit. Est enim omnino facile ac morigerum animal, quod in tantá corporis mole mireris.

INTERPRETATIO.

1. PRæclarè D. Aug. in Psal. 98. expendens vers. 5. *Adorate scabellum pedum eius; quoniam sanctum est. Quid habemus adorare*, inquit, *scabellum pedum eius. Sed videte, fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco scriptura dicit: cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare? Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra scabellum pedum eius. Suscepit enim de terrâ terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit; & quia in ipsâ carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adora-*

uerit, inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Et merito ita cenſuit realis in Sacramento Chriſti Præſentiæ præcipuus aſſertor Auguſtinus: quis enim eum peccare affirmet, qui ſupremæ veri Dei & hominis maieſtati ſub ſacris ſpeciebus deliteſcenti ſupremum latriæ cultum exhibet, quem ſummis iuris apicibus eidem deferre tenetur? quis illum ſceleris alicuius reum æſtimet, qui in Euchariſtiæ veneratione beatos imitetur ſpiritus, quos vtpote in ſuâ felicitate æternos, & in æternitate felices, & in gratiâ ſtabiles, proindeque prorſus impeccabiles conſtat errare non poſſe? atqui Deum ſacris ſymbolis inuolutum angelorum chori venerantur. Audi Chryſoſt. l. 6. de ſacerdotio: *Per id tempus & Angeli ſacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus eſt; id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo ſacrificio quod tunc peragitur, Ego verò & commemorantem quemdam audiui, cùm diceret ſenem quemdam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo fuiſſe; ac per illud quidem tempus de repente angelorum multitudinem conſpexiſſe (quatenus aſpectus humanus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente rege ſtantes videat.* Dominum igitur in altari immortales illi ſpiritus inclinato capite, iunctis manibus, flexis genibus; immo & præ reuerentiâ faciem ſuam alis obtegentes adorant, & eos æmulabundus homo ſimilem cultum exhibens pec-

caret? absit, immo vero, ex Augustino, non adorando peccaret.

2. Rursus quis nisi vel infidelis, vel insanus, tres Magos sapientissimos principes deliquisse censeat, dum præter stellæ speciem quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentiori veritatis radio collustrati, in carne Verbum, in infantiâ sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis adorarunt; & procidentes ad pueruli vagientis pedes, eidem consentanea fidei suæ munera, Deo videlicet incensum, regi aurum, homini morituro myrrham obtulerunt? atqui quem puppulum lacrymantem vilibus pannis inuolutum in stabulo positis diadematibus sceptrisque venerati sunt, eumdem nunc virum perfectum, inenarrabili gloriâ circundatum, non in stabulo, sed in templo, non in præsepi, sed in altari, non inter animantes, sed inter angelorum acies, adoramus; ac proinde tantum abest vt peccemus adorando, quin potius grauissime delinqueremus non adorando. Audiendus iterum Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinth. *Tu non in præsepi, sed in altari, non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & Spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides; nec vt Magi, corpus intueris, sed eius potentiam, & omnem agnoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus.* Quidni ergo eidem Domino quem fidei oculo in Sacramento præsentem intueris supremum latriæ cultum cordis & corporis postratione deferas? Sanè longè maiorem venerationem suadent magnifica templi structura, quàm ruinosi stabuli maceria; ornamenta aurea, quàm

fœnum & palea; ſacerdos ſplendidè ornatus, quàm bos & aſinus; altaris nitor, quàm præſepis fœtor, pretioſi calices, quàm cunæ pueriles.

3. Propterea grauiter & ſententiosè Tridentina Synodus Seſſ. 13. c. 5. *Nullus*, inquit, *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholicâ Eccleſiâ ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant: Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto D. vt ſumatur inſtitutum; nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adorauerunt; quem denique in Galilæâ ab Apoſtolis adoratum fuiſſe ſcriptura teſtatur.* Iure quidem, quoniam, vt ait Theodoretus dialogo 2. de his myſteriis diſſerens, *& creduntur, & adorantur; quod ea ſint, quæ creduntur.* Creditur firmâ fide ab omnibus fidelibus realis Diuinæ maieſtatis in hoc Sacramento præſentia, & fidei lumine voluntas ad cultum eidem exhibendum inclinatur: creduntur ibi plurima latriæ cultu digniſſima, tota nimirum Saluatoris humanitas & Diuinitas, hypoſtaſis Verbi, ac proinde tota Trinitas; meritò igitur adorantur, quod ea verè ſint quæ creduntur. Nec mirum ſi ab hæreticis Sacramentariis non adorantur hæc myſteria, quandoquidem qualiâ ſunt non creduntur: mirum verò valde foret, ſi à Catholicis non adorarentur, quando ab iis qualia ſunt, inconcuſsâ fide creduntur. Caue ergo, Chriſtiane, ne Dominum quem Angeli, quem Magi, quem Apoſtoli humiliter adorauerunt, excipias, niſi prius

priu̇s adores : *Nemo enim carnem eius manducat, nisi prius adorauerit* ex Augustino : *adora, & manduca*, clamat Chrysost. hom. 3. in ep. ad Ephes. *Accede pronus, adorationis in modum, & venerationis*, inquit Cyrillus Hierosol. catechesi 5. *Dignum Domino submissio reddet.*



EMBLEMA LIX.

ALCE IN PASCENDO RETROGREDIENS, NE SEIPSAM LÆDAT.



NE fera grande labrum lædat, quod prominet ori,
Retrogrado gressu gramina læta secat.

APODOSIS.

Mens humilis refugit Diuinæ accumbere mensæ,
Nec tremulis audet tangere sacra labris.

Quò magis indignam tanto se credit honore,
Sanguine potari, carne meretur ali.
Nempe retrò cedens accedit, & optima carpit
Pascua; digna magis, quò sibi digna minus.
Progreditur gradiendo retrò, dum pascitur: optas
Progredi in hoc pastu? discito retrogredi.

FONS EMBLEMATIS.

SOlinus Polyhistoris c. 23. sic scribit: Sunt & Alces mulis comparandæ, adeo propenso labro super ore, vt nisi recedentes in posteriora vestigia pasci non queant. Plinius idem docet de Machli, quam multi cum Alce confundunt: labrum, inquit, ei superius prægrande, ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens inuoluatur. Meminit etiam Aristoteles boum opisthonomorum, idest retropascentium l. 2. de partibus animal. c. 16. Vbi autem reperiantur non refert. Cæterùm Herodotus author est in Lybia boues opisthonomos esse, id exprimentibus cornibus quæ adnuunt, proclinanturque in ima, & oculos obumbrant.

INTERPRETATIO.

1. ETsi frequenti sacræ communionis vsu nihil melius vtiliusue Christianis a Deo præpotente concessum fuerit; si præcisè Sacramenti virtus summè salutaris attendatur; & ideo vt supra in 57. Emblematis interpretatione vidimus, sancti Patres nos ad quotidianam panis vtique quotidiani comestionem adhortentur, vt qui quotidie concupiscentiæ calore consumimur, quotidie pariter huius cælestis alimenti subsidio reparemur: Nihilominus si hominis ad Sacramentum acce-

dentis expendatur diſpoſitio, præſtat nonnunquam a ſacrâ mensâ recedere, & inſtar Alces retropaſcentis, in hac diuinâ paſtione retrogredi, ne magis periculoſa ſit, quam ſalubris. Hæc eſt doctrina S. Th. 3. p. q. 80. a. 10. *Si aliquis*, inquit, *ſe quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile eſt, quòd quotidie ſumat. Vnde Auguſt. ſer. 28. de Verbis Domini cùm dixiſſet: Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, ſubiungit; Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcunque ſe ad illud homo inuenerit præparatum.* Reuera cùm ex S. Bonau. faſciculariı c. 7. tria præexigat digna huius Sacramenti ſuſceptio, ſcilicet corporis munditiam, conſcientiæ puritatem, & feruidam cordis deuotionem; ex hoc triplici capite poteſt Chriſtianus ab altaris mensâ recedere, & in paſcendo retrogredi, quòd vel corporis immunditiâ, vel conſcientiæ maculâ, vel deuotionis carentiâ quaſi labro prægrandi os ad paſtum hians obſtruatur. De corporis quidem immunditiâ ita ſcribit S. Hieronymus in Apologiâ ad Pammachium: *Ipſorum conſcientiam conuenio qui eodem die poſt coitum communicant. Probet ſe vnuſquiſque, & ſic ad corpus Chriſti accedat: non quod dilatæ communionis vnus dies, aut biduum ſanctiorem efficiat Chriſtianum, vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear: ſed quod dum doleo me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me paulisper ab vxoris amplexu, vt amori coniugis, amorem Chriſti præferam.* Nimirum virginalis Chriſti caro, tantam angelicæ puritatis ſpirat fragrantiam, vt illibatus eius flos, etiam

innocentis voluptatis afflatu videatur offendi. Et hinc fluxit laudabile Carthuſianorum inſtitutum, qui vel inuoluntariâ immunditie polluti, eo die non dico ſacrum facere, aut eidem miniſtrare præſumunt, ſed nec inferiorem altaris gradum audent attingere.

2. De conſcientiæ puritate communioni præmittendâ ita cenſet Chryſoſt. hom. 17. in ep. ad Hebr. *Quos magis acceptabimus? eoſne qui ſemel, an eos qui ſæpius, an illos qui rarò accipiunt? Neque illos qui ſemel, neque qui ſæpius, neque qui rarò, ſed eos qui cum mundâ conſcientiâ, qui cum mundo corde, cum vitâ irrepræhenſibili, iſti ſemper accedant. Qui verò tales non ſunt, neque ſemel. Quid ita? quia iudicium ſibi accipiunt, & damnationem & ſupplicium.* Cui ſubſcribens Theophyl. in illud 1. Corinth. 11. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, ait: *Iudica igitur & explora conſcientiam tuam, & ſic accede; non quando fuerint feriæ, ſed quando purum teipſum, ac dignum inueneris.* Quiſquis igitur conſcientiam aliquo crimine contaminatam ſenſerit, ab Euchariſticis recedat pabulis, ne prominente criminis labro præpeditus, velut Alce in priora tendens inuoluatur, & cruentetur. Neque vero ſolùm grauiorum ſcelerum conſcientia Sacramenti huius vſum præpedit, ſed & veniales culpæ quæ ex malitiâ voluntatis in dies accumulantur, ex quibus animæ torpor oritur & tepiditas; *Indignè enim manducat & bibit*, inquit Anſelmus in eumdem Apoſtoli locum, *qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commiſit, & non confitetur ea priuſquam ad communionem accedat.* Vnde in eius mente, vt digna ſit, & animæ ſummopere proficua communio, etiam venialium culparum, maximè ex

malitiâ admiſſarum confeſſio præmittenda eſt: aliàs ſatius eſt ab ab altaris mensâ ſecedere, quàm accedere, ne nimis progrediendo, retrogrediamur.

3. De feruenti deuotione, quam tertio loco ſupra memoratus doctor Seraphicus exegit, ſic illam prærequirit Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. vt iſto feruore deſtitutos ad ſacram ſynaxim accedere prohibeat his verbis? *Nemo igitur nauſeans accedat, nemo remiſſus, ſed excitati, incenſi ac feruentes omnes accedant.* & infra. *Non videtis quantâ infantes animi alacritate mamillas arripiunt, quanto impetu papillis infigunt labia? non minore cupidttate nos quoque ad hanc menſam, & ad huius calicis ſpiritalem accedamus papillam: immò verò maiore deſiderio, quaſi lactentes pueri, gratiam Chriſti ſugamus.* Nihilominus etiamſi quis minorem in ſe quàm par eſſet deuotionis feruorem ſentiat, non debet diutius à ſacrâ ſynaxi abſtinere, ne tepor in frigus tranſeat, dum longius ab igneâ charitatis fornace abſcedit; immò tantò citius ignem illum ſpiritalem debet requirere, quantò acrius frigus ſenſim inualeſcere perſentit. Eſt & alia ratio quæ plurimos in his cæleſtibus paſcuis retrogradi cogit, videlicet timor immodicus, ex tremendâ Dei abſconditi maieſtate procedens, maximè vbi ab illius conſideratione in noſtram vilitatem fit reflexio: plena ſiquidem ſancti cuiuſdam horroris veneratio eos ab altaris acceſſu auocat, vt ſpiritali duntaxat, communione Chriſtum excipiãt, quem orali ſumere non audent; pium Centurionem æmulabundi qui dixit: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum,* & illi quidem ſic retrogrediendo, ſicut alces, paſcuntur, tantò magis Sacramenti fructibus digni, quantò magis ſibi videntur indigni; & recedendo accedunt, & in

diuinis paſcuis retrogrediendo progrediuntur. Alcē ſic retrogrediendo paſtam exhibeo B. Bonauenturam qui ab arcani numinis maieſtate, timore reuerentiali perculſus, propriæque vilitatis conſcius, dum pluribus diebus à Sacramentali communione ſeſe temperaret: illud Petri ſæpenumero proferens: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*; quodam die tremendo inſeruiens ſacrificio, cùm ſacram hoſtiam ſacerdos diuideret, meruit illius particulâ in ipſius os inuolante miraculosè ſaginari; tunc enim vt Alce, retrogrediendo paſtus eſt, quia filiali timore erga venerabile Sacramentum affectus, non ſolâ ſpiritali, ſed & orali communione coram Deo repertus eſt dignus. Deinceps tamen congruentius duxit in hiſce immortalibus paſcuis amore progredi, quàm timore retrogredi. Vnde & Faſciculárij c. 7. cum hanc quæſtionem ſibi propoſuiſſet: *Quæris, quo te affectu magis debeas excolere, timoris ſcilicet, & reuerentiæ; an amoris & deſiderij? an debeas, vt multi, cum importunâ deſiderij feſtinantiâ anhelare; an vt nonnulli reuerentiæ & timoris magnitudine, magnitudinem Sacramenti attendens, & propriam infirmitatem conſiderans, magis debeas affectu retrahi, & elongari?* cum vtrumque tutum eſſe reſpondiſſet, vt ſcilicet ex reuerentiâ timentes ſpem & deſiderium non relinquamus, & vt ex ſpe & fiduciâ non amittamus reuerentiam, ſic tandem quæſtionem reſoluit; *Simpliciter loquendo dubium non eſt, quin melior ſit affectus amoris, quàm timoris. Sed quod eſt ſimpliciter melius, in caſu eſt ſæpe peius, & pluribus periculoſius.* Ac proinde ſæpius ratione periculi, *Iuuat, ne paſtio lædat, retrogredi.*

EMBLEMA LX.
VENATOR ORBATAM CATVLIS TIGRIDEM, VITREÆ FORMÆ IMAGINE, DELVDENS.



Ce fourbe insigne luy suppoze
La figure, au lieu de la choze.

ORbatæ catulis tigridi, sæuumque frementi
Latro nouâ vitreos obijcit arte globos.
Prolem auffert, vanâ dum ludit imagine matrem;
Illa sed impatiens frangit inane vitrum.

Tunc aperit fractura dolos, ſolam inuenit vmbram,
Prolem vbi germanam delituiſſe rata eſt.

APODOSIS.

Sic verum Domini corpus rapit hæreſis, atque
Nudo animas paſcit pane, meroque mero.
Grande Sacramentum commutat inanibus vmbris,
Fallacique offert vana elementa manu.
At ſolidum dum corpus hiat mens credula, inani
Deluſa effigit languet, obitque fame.
Nonne pudet, Zuingli, pro corpore corporis vmbram,
Proque cruore Dei ſubſtituiſſe merum?
Dignum equidem munus moribundo Numine, fruſtum
Si dederit panis, quod foret eſca canis.

FONS EMBLEMATIS.

Tigris inter omnes feras fœtus ſuos vehementer amat, & aduerſus venatores pugnando, quæuis tela, & mortem quoque contemnit. Quippe ad ſuum reuerſa latibulum, catulos ſibi ſurreptos miſerabili plangit vlulatu; & veſtigia prædonum odore veſtigans, incredibili velocitate perſequitur. Venatores igitur, vt vtar verbis Alberti Magni, ſphæras vitreas formam catulorum referentes, inſequentibus matribus obiiciunt, quas illæ intuentes, imagine quam ipſæ reddunt decipiuntur, vt ſubeſſe catulos putent, idque eò magis, quod ſphæra moueatur, ceu viuum animal in ſe continens. Sed cum tigris ſphæram confringit pedibus, vt catulo potiatur, deluſam ſe videns, pergit inſequi, illi alias ſubinde ſphæras obiiciunt, deluduntque; donec ad ciuitates vel naues euadant. Mater verò orba in littora mœſta vlulat, quandoque etiam præ doloris magnitudine mo-

ritur. Consentit S. Ambrosius l. 6. hexaem. c. 4. & Claudianus de tigride canit:

Vitreæ tardatur imagine formæ.

Quod fusius expressit Petrus Angelius Bargæus l. 3. Cynægetic. his versibus:

Speculo persæpe illuditur, vt se
Inspexit, natosque illic decepta putauit
Esse suos caueis, & iniquo carcere clausos.

Cæterum Ioannes Baptista Castaldus Marchio Mortaræ vsus est pro symbolo, tigride sese in speculo multarum facierum intuente, & vanarum formarum imagine delusâ, vt refert Typotius to. 3. Symbolorum pag. 169.

INTERPRETATIO.

1. CRudelis & fraudulenta Sacramentariorum hæresis, vbi dominatur, sæuit vt leæna; vbi famulatur, serpit vt vipera, sed astutiâ nocentior, quàm sæuitiâ, quòd illâ animam, hac vero corpus occidat. Aduersus sæuientem leænam opus est patientiâ, aduersus serpentem viperam vigilantiâ, dum sæuit, cogit Catholicos Christum in Sacramento negare; dum serpit, eumdem negare docet, metuenda magis dum fallit quàm cùm sæuit, nunc ingerit violentias, nunc insidias. Sæuientis leænæ fremitus à longè auditur, & ideo facile cauetur; serpentis, occultisque lapsibus surrepentis viperæ morsus minus præuidetur, ac proinde minus præcauetur. Iis fere verbis sui temporis hæreses depingit, & crudelem æstutamque illarum indolem exprimit hæreticorum malleus August. enarrat. in Psal: 39. Et verò quid crudelius quàm innocentibus vitam adimere, viatoribns necessarium viaticum aufferre, ac famelicis sitibundis panem panem potumque denegare, demum

legitimis filiis paternam hæreditatem eripere; at Euchariſtia vita eſt animarum, viaticum in Domino morientium, annona famelicorum, potus ſitientium, hæreditas filiorum, quibus ab hæreſi ſæuiſſimâ fraudantur. Summa igitur huius hæreſeos ſæuitia, nec minor aſtutia: quippe ne fideles ſurreptum ſibi Seruatoris corpus & ſanguinem, cum lacrymis & gemitibus, ab iniquiſſimâ raptrice repoſcerent, eos fallaci Dominici corporis imagine deluſit, eadem fere verſutiâ, quâ venator orbatæ catulis tigridi ſolet illudere, & vitrearum obiectu formarum inſequentem retardare. Primum igitur Caluinum huius hæreſeos anteſignanum, præcipuumque ſi non authorem, ſaltem fautorem, Chriſtum è Sacramento tollentem ſuffurantemque videamus: Sic ille in conſenſione de re ſacramentariâ in fine diſſerit: *Tollenda eſt qualibet localis præſentiæ imaginatio; nam cum ſigna hic in mundo ſint, oculis cernantur, palpentur manibus; Chriſtus quatenus homo eſt, non alibi quam in cœlo quærendus eſt.* Et infra. *Quia tamen corpus Chriſti finitum eſt, & cœlo vt loco continetur; neceſſe eſt à nobis tanto locorum interuallo diſtare, quanto cœlum abeſt à terrâ.* Vnde l. 4. inſtitutionis c. 17. §. 21. colligit, hæc verba *hoc eſt Corpus meum*, figuratè intelligi, huncque ſenſum reddere: hic panis eſt figura corporis mei. Nemo, vt opinor, non videt apertiſſimum furtum, quod fur ipſe in flagranti delicto deprehenſus palam confitetur. Etenim ſi non alibi, quàm in cœlo corpus Domini quærendum eſt, ſequitur nullatenus in Sacramento reperiri. En barbara huius hæretici ſæuities mortalibus vitam, famelicis cibum, legitimis filiis paternam hæreditatẽ teſtamento firmatam execrabili furto ſurripientis,

2. Iam fraudem eius & astutiam intueamur: sic enim Dominicum corpus suffuratur, vt nihil minus egisse videatur, dum incautos fideles vacuâ illius imagine deludit. Hinc l. 4. instit. c. 17. §. 10. furtum suum ita occultare nititur: *Non aliter animæ nostræ carne & sanguine Christi pascuntur, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent; & nisi quis fallacem vocare Deum volet* à quo nempe tam expressè dicitur HOC EST CORPVS MEVM *inane ab ipso symbolum proponi dicere numquam audeat. Quare accepto corporis symbolo, non minus corpus etiam ipsum nobis dari certò confidamus.* Idemque docet commentar. in c. 26. Mathæi, & in c. 11. prioris ad Corinth. tamdemque eodem cap. 17. instit. §. 11. post multa de sanctissimo Sacramento disputata iis verbis concludit: *Dico igitur in cœnæ mysterio, per symbola panis & vini Christum verè nobis exhiberi, adeoque corpus & sanguinem eius, vt primum in vnum corpus cum ipso coalescamus, deinde participes eius substantiæ facti in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus.* Et quidem cum ipsi posset opponi, nos nō posse corporis Christi realiter vniri, vtpote quod à nobis tanto distet interuallo; quanto cœlum abest à terrâ; Respondet eodem c. instit. § 10. *Etsi incredibile videatur in tantâ locorum distantiâ penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit in cibum; meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emicat arcana Spiritus sancti virtus, & quàm stultum sit eius immensitatem nostro modo velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum verè vnire quæ loco disiuncta sunt.* Quis hunc hominem ita disserentem audiens non sibi persuaderet, illum Domini corpus è Sacramento nunquam sustulisse; cùm nihilominus tot

magnificis verbis realem Christi præsentiam in specie contestantibus, nil nisi inanem illius vmbram asserat, vt patet ex prioribus ipsius testimoniis quæ velut oracula Caluinistæ sequuntur, & maximè ex eodem cap. 17. l. 4. instit. §. 5 & 31. vbi non aliam Dominici corporis manducationem agnoscit, quam fidei, aitque non opus esse, ad hoc vt edatur, vt per seipsum sit præsens, & ad nos è cœlo descendat, sed sufficere vt per fidē nos sibi præsentes faciat in cœlo. *Interim verò hanc non aliam esse quam fidei manducationem fatemur, vt nulla alia fingi potest. & §. 31. Christus præsens illis non videtur nisi ad nos descendat; quasi verò si ad se nos euehat vtique per fidem, non æque potiamur eis præsentiâ.*

3. Itaque eò tandem hæresis Caluiniana deuoluitur, vt realem Dominici corporis præsentiam aufferens, euanidam duntaxat illius imaginem nobis obiiciat, & ita fraudulenter illudat. O crudelitatem astutam, & crudelem astutiam! suffuratur callidè adorabile Domini corpus, sed vt execrabile furtum occultet, inanem illis figuram substituit, ne fideles exigant quod vix sibi sentiunt ablatum. Quis igitur instar tigridis suis orbatæ catulis, non doleat, crebrisque gemitibus requirat, quod à fraudulentâ raptrice sibi præceptum deplorat? Quis cum Magdalenâ non iis clamoribus Sacramentarios prædones insequatur: *Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum?* Michas Iud. c. 18. cum idola sua sibi surrepta magno eiulatu conquereretur, *respexerunt qui Deos eius abstulerant, & dixerunt; quid tibi vis? cur clamas? qui respondit: Deos meos quos mihi feci tulistis, & Sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis, Quid tibi est?* Cur non æquiori iure conqueratur Christianus, quòd hære-

tici ſibi Dominum verum Deum & hominem, & incruentum corporis ipſius ſacrificium, & Sacerdotes, & templa, & altaria, & ſacras ceremonias, vno verbo religionem ipſam, quæ ſine præmiſſis ſubſiſtere nequit, abſtulerint? Tigris fractis ſphæris vitreis, quas ſuorum catulorum raptores obiiciunt, quibuſque ſobolem deliteſcere putauerat, ſe deluſam ſerò nimis agnoſcit, & præ dolore ſæpiùs interit; ſic plerique in extremis æternæ beatitudinis diſpendio ſeſe ab hæreticis deceptos, & inani diuini corporis vmbrâ deluſos experiuntur; quo fit vt miſerè pereuntes immortali vitæ moriantur, & interminabili viuant morti & gehennæ. O anima fidelis, hæretici fuge fraudulentas inſidias, qui tibi pro Domini carne, panis fruſtulum idoneum canis alimentum, pro Chriſti ſanguine vini guttam ſubſtituit, Nouique teſtamenti damnabili corruptelâ, *rem ſurripiens miſeræ obijcit vmbram*



PISCES.

EMBLEMA LXI.

DELPHINVS A TROCTIS NON INVITATIS CONVIVIS LACERATVS.



DElphini placido regnantis in æquore troctæ
Mite iugum excutiunt, corpus & ore petunt.
Obrutus ille magis numero, quam robore victus
Subsilit, angit enim saucia membra dolor.

Hi contrà inſurgunt, morſuque tenaciter vrgent:
Quiſque ſibi è lacero corpore fruſta rapit.
Rege cruentato recipit ſe turba rebellis,
Poſtquam extincta ſitis ſanguine, carne fames.

APODOSIS.

Chriſtus amat mites, at monſtra ſimillima troctis
Odit, & ad morſus ſubſiliendo gemit.
Indolet innocuum lacerari corpus ab illis,
Quos vltrò propriâ paſcere carne cupit.
Heu quales alo conuiuas! exclamat; amoris
Fercula, inaudito quiſque furore rapit.
Quem tibi ſponte cibum Saluator amabilis offert
Suſcipe; amore capi vult, quod amore dedit.
Crimine ſi lanies corpus, laniaberis intus:
Ni conuiua Dei ſis, lanio eius eris.

FONS EMBLEMATIS.

TRoctæ piſces (quos cum amiis Rondeletij cũfundit Geſnerus, quarumque iconem adfert vbi de amia) dentes habent frequentes & continentes, quibus quicquid inciderit confringere poſſunt. Hamo capti ſoli ex piſcibus non ſe ab hamo retrahunt, ſed impellunt ſeſe in ferrum, chordam conſumere cupientes. Piſcatores contra machinantur longas anſas: illi verò quoniam quodammodo valent ſaltu, anſas ſæpè tranſiliunt, ac lineâ qua aguntur concisâ, ad piſcium domicilia reuertuntur. Illi ſuigeneris grege coacto delphinos inuadunt, maximè ſi quem ſegregatum circumuenire poſſint. Planè enim ſciunt delphinum ſuis morſibus verberari aſperrimè ſolere. Itaque troctæ ei accerrimè inſtant, delphinus contra reſilit, & ſubſilit, & indicat quantum ex dolore torqueatur; idcircò

idcirco tenaciter vrgent, ſimulque ad ſaltum Delphini tolluntur; hic eos repellere conatur; illi verò nihil remittentes viuum lacerant. Poſteà verò quam pro ſe quiſque aliquam partem mordicus abripuerit, diſcedit. Delphinus verò libenter enatat, *Quum conuiuas, vt ita dicam, non inuitatos, cum ſuo dolore excepit.* Ita Ælianus l. 1. de animal. c. 5.

INTERPRETATIO.

1. VT Delphin hominum amantiſſimus, verèque φιλανθρωπότατος egregium eſt humaniſſimi Redemptoris hieroglyphicum, cuius, vt ait Apoſtolus, *Apparuit benignitas & humanitas, & græcè* φιλανθρωπία, Ita per troctas carniuoros ſacrilegi diuinæ ipſius carnis laniones diagraphicè figurantur. De Amia ſiue trocta ſcribit Rondeletius eam eſſe gregalem, & ire cum ſui ſimilibus, roſtro acuto, ventre craſſo, ductis à dorſo ad ventrem lineis obliquis nigricantem, oculis paruis auri æmulis: dentes habere ſerratos acutiſſimos in os recuruos; ventriculum fere ad podicem vſque demiſſum, fellis veſicam toti inteſtino attextam; carne veſci, aquis dulcibus delectari, celeriter augeri, eius incrementum ſingulis diebus intelligi, mollem & pinguem eſſe, delectabiliter degere, ad inferendam aliis piſcibus iniuriam aptiſſimè armatam. Quis autem in hac Amiæ ſiue troctæ deſcriptione, non videat iniuſtos huius ſæculi tributorum exactores natiuis depictos colobus? An non illi gregales, qui, vt noua in dies vectigalia excogitent, gregatim conueniunt, vt pariter gregatim corraſæ pecuniæ pondere in tartara ferantur? An non ventre craſſo, qui prouin-

ciarum adipe ſaginati, populi ſubſtantiam abſumunt? An non obliquis lineis nigricantes, qui à recto diuinorum tramite mandatorum in obliquos iniuſtitiæ deflectunt amfractus? An non iis oculi auri æmuli, quibus, vt ita loquar, aurum Deus eſt, quique ſuam in auri copia beatitudinem collocant? An non iis dentes ſerrati acutiſſimi, & in os recurui, qui pauperes deuorant, qui proprios in vſus regia tributa conuertunt? Hoc enim eſt dentes habere in os recuruos. An non iis ventriculus ad podicem vſque demiſſus, qui epulantur quotidiè ſplendidè *quorum Deus venter eſt*, quos ventris obedientia finxit, qui cibos indigeſtos egerunt, vt recentes ingerant? An non iis fellis veſica toti inteſtino attexta, quibus inſunt fellea, vel potiùs ferrea in ſpoliatos inopes viſcera? An non illi carniuori qui diebus ab Eccleſiâ prohibitis carnes comedunt, qui plebis ſubſtantiâ farciuntur? Quò enim abiit tot macilentorum agricolarum adeps, quibus præter cutem & oſſa nihil ſupereſt, niſi in pingues eorum aqualiculos? An non aquis dulcibus delectantur, qui corraſas opes illicitis voluptatibus inſumunt! An non & celeriter augentur, & eorum incrementum ſingulis diebus ſenſu percipitur, qui ab extremâ pauperie, ad ampliſſimas diuitias, paucis annis perueniunt, ſtupente, totque impunita furta deplorante populo? An non denique velut troctæ, ad inferendam omnibus iniuriam paratiſſimi ſunt, qui non ſolùm ſubditis, ſed & principibus iniurij quorum theſauros ſuffurantur, & pretioſiorem eorum gazam, populi nimirum amorem & obſeruantiam auferunt?

2. Atque vtinam immanes Troctæ ſolùm pau-

peres viua alioquin Domini membra deuorarent, & eorum ſubſtantiâ farti, cruoreque ebrij, in adorabile Chriſti corpus non deſæuirent. Verùm, proh dolor! illorum crudelitas in regum regem redundat, quos lacrymantibus oculis, paſchali tempore, Corpus Dominicum ſacrilegè dilaniantes quotannis intuemur. Nimirum vbi ſæuiſſimè in oues debacchati ſunt, nil ſupereſt, niſi vt paſtorem diſcerpant, & troctarum inſtar Dominum Delphino humaniorem inhumaniter imperant. Sanè regni cœleſtis delphinem, paternæ gloriæ hæredem ſacrilegi quaſi agmine facto morſibus lacerant, dum renitentem, & præ dolore ſubſilientem impuris viſceribus abſorbent: ſed quàm inuitus Delphin noſter crudelia eorum pectora ſubit, tam libens conſumptis ſpeciebus, quibus quaſi catenis captiuus detinebatur, indè ſe proripit quoad ſubſtantiam, vnde iamdudum receſſerat per gratiam; nec minùs ſui corporis reos execratur, & punit, quàm tortores deicidas qui ſuam humanitatem atroci laniena deformarunt. *Nam*, inquit Chryſoſt. ho. 45. in Ioan. S*i qui regiam purpuram coinquinant, haud ſecus quàm ſi ſcindant puniantur; quid mirùm, ſi qui immundâ conſcientiâ Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt.* Rurſumque ho. 3. in Ep. ad Epheſ. Si *quis pedes regis canibus obiiciat, & in compedes iniiciat, an non erit obnoxius extremo ſupplicio? Tu tuum corpus obiicis feris immanibus, & non horres?* Ita eſt: feris laniandum Chriſti corpus obiicitur, quoties ab indignis deuoratur; immò delphin noſter humaniſſimus mallet à troctis carniuoris lacerari, quàm à ſacrilegis violari. Nec enim ſcelus eſt, ſi caſu lapſam in mare ſacratiſſimam hoſtiam trocta deglutiat; ſum-

mum verò ſcelus eſt ſi ſacrilegus eamdem excipiat. Quapropter meritò Cyprianus l. de lapſis, in Sacramenti profanatores his verbis inuehitur: *Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus* Domini corpus inuadunt. *Quando occurrat ſcriptura diuina, & clamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducauerit ex carne ſacrificij ſalutaris quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo.... Spretis his omnibus atque contemptis*, vis infertur corpori eius & ſanguini, *& plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negauerunt.*


3. Cæterum ad rem Euchariſticam pondero poſtrema Æliani verba: *Delphinus verò libenter enatat, quum conuiuas non inuitatos cum ſuo dolore excepit.* Inter Euchariſtici epuli conuiuas alij cenſentur inuitati, alij non item, non ſecus ac in vltimâ cœnâ, ex Apoſtolis Iudas non inuitatus, cæteri omnes inuitati. Inuitatos exiſtimo, qui nuptiali charitatis ſtolâ ſplendidi regalibus epulis accumbunt, non inuitatos cenſeo, qui pannosâ veſte ſordidi ſummi regis oculos offendunt, quos omnes, in vno Chriſtus increpat Matth. 22. 11. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Quaſi diceret: etſi omnes meum ad conuiuum vocauerim, id tamen egi eâ lege, vt exutis ſcelerum pannis, prius nuptialem ſtolam induerent, quàm cœnaculum ingredi præſumerent: nempe nuptiali togâ nudati, inuitati ſunt, & non inuitati: inuitati quidem, quia cum reliquis ad regales nuptias vocati, ad quas antequam accederent, nuptialem, vt Dei auxilio poterant, habitum ſibi compararent: non inuitati

verò, quia ſcelerum pannis ſordidi, nuptialis ſtolæ neglectu, regiis epulis cenſentur indigni: Reuera Christus ad epulum inuitans Cant. 5.1. clamitat: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Vel vt legunt Septuaginta, proximi, & fratres, & ita explicant particulam hebræam *Dodim* quæ propriè amores ſignificat. Ac proinde ad nuptiales epulas non niſi fratres chariſſimos, amicos, proximos, amoreſque ſuos inuitat, conſequenter inimicos omnes excludit. Delphin igitur noſter ſacrilegos troctis crudeliores quaſi non inuitatos, conuiuas cum ſuo dolore conuiuio excipit, multa gemens, & conquerens, *Heu quales alo conniuai!*



EMBLEMA LXII.

GLAVCVS TREPIDOS FOETVS ORE HIANTE, ORTA TEMPESTATE, RECIPIENS.



MIrus amor Glauci in sobolem, si ferueat æquor,
    Atque procellosus turbo, notusve furat:
Mox trepidos fœtus pater excipit oris asylo;
    Perfugium in placido pectore præstat amor.

Æquore placato, reuomit quos ante vorarat,
Non satis est Glauco parturiisse semel.
Dum sobolem ore capit, quis concepisse negabit?
Dum reuomit, rursum quis peperisse neget?

APODOSIS.

Tot miseris Iesus animis reserauit asyla,
Carne quot in lacerâ vulnera sponte tulit.
Quinque cicatricum sinibus iactata receptat
Pignora, concepit pectore, eoque parit.
Hîc Thomæ quassata fides solidatur, in istis
Tuta foraminibus mens tremefacta latet.
Nil tentator obest protectis cordis asylo:
Turbine concussus vulnera hiulca petat.
Scandere non opus est cælos, vt possit ab illis
Protegi, in altari cui tot asyla patent.

FONS EMBLEMATIS.

GLaucus piscis pater factus, quos sustulit ex coniuge diligentissimè cauet, ne insidiis impetantur, neue pernicies vlla iis inferatur. Itaque donec læti ac sine timore natant, tandiu illos custodire non intermittit, nunc à tergo cum eis natans, nunc verò non à tergo, sed adnatat modò ad vnum eorum latus, modò ad alterum. Si quis verò ex paruulis timere cœperit, ille timore cognito, ore hiante excipit paruulum, deinde timore præterito, quem deuorauerat remouit, qualem acceperat. Ælianus l. 1. de Auimal. c. 16.

INTERPRETATIO.

1. AMabilis Iesus de discipulorum salute supra modum sollicitus, imminente passionis suæ tempestate, cum teneros fœtus ingenti ter-

rore percellendos præuideret, eoſdem hiante, vt ita loquar, pectore, & amantiſſimi cordis ſinu recepit, vt vbi illos conceperat, charitatis ardore, ibidem eximeret à timore: quoſque pepererat oris eloquio, eoſdem cordis tueretur refugio. Nec ſollicito ipſius amori ſatis fuit, meticuloſam ſobolem proprij corporis vmbone protexiſſe, cruoris nectare roboraſſe, niſi illam inſuper Archangelicâ vallaret cuſtodiâ. Quippe in horto Gethſemani, iactus lapidis interuallo, à dilectiſſimis fœtibus violenter auulſus, quòd iis intimè vi ſacræ communionis adhæſiſſet, quaſi concarnatus & conuiſceratus; cùm factus in agoniâ prolixius oraret, & diuinam illis protectionem à Patre poſtularet, apparentem ſibi cælitus Archangelum ad eorum tutelam illico deſtinauit, de cuius fortitudine, vigilantiâ, & ſedulitate confiſus, cum prius iis mœſtus dixiſſet: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*; miſſo deinde angelo, vultu hilariori ſubiunxit: *dormite iam & requieſcite*. Vtique Archangelicâ cuſtodiâ ſecuriores. Ita ſentit Hilarius l. 10. de Trinit. *Miſſo enim*, inquit, *ad Apoſtolorum tuitionem Angelo, & per eum confortato* Domino, *ne pro iis triſtis eſſet, iam ſine triſtitiæ metu exiſtens, ait: dormite iam & requieſcite*. Deinde domitâ iam morte rediuiuus, hiulca glorioſi corporis illis oſtendit vulnera, ſatis ſuperque innuens tot iis refugiorum patere ciuitates, quot in membris ſuis hiarent cicatrices; quibus potiſſimum vacillantem in fide Thomam adhuc de paſſionis procellâ trepidum excepit, ne incredulitatis turbine correptus interiret. Quis iſtam Glauci noſtri myſtici, in protegendis trepidis fœtibus non admiretur ſollicitudinem, quibus tot aſyla aduerſus hoſtiles incurſus

aperuit, quot in gloriosâ carne plagarum foramina ſeruauit?

2. *Abyſſus abyſſum inuocat* canit regius Pſaltes: Thomas, id eſt abyſſus inſcrutabilem hiulci Chriſti lateris abyſſum inuocauit: abyſſus dubietatis intrauit abyſſum firmitatis, vt hinc firmam & indubiam hauriret confeſſionem arcanæ Diuinitatis; vix enim lanceæ fixuram attigit, cum in hanc fidei profeſſionem erupit: *Dominus meus & Deus meus. Videbat*, ait Aug. tract. 121. in Ioan. *tangebatque hominem, & confitebatur Deum quem non videbat, neque tangebat; ſed per hoc quod videbat atque tangebat: illud iam remotâ dubitatione credebat.* Vides vt iſte piſciculus in fide trepidus, vbi paternum os, vbi Dominici lateris aſylum ſubiit, omnem omnino metum, dubiumque animo excuſſerit, & Diuini vulneris contactu, ſuæ vulnus incredulitatis curauerit. Sed operæpretium eſt audire Chryſologum ſer. 18. vbi Dominum rediuiuum diſcipulos his alloquentem verbis inducit: *Tactus digiti veſtri intrent veſtigia clauorum, manus veſtræ alta vulneris exquirant, aperite manuum foramina, ſulcate latus, aperite vulnera; quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam ſæuientibus non negaui: palpate, & vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenite; vt vel oſſa carnis aſtruant veritatem, & me eſſe ipſum vel vulnera ſeruata teſtentur.* Vbi pondero primùm hæc verba: *Negare non poſſum diſcipulis, quod inimicis non negaui.* Ea enim eſt optimi Redemptoris charitas, vt non ſolum trepidis in fide diſcipulis patere voluerit ſuorum ora vulnerum, verùm etiam inimicis eadem aperiat in refugium. Vnde non eſt cur ſcelerum horrore territi, aut inſtantis iudicij timore concuſſi de ſalute deſperent, quibus tot aſyla patent

quot vulnera: solummodo doleant de præteritis, caueant de futuris, dehinc patulas ingrediantur cicatrices, experientur refugij ciuitates. Expendo etiam vltima Chrysologi verba, *& me esse ipsum vel vulnera seruata testentur.* Quid ais, vir disertissimè? aliusne foret Christus, si vel in cælis, vel in aris, gloriosis non insigniretur vulneribus? num adhuc posset tum ex frontis maiestate, tum ex diuini vultus lineamentis, tum ex incomprehensibili carnis gloriâ, vt verus Christus agnosci? non, inquis, nisi singularia Redemptoris habeat lineamenta, hoc est vulnera: Ex iis enim euidentius dignoscitur quomodo nondum passus à iam passo differat, quasi quinque latis cicatricibus, velut totidem decumanis characteribus nomen IESVS exaretur, quibus deinceps ab ipsius sanguine redemptis facilius agnoscatur redemptor rediuiuus. Potuisset Dæmon assumptâ Saluatoris specie, nos mendacibus deludere lineamentis; at vulnera illa ementiri non potest, qnibus triumphatus est. Sic S. Martinus seductoris fraudes facile detexit, dum in assumpto corpore, suæ redemptionis characteres non deprehendit.

3. Quoties igitur grauis tentationis tempestas ingruit, quoties alicuius aduersitatis procellâ concutimur, confestim trepidorum piscium more, in amantissimi parentis os, in hiulci lateris cicatricem, quam in Sacramento de industriâ seruauit, vt noster ibi Saluator agnosceretur, nos recipiamus; non illam claudet, vt nos excludat. Num præstat in huiusce cicatricis asylo timorem animis excutere, quàm in tremendo iudicij die cum Christicidis ad illius aspectum contremiscere? Nonne satius est nunc amoris radiis ex hac

cicatrice prosilientibus suauissimè recreari, quàm tunc erumpentibus vindictæ fulgetris exanimari? *Sicut enim*, inquit August. l. 2. de Symb. c. 8. *vulnera demonstrauit Thomæ non credenti, nisi tangeret & videret; ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est, vt conuincens eos veritas dicat: ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis; quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Itaque ne nobis idem vltionum Dominus improperet, alacriter in hiulca vulnera per nos, & propter nos aperta, extremi iudicij metu perculsi confugiamus, non opus est cœlos scandere, vt illic ab ingruentibus tentationibus eximamur, patent nobis in altaribus tot refugia, quot in Dei absconditi carne hiant vulnera: illuc nos recipiamus, & securi conquiescemus; quia *nullibi asylum tutius.*



EMBLEMA LXIII.

POLYPVS FAMELICVS PROPRIA MEMBRA COMEDENS.



PRomptum epulum Polypo natura benigna parauit,
Ne mora ieiuno perniciosa foret.
Vrget vbi vesana fames, stomachoque voraci
Præda deest, proprio corpore corpus alit.

Damna renaſcendi vis admiranda reſarcit,
Reſtituitque artus quos gula dira rapit.

APODOSIS.

Excellens epulum poſtremâ nocte Redemptor
De propriâ ſibimet carne, cruore, parat.
Ille epulans, epulumque ſimul, potuſque cibuſque;
Seque bibit potus, ſe cibat ipſe cibus.
Non poterat, ſuperûm regalis menſa parare
Fercula digna, Deus queis aleretur homo.
Ipſe ſibi promus conduſque hæc fercula promit,
Apta fameſcentem vel ſatiare Deum.
Si Deus eſuriat, Deitas foret eſca: Deus-vir
Eſurit, hinc proprio corpore gaudet ali.

FONS EMBLEMATIS.

POlypus cùm aliis cibis paſcitur, tum verò ſua ipſe membra conficit: nam ſi præda eum deficiat, brachia ſua deuorat, ac ventre ſic ſaturato, inopiam venationis leuat, deinde renaſcitur ei quod deeſt. Hoc tanquam promptum prandium ad famem reſtinguendam comparante ipſi naturâ. Ita Ælianus lib. 1. de animal. c. 27 Cui ſubſcribit Plutarchus l. de ſolertiâ animal. his verbis: Polypus ſub brumam, ſeipſum vorans, corrodenſque deſidet.

INTERPRETATIO.

1. SVb brumam fameſcit polypus, famis impatiens corpus ſuum comedit, mox renaſcitur quod abſumptum eſt, & augetur. Tria hæc ad rem Euchariſticam expendamus, & in Chriſto Domino viuaciter expreſſa non ſolùm intueamur, ſed etiam admiremur. Primum quidem ſub atrociſſi-

mæ paſſionis brumam vehementer eſurit, qui diuturnioris inediæ intolerans, extremam edendi cupiditatem his verbis Luc. 22. teſtatus eſt: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* At vnde iſtud tam vehemens huius edendi paſchatis deſiderium? An agninam carnem appetebat? aut in agno paſchali nouas ſibi fingebat delicias, vt ardentiori illius edendi teneretur deſiderio? at illum multoties, legis ad apicem obſeruator, etiam cum diſcipulis comederat. Aliud igitur excellentius, ſuauius, & diuinius paſcha concupiſcit, quod tantum agno typicopræcellat, quantum corpus vmbræ, lux nocti, veritas figuræ; ſemetipſum agnum verum & viuum ſuo cruore mundi ſordes abluentem, in Sacramentali menſâ mactare, & cum diſcipulis manducare deſiderat, non naturâ ſed gratiâ, promptum de ſuo corpore epulum ipſi famelico comparante. An forte non impletum eſt tam feruens, tam iuſtum, & rationabile viri deſideriorum deſiderium? abſit vt Deus moribundus voti compos non fieret, qui mortales votorum compotes efficit; flagrans proinde deſiderium ſui corporis eſu compleuit. Audi Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 40. *E tot feſtis Iudæorum Paſchæ diem elegit: in hoc enim Sacramentum pronuntiarat Moyſes, Paſcha eſt* Domini. *Ideo & effectum ſuum oſtendit: Concupiſcentiâ concupiui paſcha edere vobiſcum antequam patiar. O legis deſtructorem, qui concupierat etiam paſcha ſeruare. Nimirum veruecina illum Iudaica delectaret? An ipſe erat, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente, ſic os non aperturus, figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere concupiſcebat.* Et infrà, *Profeſſus itaque ſe concupiſcentiâ concupiiſſe edere paſcha vt ſuum (indignum*

enim vt quid alienum concupiſceret Deus) *acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit.* Nimirum hoc eſt illud paſcha quod ardenter edere deſiderabat, corpus ſuum, ne quid indignum admitteret, ſi quid non ſuum concupiſceret. Non illum Paleſtinæ veruecina, ſed propriæ humanitatis delectabat agnina. Deus breui moriturus epulum ſibi congruum, fercula Deo digna, ac proinde non aliena, ſed propria, planeque diuina vehementius appetebat, idonea vel fameſcentem Deum ſatiare, qualia nec cœleſtis menſa promere potuiſſet. Sicut enim ſi Deum eſurire contingeret, non niſi propriâ ſaturaretur eſſentiâ; ita Deus homo fameſcens, non agninâ, ſed propriâ, adeoque diuinâ ſaginari appetebat. Huc vſque Polypum noſtrum myſticum fameſcentem vidimus, nunc corpus ſuum edentem admiremur.

2. Nemo Catholicus inficiabitur Chriſtum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, in pane vinoque, omnibus abſolutum numeris obtuliſſe ſacrificium, ad quod non ſola, victimæ ſufficit oblatio, ſed inſuper exigitur illius immolatio & deſtructio. Sic enim Gen. 22. videmus Abraham ſeſe ad vnigeniti mactationem accingentem, altare extruxiſſe, deſuper ligna compoſuiſſe, filium alligaſſe, ſuper ſtruem lignorum in altari collocaſſe, gladium accepiſſe, manum extendiſſe vt immolaret, quia tamen ei ſola victimæ mactatio ac deſtructio defuit, idcirco nec propriè ſacrificauit. Vnde ſtatim additur: *Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus; quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio,* Quem Deus immolare iuſſerat; ac proinde ſolâ victimæ conſumptione verum ſacrificium con-

ſummatur. Equidem ſi ſacrificij finem attendas, videlicet ſupremi Dei in nos dominij, noſtræque ſeruitutis, ſtatim inferes, rem ſupremo Domino oblatã ita in cultum illius debere cedere, vt in nullum deinceps vſum cedere poſſit; quod ſolâ victimæ conſumptione contingit. Proinde cum in Euchariſtico ſacrificio ritu Melchiſedecis inſtituto, corpus & ſanguis Domini, quatenus panis & vini ſymbolis inuoluuntur, habeant rationem victimæ, ſequitur ſub eâ ratione à ſummo Sacerdote debuiſſe deſtrui, ac proinde manducari, ne mutilum foret tam illuſtre & auguſtum nouæ legis ſacrificium. Hinc Partes Concilij Toletani 12. vti refertur c. relatum de conſecr. diſt. 2. definientes Sacerdotem celebrantem teneri communicare, hanc ſui decreti rationem proferunt: *Quale eſt ſacrificium illud, cuius nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcatur?* Satis innuentes nobiliori ſui parte fore mutilum, niſi ab ipſo ſacrificante victima conſumeretur. Chriſtus igitur in Euchariſticâ cœnâ ſemetipſum ritu incruento immolans, victimæ conſumptione ſacrificium impleuit, ac proinde proprium corpus comedit, ipſe conuiua & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur, vt loquitur Hieronymus ep. 150. ad Hedibiam. Enim vero ſummopere congruebat, vt qui diſcipulos ad humanę carnis eſum, humanique ſanguinis potum inuitabat, primus ipſe comederet & biberet, vt ſic horrorem omnem adimeret, quem eſus huiuſmodi, potuſque eorum animis incutere potuiſſet. quippe primâ fronte videtur horribilius carnem humanam edere, quàm perimere, & ſanguinem humanum bibere, quam fundere, quod his verbis eleganter expreſſit Chryſoſt. ho. 83. in Math. *Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis illis verbis dicerent:*

quid


quid? ergo ſanguinem bibimus, & carnem comedimus? & perturbarentur. Ne igitur hoc accideret, primus ipſe hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret. Idem voluit, ni fallor, Author ſer. in cœnâ Domini, dum Chriſtum pincernam appellat: *Nobis*, inquit, *pro quibus ſanguis Chriſti oblatus eſt, ipſe Chriſtus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit vt non tantum exterius hoc ſanguine liniremur, ſed & interius aſperſione omnipotenti anima muniretur.* Pincerna enim prægustator eſt, cuius eſt de calice regio prælibare tantillũ, priuſquam eumdem regi porrigat, ne virus illi admiſceat, quem ſcit ante alios ex officio ſibi prægustandum. Proinde cùm Eccleſiæ ſuæ proceres, & populorum principes, regali Euchariſtiæ exciperet conuiuio, propinandum iis cruoris ſui calicem pincernæ more prælibauit, vt alacrius & ſecurius haurirent, quem ab ipſo prægustatum viderent. Adde prorſus inurbanum videri præſidem epuli, cæteris edentibus & bibentibus, ab eſu potuque temperare; eximia autem Chriſti ſanctitas vrbanitati minimè renuntiauerat, ac proinde, ne quid indecorum admitteret, ſimul cum Apoſtolis & corpus ſuum comedit, & ſanguinem bibit, ne quod ſuadebat eloquio, diſſuaderet exemplo. Chriſtus igitur polypo ſimilis, vtpote qui famis impatiens, vt flagrantiſſimum paſchalis epuli reſtingueret deſiderium, ſuo ſe corpore ſaginauerit.

3. Quanam verò ratione conſumptum Domini corpus, ſingulari gratiæ prodigio, non ſolùm renaſcatur, ſed inſuper augeatur, quod tertium in polypode ſuperiùs obſeruaueram, ex Angelico doctore breuiter accipe. Sic ille opuſculo 58. c.14. diſſerit: *Tertium mirabile ſignum in perceptione Dominici corporis eſt, quod dum manducatur à fidelibus, tunc*

augmentatur. Probatur, *quia dum manducatur, non ipſum vt alius cibus in manducantem conuertitur, ſed è conuerſo verè manducans in illud ſpiritaliter conuertitur, & mutatur. Nam manducantem ſe Dominus ſui corporis myſtici membrum facit, & ſibi eum incorporans cum ſuo corpore, quod de Virgine ſumpſit, quodammodo vnum efficit.* 1. Cor. *12. Vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. Rurſus, Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Auguſtinus: *Commendauit Chriſtus in hoc Sacramento corpus ſuum, quod & fecit nos ipſos, nam & nos ipſi facti ſumus corpus eius. Caro etiam noſtra carni eius vnita & incorporata, vnum cum illo efficitur; Oſeæ vltimo: conuertentur ſedentes in vmbrâ eius, viuent tritico,* I. *Dominici corporis Sacramento; quod Sacramentum dicitur vmbra Chriſti, quia ſe dat ipſis non in ſuâ luce, ſed in velamine, quod ſic comedentes conuertentur, quia in corpus Chriſti mutabuntur. Et ſic patet, dum multi fidelium comedunt Corpus Chriſti, & in illud ipſi mutantur, & membra eius efficiuntur, quod corpus Chriſti, dum manducatur, augmentatur.* Habes itaque in polypo eximiũ Chriſti ſymbolum, qui Euchariſtici paſchatis edendi deſiderio æſtuans *proprio ſe corpore pauit.*



EMBLEMA LXIV.
SQVILLA LVPVM MARINVM, DVM VORATVR, CORNV PERIMENS.



INgentes animos exili in corpore versat
Intercepta truci Squilla marino Lupo.
Primus ei hostilem labor est euadere rictum,
Saltibus & crebris accelerare fugam.

Spes vbi nulla datur, ſubiens crudele palatum,
Serratâ capitis, viſcera rumpit, acu.
Victrix præda ſuo ſic de prædone triumphat;
Non perit, hoſte prius quæ pereunte perit.

APODOSIS.

CArne Redemporis concluſâ limite puncti
Quid minus? in minimis vis quoque ſumma latet.
Iuſtitiæ vltricis non euitabile acumen
Exerit infenſis exitiale Lupis.
Rumpit inhumani crudelia viſcera Iudæ,
Sacrilegamque animam vindice figit acu.
Non altrrx ſolet eſſe lupi, ſed criminis vltrix;
Si lupus, abſtineas, cuſpide ne pereas.
Hic cibus electis virtus, viruſque ſceleſtis:
Si non altor adeſt, protinus vltor obeſt.

FONS EMBLEMATIS.

LVpus piſcis à Squillis ſuperatur, quanquam piſcium vt ita loquar, maxima vorago eſt. Igitur Squillæ marinæ, quum ſe à lupis piſcibus interceptas ſentiunt, faſtigium quod eminet à capite, quodque ſimile eſt acutiſſimo triremis roſtro, atque in ſummâ parte, ſecturas habet, modo ſerrulæ vncinatæ, hoc, inquam, animoſæ beſtiolæ cùm incuruarint, ſummâ leuitate ſaliunt, & tanquam ſaltatorium verſant orbem. Lupus ore maximè hiante, atque imminente linguâ quæ eſt pelle tenerâ & molli, ſquillam ex laſſitudine viribus defectam comprehendit, atque prandium fore arbitratur. Squilla primum in gutturis laxitate ſaltat, pòſt aculeos in miſerum venatorem defigit. Huic interiora exulcerantur, tumeſcentiaque plurimum ſanguinis mittunt; Denique ſuffocatione

lupum interficit. Ælianus l. 1. de Animal. c. 30.

INTERPRETATIO.

1. SQuilla minima ſerrato capitis aculeo immanis lupi viſcera dilanians, adorandæ Chriſti humanitatis typus eſt, quæ minimis coërcita ſpeciebus, vltricis iuſtitiæ cuſpide, ſacrilegi lupo crudelioris vitalia diſrumpit. Quod quidem proditori Iudæ contigit: qui Domini carnem à vulgari cibo minimè diſcernens, vbi eam cum ſociis de Magiſtri manu, ore ſcelerato ſuſcepit, illico fatalem diuinæ vltionis ſenſit aculeum, cuius repetitis ictibus lancinatus *crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Idem accidit huic miſeræ mulieri, cuius meminit Cyprianus lib. de lapſis, quæ idolorum polluta ſacrificiis, cùm præſumpſiſſet Sacramentum ore & pectore ſacrilego ſuſcipere, ipſa ſui carnifex doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit, & vt elegantibus vtar Cypryani verbis, *non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia, inter fauces & pectus ſanguinem admittens, angi & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit, & preſſuram non iam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ fefellerat hominem,* Deum *ſenſit vltorem.* Nimirum lupinâ voracitate myſticam diuinæ carnis ſquillam abſorbuerat, cuius ſecreto lacerata aculeo, lamentabili exitu periit. Adeo vera eſt formidabilis illa Pauli ſententia: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus* Domini. Quid eſt iudicium bibit? quod bibitur, facile & breuiſſimo tempore ab ore in ſtomachum traiicitur, citius adhuc, & eodem fere admiſſi ſacrilegij momento

diuini furoris cuſpidem ſentit impius, & ſæuientis intus iudicis præſentiam non ſuſtinens, ſuiipſius tortor eſt, & ſacrilegij vindex. Sic teſte Cypriano ſer. de cœna Domini *vbi Iudæ proditoris ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit, parricidialis animus vim ranti Sacramenti non ſuſtinens præceps cucutrit ad deſperationem & laqueum.* videlicet ſimul cum Sacramento iudicium ſuum, capitalemque ſententiam exceperat, & totum iuſtitiæ ſeuerioris apparatum, mille conſcientiæ teſtes, intolerandam ſyndæreſeos quæſtionem, Chriſtum iudicem, ſathanam tortorem; ſiquidem poſt buccellam introiuit in eum ſathanas, vtique iudicem ſequutus, & lethalem ſententiam executurus. Iudicium ergo ſuum bibit ſacrilegus, vinum damnatorum haurit, fel draconum, meium Gomorrhæ, denique ſulphureos ardẽtis ſtagni latices prælibat: *Ignis & ſulphur pars calicis eius.*


2. Squilla voracis lupi faucibus concluſa ſerratum cornu exerit pluribus aculeis inſigne: triſulcus eſt Dominicæ carnis aculeus, quo ſacrilegis triplicem plagam ſimul infligit, immò & triplicem mortem infert. Tres lethiferas huius aculei cuſpides 1. Corinth. 11. his verbis deſcribit Apoſtolus: primam quâ mors corporis infertur: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, 1. in pœnam indignæ communionis immaturâ & ſubitaneâ morte rapiuntur. Secundam quâ mors infertur animæ, *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini* id eſt atrociſſimi ſceleris animæ exitialis. Tertiam denique qua mors infertur æterna: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit:* Hoc eſt iudicij rigorem, ſententiam irreuocabilem, & illius ſequelas, gehennam cruciatumque

interminabilem, ac mortem proinde prægustat æternam. O nimis formidabilem squillæ nostræ mysticæ trisulcum aculeum, tantóque periculosiorem, quantò secretiorem! ô planè triplici titulo mortalem illius ictum! quisquis lupinam in se voracitatem & rabiem agnoscit, hunc cibum deglutire caueat, ne secreto transfixus aculeo suffocetur: carnem Domini vt piis vitalem, ita lethalem impiis attingere non præsumat, ne triplici cuspide saucius triplici morte moriatur: Illa siquidem est *non altrix hostis, at vltrix.*



EMBLEMA LXV.

FASTEN CVIVS IN ORE AQVA MARINA DVLCESCIT.



FAstinis ore ferunt latices dulceſcere ſalſos:
Os aqua amara ſubit, dulcis ab ore fluit.
Neſcia dulcedo maris à ſalſedine vinci,
Conficit ex ipsâ nectar amaritie.

APODOSIS.

Obrutus ærumnis, & amaro vortice raptus,
Ocyus ad Domini vulnera hiulca fuge.
Huc gemitus, lacrymasque tuas, & amara fluenta
Coniice, dulcescent mitis in ore Dei.
Nectaris in stillas mordax transibit acetum,
Salque fluens oculis lacteus imber erit.
Ambrosiæ oceanus verè est pretiosa synaxis,
Cui confusa perit cordis amarities.

FONS EMBLEMATIS.

FAsten piscis est, cuius in ore maritima aqua, salsaque mox fit dulcis. Ita Vincentius Bellouacensis l. 18. c. 54.

INTERPRETATIO.

1. QVid aliud est vita præsens, quàm mare salsum, & æstuosum, cuius amaris fluctibus plerique mortales obruuntur? Salubris admodum huius maris salsedo, veréque sapientibus sapida, qua fit vt breuis & fallax caueatur huius sæculi dulcedo, quam perpetua alterius vitæ sequitur amaritudo. Rectè siquidem dixit August. in psal. 124. *Dulcedo huius sæculi ad tempus fauces indulcat, sed in magnam postea amaritudinem conuertetur.* Quapropter Deus electorum saluti inuigilans, eorum voluptatibus amaritiem permiscet, vt fugacis mundi pertæsi ad stabiles & æternas cœli delicias aspirent, & salsis concupiscentiæ fluctibus abrepti, diuinæ torrente voluptatis ardentius inebriari desiderent. Vt enim acutè ratiocinatur Chrysost. ho. 6. ad pop. Antioch. *Si cum sint tot tristia, tot pericula, & curæ, tam libenter præsenti immo-*

ramur vitæ; si nihil horum esset, & omnis ærumnæ expers esset vita nostra, quando vnquam futura desideraremus? Dubio procul si præsentis vitæ delectationibus nullæ diuinitus admiscerentur amaritudines, nullus ad æternas hiaret dulcedines; quandoquidem vel multâ salsedine temperatæ, ita plerisque insipientibus videantur sapidæ, vt præ illis cœlestes deliciæ prorsus appareant insipidæ. Hinc August. ser. 111. de tempore exclamat *O infelicitas generis humani! amarus est mundus & diligitur; putas si dulcis esset, qualiter amaretur? turbatur mundus, & amatur mundus: quid si tranquillus esset mundus? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non reuocas manum?* Sapienti proinde consilio Deus electos suos amaris ærumnarum vndis inuolui sinit, vt gustatâ sæculi huius salsedine, ad immortales gloriæ delicias anhelent.

2. Attamen ne tot inter ærumnarum procellas, tot lacrymarum fluctus, amarissimo gurgite prorsus absorberentur, Eucharistiæ Sacramentum instituit, in quo spiritalis dulcedo velut in suo fonte degutatur; & suauissimam vnigeniti Saluatoris nostri humanitatem, quasi mysticum fastinem obtulit, cuius in ore, cuius in hiulcis cicatricibus omnis lacrymarum salsedo, omnis ærumnarum amaror dulcesceret; cuius tanta sit, tamque ineffabilis dulcedo, vt amarissimis mœroris, fletuum ac gemituum fluctibus in eam exoneratis, nectareus eius sapor non dico mutari, sed nequidem remitti possit. Audiendus Cyprianus ser de cœnâ Domini: *Panis iste Angelorum omne delectamentum habens, virtute mirificâ, omnibus qui dignè & deuotè sumunt, secundum suum desiderium sapit, & amplius quàm manna illud eremi implet, & satiat eden-*

tium appetitus, & omnium carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his qui Chriſti commemorant paſſionem, intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur, quantam ſuauitatem animæ inquirenti vbi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procelloſæ tempeſtates deponunt, ros matutinus eſt de cœleſtibus ſtillans, & quaſi vnctio ſpiritus mentem deliniens. Quid opportunius? Quis non miretur ingenitam diuinæ humanitatis ſuauitatem, qua fit vt anima propemodum ærumnis & miſeriis obruta, ſuper omnes delicias, lacrymis nectareis delectetur, quaſi mœroris amarities in ambroſiam tranſierit; contrà verò omnis carnalium delectationum ſapor, in acutæ mordacitatis acetum conuerſus fuerit. Vnde hæc tam ſubitanea ſalſedinis in dulcedinem mutatio, niſi ex ineffabili menſæ Euchariſticæ ſuauitate? Id quidem probè nouerat Auguſtinus, vnde c. 9. Manualis his Dominum verbis alloquitur: *Inter querelas nimioſque ploratus, ac profunda mœroris ſuſpiria, aſſumis mœſtam & anxiam mentem ſuper alta iuga montium, vſque ad areolas aromatum, & collocas me in loco paſcuæ, ſecus riuulos aquarum dulcium, vbi præparas in conſpectu meo menſam multiplicis apparatus, quæ fatigatum ſpiritum repauſet, & cor triſte lætificet, quibus tandem refocillatus deliciis, miſeriarum oblitus mearum, ſuper altitudinem cœli de te in te verâ pace quieſcam.* Vbi per locum paſcuæ ſine dubio altare intelligit, & per multiplicis apparatus menſam, Euchariſtiam ſacramque communionem, vt cuius omnes carnales deliciæ ſenſim amareſcunt, & omnes ærumnarum amaritudines illicò dulceſcũt.


3. Propterea Soliloq. c. 22. ipſemet, aut quiuis huius libri author ſic Deum alloquitur: *Omnia mihi peto vt amareſcant, vt tu ſolus Domine dulcis appareas animæ meæ; qui es dulcedo inæſtimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides dulcorauit; tua dulcedo craticulam Laurentio dulcem fecit.* & infrà. *Hanc vt guſtauit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamauit quaſi ebrius, dicens: Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Vnam ſtillam dulcedinis iſte guſtauit, & omnem aliam dulcedinem faſtidiuit. Quid putas dixiſſet, ſi magnam illam & multiplicem diuinitatis tuæ dulcedinem guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te?* Quænam illa dulcedo nobis in Sacramento abſconditâ? illa vtique felicitas qua fruuntur beati in cœlo, iis aperta eſt, nobis operta; vti obique ab ore Chriſti profluit hæc ineffabilis dulcedo, mellis ac lactis Symbolis Cant. 4. expreſſa: *Mel & lac ſub linguâ tuâ* cum hoc duntaxat diſcrimine, quòd in cœlo ſuper linguam Saluatoris apertè ſtillat, at in Sacramento ſub eiuſdem linguâ deliteſcit, vt huic coniuncta huius vitæ amaritudo dulceſcat. Sic exponit D. Thomas opuſc. 58. *Hæc dulcedo ſpiritualis eſt quædam prægustatio gaudij cœleſtis, valens contra tria mala quæ ſunt in mundo, vbi eſt falſa dulcedo in delectabilibus vtendis, magna amaritudo in aduerſis ſuſtinendis, triſtis imago in bonis faciendis.* Ac proinde in myſtici faſtinis ore omnis amaritudo melle & lacte dulcior eſt. O quiſquis amaro lacrymarum torrente abriperis, ad ſuauiſſimum Euchariſtiæ fontem confuge, fletus tuos in os myſtici noſtri faſtinis coniice, dulceſcent, mihi crede in iſtâ totius dulcedinis ſcaturigine, & conuerſis in ambroſios latices lacrymis, ſu-

per omnes mundi delicias delectaberis. Rectè ſiquidem dixit S. Auguſt. ſer. de S. Magdalena: *Qui ad conuiuium venerit Creatoris, habebit in deliciis ſuis, quidquid continet creatura.* In hoc conuiuio tua ſalſedo vertetur in dulcedinem, quoniam *in hoc omnis dulceſcit amaror.*



EMBLEMA LXVI.

PISCIS METENSIS PISCATORI MAXIMVM TREMOREM INCVTIENS.



Piscis inops squamis, nec formidabilis vllis
Viribus haud capitur ni trepidante manu.
Piscatoris enim vix hamum dente prehendit;
Quum subitò horribili membra tremore quatit.

APODOSIS.

Cælesti quid amabilius, vel mitius Agno?
Vnde igitur sanctis ima per ossa tremor?
Maiestas immensa Dei, Triadosque latentis
Gloria mortales exanimare potest.
Pabula patris amant, ad spicula iudicis horrent;
Cor tremulum reddit mixtus amore timor.

FONS EMBLEMATIS.

IN fluuio Meta,& aliis Venecuelæ piscis est inops squamis anguillæ formâ; hic cùm mordet hamum, arcanâ qualitate trepidare piscatorem facit, vt arundinem sustinere nequeat: idem aliis accidit, si velint illam sustenta. Si piscator in equo sit, eidem animali tremor; dimissâ arundidine, omnes tuti & sani. Nihilominus piscis innoxius est stomacho, gratus palato. Nieremberg. l. 11. c. 23.

INTERPRETATIO.

1. NOn recenter excogitata, sed ex veterum Ecclesiæ Patrum fontibus petita est Saluatoris cum pisce comparatio. Tertullianus eniml. de bapt. c. 1. Christumpisci, Christianos pisciculis in aquâ nascentibus assimilat his verbis: *Sed nos pisciculi; secundum* Ιχθῦν *nostrum Iesum Christum in aquâ nascimur.* Quem secutus Optatus Afer l. 3. aduersus Parmenianum, de Christo sic loquitur: *Hic est piscis qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocetur. Cuius piscis nomen secundùm appellationem græcam in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet* ἰχθὺς, *quod est Latiné Iesus*

Christus Dei filius Saluator. Eadem ferè ſcribit S. P. Aug. l. 18. de ciuit. c. 23. ſed rationem iſtius parallelli adiungit, quòd in huius vitæ mortalis oceano viuus, id eſt, à quolibet peccato immunis natus ſit: *Horum*, inquit, *Græcorum quinque verborum quæ ſunt*, Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, *quod eſt Latinè Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator, ſi primas literas iungas, erit* ἰχθὺς, *id eſt, piſcis, in quo nomine myſticè intelligitur Chriſtus, eo quòd in huius mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate viuus, hoc eſt, ſine peccato eſſe potuerit.* Quam verò iſta piſcis ſimilitudo cum Euchariſtiæ Sacramento connexionem habeat, ſatis idem Auguſtinus inſinuauit tract. 123. in Ioan. quum de prandio illo diſſerens quod Dominus rediuiuus ſeptem diſcipulis fecit porrigens iis panem, vt opinor, à ſe conſecratum, & piſcem aſſum., ait: *Piſcis aſſus, Chriſtus eſt paſſus; ipſe eſt & panis viuus qui de cœlo deſcendit: huic incorporatur Eccleſia ad participandam beatitudinem*, vtique virtute ſacræ communionis corporis Domini, quod ſub ſpecie panis, de manu Magiſtri, diſcipuli ſimul cum piſce aſſo ſuſceperunt. huc alluſit Proſper de prædict. p. 2. c. 39. vbi prandio illo Diſcipulis in littore maris inſtructo diſſerens, ait: *Satians ex ſeipſo in littore Diſcipulos, & toti ſe offerens mundo* ἰχθῦν nec enim eos ſatiare in littore ſeipſo potuit, niſi Panem quem iis porrexit cum piſce, corpus ſuum antea feciſſet. Propterea ſubdit: *Namque Latinè piſcem ſacris literis maiores noſtri hoc interpretati ſunt ex ſibyllinis verſibus colligentes quod eſt, Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator, piſcis in ſuâ paſſione decoctus, cuius interioribus remediis quotidie illuminamur & paſcimur.* Reſpicit ad piſcem quo paſtus eſt Tobias iunior, & cuius felle illuminatus eſt
Tobias

Tobias ſenior ; quas virtutes in piſce noſtro Euchariſtico deprehendere facile eſt, cum interioribus illius remediis fideles paſcantur & illuminentur.

2. Chriſtus igitur in Sacramento piſcis viuus, at capienti ſe, non ſecus ac Piſcatori Piſcis Menſis, arcanâ maieſtate ſummum tremorem incutit. Quis enim fidei oculo Sacramentalibus velis inuolutam intuens glorioſam ipſius humanitatem, & in humanitate diuinitatem, & totam in diuinitate Trinitatem quam adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cuius ad aſpectum columnæ cœli pauent & contremiſcunt, non ingenti timore concutiatur? Quis ad tremendam Euchariſtiam intrepidus accedat, quam Dionyſius Areopagita l. de Eccleſiaſ. hierar. c. 3. vocat *omnium Sacramentorum conſummationem, diuiniſſimum & Sacroſanctum Sacramentum, Sacroſancta & auguſtiſſima myſteria*? Quis non exhorreſcat ad illius Sacramenti conſpectum, quod S. Chryſoſt. l. 3. de Sacerdotio emphaticè nominat, *myſterium omnium maximè horrendum, verendumque*? Quis ſubditus de læſâ regis maieſtate ſibi conſcius, de veniâ ſui criminis incertus & dubius, ſine tremore menſæ regali præſumeret accumbere? Atqui læſæ Dei maieſtatis rei ſumus omnes, vtpote ſcelerum admiſſorum probè conſcij, de veniâ & indnlgentiâ dubij, nullus enim ſcit vtrum odio vel amore dignus ſit: qua fronte igitur omni metu depoſito non regiæ ſed diuinæ menſæ accumbemus? Siquidem S. Martialis epiſt. ad Burdigal. c. 3. Euchariſtiam appellat, *Communionem Dei viui, menſam diuinam*. Quid ergo ipſæ ſupernæ poteſtates, ipſi cœlites, ante Dei Thronum non ſine quodam tremore ſtant admiran-

tes incomprehensibilem eius gloriam, & ita supremæ eius maiestati adhærent, vt etiam possibilem, spectatâ suæ naturæ conditione, separationem reformident, & vt vtar verbis Gregor. l. 17. mor. c. 15. *Ipsæ virtutes cœlestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsâ contemplatione contremiscunt*: Homo verò puluis & cinis, putredo & vermis, vas stercorum, esca vermium, peccatis oneratus, mole carnis infirmæ aggrauatus, carnalibus desideriis incensus, multis erroribus implicitus, mille periculis expositus, ad omnia vitia pronus, ante Dei absconditi terrificam maiestatem totis artubus non inhorresceret? Maximè vbi fulmineam audit Apostoli sententiam 1. Cor. 11. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* & rursus. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat.* Cùm nihil sit ad terrorem incutiendum aptius & potentius ipsâ iudicis præsentiâ, & extremi iudicij memoriâ.

3. Proderit verò plurimum ad hunc salutiferum timorem concipiendum, eorum quæ in adorabili Sacramento delitescunt, alta & profunda consideratio. Nimirum mens erigenda est supra cœlestes exercitus, Angelorum choros, Archangelorum præsulatus, gloriam Dominationum, sedes Thronorum, Virtutes, Principatus, Potestates, vt iis infinitè supereminentem diuinitatem Christi intueamur, simplicem, immutabilem, æternam, inscrutabile perfectionum pelagus, potentiam eius ineffabilem, sapientiam admirabilem, magnitudinem incircumscriptam, gloriam superemicantem, bonitatem desiderabilem, lucem inaccessibilem, sanctitatem immensam, pulchritudinem in-

enarrabilem, iuſtitiam formidabilem; hæc enim incomprehenſibilis Diuinitatis in Chriſto inhabitantis maieſtas, auguſta myſteria ſuſcipientibus ingentem apta eſt terrorem iucutere, dummodo fidei oculo præſens apprehendatur. Deinde verò ſi ab iſtâ ſublimi ſecretæ Diuinitatis contemplatione, mentis aciem in glorioſam Domini humanitatem intendamus, quatuor gloriæ dotibus illuſtrem, ſplendidis radiantem cicatricibus, ac meridiano ſole micantiorem, qualis in extremi iudicij die pro tribunali, ſedebit ſuper nubes fulgureas, incredibili maieſtate circumcincta, nationes omnes irreuocabili ſententiâ iudicatura, confeſtim inexorabilis iudicis aſpectu ſtupefacti ſummo terrore percellemur. Vult autem noſter ἰχθῦς vt hæc ipſa ſeriò conſideremus, antequam ipſum capiamus, vult nos tum Diuinitatis, tum humanitatis ſuæ præſentiâ plenum venerationis horrorem erga ſanctiſſimum Sacramentum concipere, ac proinde *non amat abſque tremore capi.*



EMBLEMA LXVII.

TIBVRO SVFFIXÆ CARNIS DESIDERIO E COENO SVRSVM SALIENS.



La chair fait qu'auec violence
De la boüe au ciel il s'élance.

SVffixæ Tiburo pellectus carnis odore,
E fundo oceani tollit ad astra caput.
Altius assurgit, quantò sublimior esca est:
De cœno in cœlum, carnis amore, salit.

APODOSIS.

Sorde voluptatum, turpique libidine mersos
Carnis odore suæ Christus ad astra rapit.
Esca quidem præcelsa, Patris quam dextera summi
Porrigit, & cœli possidet altus apex.
Inclinanda fuit, nimium quia dissita terris;
Inclinauit, vt hac perfruereris, amor.
Sedibus æthereis humiles descendit in aras,
Fortior vt nares impleat eius odor.
Tantillum è cœno mersum caput erige in aram,
Immortalis vbi pendet in ora cibus.
Hunc rape, de cœno poterit te reddere cœlo:
Limo extraxit odor, sed dabit astra sapor.

FONS EMBLEMATIS.

TIburonum admirandorum, inquit Acosta, satietas nos nunquam capere potuit. Spectaculum quoddam iucundum visuri per otium, quartam occisæ Gruis partem supra lacum proximum in mare affluentem, suffixam appendebamus: quo facto, dicto citius, odoris vi illectus tiburo aliquis adnatauit. Ergo vt ex diuturnitate spectaculi gratia maior esset, curatum erat vt esca altius attolleretur. Nihilominus tandem tiburo vno momento illicò prædam nactus erat, in sublime tantâ facilitate sese surrigens, vt prope aduolitasse videretur.

INTERPRETATIO.

1. PVlchrè August. in Ps. 64. *Mare*, inquit, *in figurâ dicitur sæculum hoc, salsedine amarum, procellis turbulentum, vbi homines cupiditatibus peruersis & prauis facti sunt velut pisces se inuicem deuoran-*

tes. *Attendite mare malum, mare amarum, fluctibus sæuum; attendite qualibus hominibus plenum sit. Quis optat hæreditatem nisi morte alterius? quis optat lucrum, nisi damno alterius? quam multi aliorum defectione cupiunt sublimari! quam multi vt emant, optant alios vendere res suas! quomodo se inuicem opprimunt, & qui possunt deuorant! & cum deuorauerit vnus piscis maior minorem, deuoratur à maiori. O piscis male, prædam vis de paruo, præda efficieris magno.* In huius ergo sæculi procelloso æquore homines veluti pisces vagantur, alij, vt Vranoscopi, summa tenentes iugiter in cœlum figunt intuitum; alij, vt Tiburones, oræ maritimæ cœno profundius immersi eiectis ad littus cadaueribus vescuntur, & hi luxuriæ deditos ad viuum exprimunt, qui voluptatum carnalium limo sese volutantes cœlestia prorsus aspernantur. Porrò quàm arduum & difficile sit luxuriæ luto submersum animum erigere satis indicant SS. Patres, dum istud opus vt singularis gratiæ prodigium admirantur. Hinc Lactantius l. 6. institut. c. 23. ait: *Mens inquinata contagione impudici corporis non potest, nisi & longo tempore, & multis bonis operibus, & colluuione quæ inhæserit, purgari.* Rationem adfert sanctus Ambrosius in c. 4. Luc. his verbis: *Etenim quasi clauis suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit, sine Dei fauore, reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & sæcularium deliciarum illecebris obnoxia iam tenetur.* Videlicet ipso momento temporis quo ad carnalis voluptatis extremum peruenitur, penè omnis acies mentis obtunditur, omnis rationis lux extinguitur, & anima tota quasi fit carna-

lis, & ſpiritalium rerum incapax, maximè ſpiritalis Domini carnis eſu indigna. Vnde inter eos qui ad cœnam Euchariſticam vocati fuerant; cum alij ſeſe comiter & vrbanè excuſaſſent, ſolus impudicus ad impoſſibilitatem recurrens, ait: *Non poſſum venire*, quòd homo carnalium illecebrarum cœno immerſus, ad agenda diuina ſit prorſus ineptus. Sicut enim conſtanti caſtimoniæ ſtudio, caro noſtra fere fit ſpiritalis & angelica, ac proinde Dominicæ ſimilliſſima; ita caro luxuriè polluta tota fit brutalis, ac diuina communione prorſus indigna, vtpote ſpiritali.

2. Enimuerò Tiburo cœno profundius immerſus, aſſatæ carnis nidore ſurſum effertur, adeo vt illi cœlum pro cœno det carnis amor, ita Chriſtianus nuſquam è volutabro libidinis emerget, niſi dominicæ carnis fragrantiâ pertrahatur. Eapropter Chriſtus populum quem in vaſtâ ſolitudine paucis panibus exaturauerat, à terrenis ad cœleſtia transferens, ſtatim de ſuæ carnis omnino cœleſtis eſu ſermonem intulit, Ioan. 6. proteſtans eam eſſe panem de cœlo deſcendentem, vt carnalibus deliciis inhianti cœleſtium amorem inſpiraret; quod ad animos è cœno in cœlum euehendos, nullum, ſuæ carnis alimoniâ, potentius occurreret illicium. Quod eleganter ediſſerit Clemens Alexand. 2. pædag. c. 1. *Res eſt ergo præclara*, inquit, *& maximè expetenda, id quod verum eſt, ſuſpicientes ſupernum alimentum perſequi, & eius quod verè eſt, inexplebili ex ſpectaculo impleri firmâ, ſtabili, & pura voluptate fruente. Hanc autem charitatem oportere nos ſuſcipere oſtendit cibus Chriſti. Eſt enim valde à ratione alienum, & inutile, & nequa-*

quam humanum, pecudum more pinguefactum morti nutriri. Nimirum qui terrenis voluptatibus ſuillo more ſaginantur, morti nutriuntur miſerabiles æternæ mortis hoſtiæ: at qui ſpiritali Domini carne pinguefiunt, vitæ nutriuntur immortali, vtpote pharmaco immortalitatis præmuniti. Finge itaque tibi ſacrum altare, quaſi ſcopulum, vel rupem, vndique procelloſo ſæculi verberatam æquore, in quo tiburonum inſtar impudici homines ſeſe venereis ſordibus infarciunt; in hac rupe carnem ſuam omnino cœleſtem extulit Saluator, vt mortales cœno conuolutos ſurſum eueheret, quatenus illius non ſpectaculo duntaxat, ſed inexplebili deſiderio, immò etiam eſu ita ſatiarentur, vt impoſterum ad terrena nauſearent.

3. Quod quidem exemplo ſuo comprobauit peccatrix illa mulier, luxu ſpurcitiiſque famoſa, quæ importuna Phariſæi conuiuio, opportuna cœleſtis medici beneficio, ſeſe ad Domini pedes abiecit, vt ſacratiſſimæ carnis contactu à luxuriæ ſordibus emundaretur, cui nouerat caſtificam ineſſe virtutem, & ſuaue aduerſus libidinis ardorem refrigerium. Hinc *ſtans retro ſecus pedes Domini lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius.* Nec repulit illam puriſſimus alioquin Dominus, quòd intelligeret in ſuæ carnis contactu veram morbi, quo laborabat, latere medicinam, nec ardorem concupiſcentiæ, quo medullitus abſumpta fuerat, aliter, quam virginali ſui corporis vmbrâ poſſe temperari. Audiendus Chryſoſt. ho. 61. in Ioan. *Sed ab illâ cur ſe tangi permiſit? vt eius mundaret malitiam, & cle-*

mentiam ostenderet, vt intelligas nullum morbum eius vincere bonitatem. Diuinam carnem pia pœnitens, quam nondum ore mandere & pectore recondere licebat, repetitis prælibabat osculis, admotis exugebat labiis, auidâ linguâ lambebat, & vt ad Eucharisticum iam tunc sese disponeret epulum, quo Dominicæ carnis esu in virginem erat transmutanda, pœnitentiæ conuiuium alterius præambulum opportunè præmittebat. *Venit*, inquit, S. Chrysol. ser. 93. *pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium: denique & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensurâ, & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam, organi planctus dat clamorem, cytharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpe percutit, facit placitura Deo cymbala personare; dumque taliter aptat diuinis oculis cibos, totas misericordiæ copias reportat.* Sanè dum miseram hanc peccatricem ad Domini sublimi thoro discumbentis pedes assurgentem intueor, vt virgineæ contactu carnis emaculetur, mihi videre videor tiburonem præ carnis suffixæ desiderio sursum salientem. O quisquis peccantem sequutus es, imitare pœnitentem, ad Domini carnem Augustis in aris elatam, è cœno libidinis assurge, si solus illius tactus Magdalenam ad totum sanctitatis euexit verticem, quid in te non operabitur illius esus? Dubio procul de peccatore pœnitentem, de terreno cœlestem, de pecuino angelicum, de lutulento pisce; nitidum efficiet volucrem: quippe *cœlum pro cœno dat carnis amor.*

EMBLEMA LXVIII.

ECHENEIS NAVEM VENTIS IMPVLSAM SISTENS.



En Remora abreptum ventorum turbine nauem
Sistit, in æquoreis anchora firma vadis.
Frustra obluctetur Boreas stridentibus alis,
Plenisque impellat turgida vela genis.

Quam non mille queant nautæ, nec mille rudentes,
Parua potest fixam concha tenere ratem.

APODOSIS.

Admiranda latet diuino in corpore virtus,
Et cohibere animas, & religare potens.
Quot miseros iuuenes vitiorum turbine raptos.
Fixit, & in tumidis stare coëgit aquis!
Quot vindictæ auidos fraternâ à cæde retraxit,
Mirificus vitæ liberioris obex!
Plurima quam nauis fortunæ impulsa secundo
Flamine, naufragium flebile passa foret!
Carnis adorandæ nisi concha tenaciter hærens,
Currentem in scopulos vi remorata foret.
Hac vtinam remorâ, carnis fracto impete figar!
Mens bene fixa, poli regna beata petat.
Qui potuit medio vitiorum in tramite sisti,
Per virtutis iter cursitat, immo volat.

FONS EMBLEMATIS.

QVid violentius mari, inquit Plinius l. 32. c. 1. ventisue & turbinibus & procellis? Quo maiore hominum ingenio in vllâ sui parte adiuta est natura, quàm velis remisque? Addatur his & reciproci æstus inenarrabilis vis, versumque totum mare in flumen; tamen omnia hæc pariterque eôdem impellentia, vnus ac paruus admodum pisciculus, Echeneis appellatus in se tenet. Ruant venti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare nauigia, quod non vincula vlla, non anchoræ irreuocabili pondere iactæ. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem, nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quam adhærendo. Hæc tantilla est satis con-

tra tot impetus, vt vetet ire nauigia. Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana! cum rostra illa ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere deuincta pisciculus. Fertur Actiaco marte tenuisse prætoriam nauem Antonij: tenuit & nostrâ memoriâ Caij principis ab Astura Antium remigantis, vt res est etiam auspicalis pisciculus: Siquidem tum in Vrbem reuersus ille Imperator suis telis confossus est. Qui tunc posteaque videre, eum limaci magnæ similem esse dicunt. *Idem l. 9. c. 25. scribit* & amores & lites remorari, partusque continere ad puerperium. huius pisciculi meminit Ouidius:

Parua Echeneis adest, mirum! mora puppibus ingens.

De ea eleganter Cassiodorus l. 1. Variarum: *Meatus nauium Echeneidis morsus inter vndas liquidas alligauit; aut Indici maris conchæ simili potentiâ labris suis nauium dorsa fixerunt, quarum quietus tactus plus dicitur retinere, quam exagitata possint elementa compellere. Stat pigra ratis tumentibus altè velis, & cursum non habet, cui ventus arridet: sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur.*

INTERPRETATIO.

1. REmoram, quam vidisse rarissimè contigit, immensæ in exili corpore virtutis, ventis & æstuoso mari potentiorem palàm omnium oculis exhibeo; Eucharistiam, inquam, limaci persimilem, quod Christus mysticus ἰχθὺς, quasi limax, duplici Sacramentalium specierum testâ conclusus, ibidem delitescat. An non verè remora Christi corpus, quòd nauem secundis flati-

bus impulsam stare coëgit medio in æquore, & firmius quam quiuis rudentes, aut anchorarum pondera fixit & alligauit? At audi quid de sancto Birino Dorcestriensi Episcopo, circa annum Domini 625. ab Honorio Papa in Britanniam ad prædicandum Euangelium misso referat Surius: *Cum*, inquit, *haberet pallam sibi ab Honorio datam, super quam Deo immaculatam hostiam offerebat, in eâque pallâ corpus* Dominicum *inuolutum suspensum ad collum secum semper deferre, & in sacrificio Missæ super altare sanctum reponere soleret: ad littus Britannici maris nauem conscensurus rem diuinam fecit, sibi suisque viaticum parans. Vrgente autem nauigandi opportunitate, ad nauem festinans conscendit. In alto tandem cùm nauigaret, sacratissimum viaticum se ad littus reliquisse reminiscitur: Hinc viuâ fide munitus in mare descendit, & ad littus perueniens quod reliquerat recepit; ad nauem deinde reuertitur, eamque diuino iussu immobilem reperiens, iterum conscendit, nullâ penitus aquæ guttâ in eius vestibus inuentâ.* Ita Surius die 3. Decembris. Quid autem nauem illam medio in mari detinuit immobilem nisi Eucharistica Echeneis, ad quam arcanâ virtute fundandam figendamque, nequidem opus fuit instar remoræ eidem adhærere. Huic literali expositioni moralem adnecto.

2. Quiuis Christianus nauis est in huius sæculi procelloso mari velificans, inter tentationum procellas, inter Dæmonum turbines, ad cœlestis patriæ portum aspirans. Verum sæpius ita violentis tempestatibus longius à portu in syrtes, & saxa latentia, flante vehementius Inferni aquilone, impellitur, vt naufragium patiatur & fortunarum omnium iacturam faciat, nisi

Deus abſconditus vti remora currentem in vitiorum ſcopulos arcanâ ſui corporis vi retineat, & in medio curſu irreuocabili ſuæ carnis pondere figat. Si flante proſperæ fortunæ zephyro, nimio faſtu vela tumeant, illa confeſtim comprimet Numinis in Sacramento exinaniti incomprehenſibilis humilitas, neue ſuperbiæ ſcopulo allidatur, obſtabit. Si concupiſcentiæ turbine ad illicitas voluptates abripiatur; virgineæ carnis adhæſione, melius quàm echeneide carnis furentis cohibebitur impetus. Si fremente vindictæ noto in cædes & homicidia præceps feratur, agninæ carnis attactu qua nihil ſuauius, nihil mitius, furor omnis & vltionis cupiditas concidet. Si ventus vrens auaritiæ ad furta rapinaſque propellat, immobilem tenebit Ieſuanæ liberalitatis & munificentiæ recordatio, qui cùm diues eſſet propter nos exhauſtis omnibus theſauris egenus factus eſt, vt nos eius inopiâ locupletaremur. Denique nullius vitij turbine, nullius tentationis procella ita violenter impelli concutiue poteſt, qnin in Sacramento potentiſſimam nanciſcatur Echeneidem, cuius vi ſecretâ, mediis in fluctibus immota perſiſtat. *Sedat enim*, inquit Cyrillus Alex. l. 4. in Ioan. c. 17. *quum in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat.*

3. Equidem ſi vel ſola perceptæ ſacræ communionis recordatio potentiſſimum ſit omnium cupiditatum frænum, vt aſſerit ſanctus Chryſoſt. ho. 61. ad pop. Antioch. his verbis: *Cum nos ab*

irâ corripi viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus quibus facti ſumus digni, & ſit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio. Quot mirabiles in nobis effectus operabitur ipſa realis Dominici corporis cum noſtro vnio, ipſa ſacroſanctæ humanitaris adhæſio, & intimus arcanæ Diuinitatis noſtras in animas illapſus? O quot Chriſtianos ad laqueum feſtinantes, ac de ſalute deſperantes Euchariſtica Echeneis remorata eſt! quot iuuenes ætatis ardore in omnia flagitia ruentes cohibuit, & in religioſo ſtatu ſtabiles & inconcuſſos reddidit! nimirum teſte Bernardo ſer. de baptiſmo in cœna Domini habito: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum.* Mox vt Euchariſticæ Encheneidi turbulentorum appetituum tranquillitatem attribuat, ſubiungit. *Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Poſſem id innumeris confirmare exemplis, ſed vnicum proferam in quo magis Echeneidis munere functa viſa eſt Euchariſtia. Ibat Eliſabethæ Luſitaniæ reginæ deuotus aſſecla, inſcius licet, ad mortem ineuitabilem, à rege zelotypo, fornaci in pabulum iniquâ ſententiâ deſtinatus; in viâ ſignum eleuationis ſanctiſſimi Sacramenti percipit, templum ingreditur, Miſſam audit, aliaſque ſequentes. Interim alter calumniator aſſecla paratum innoxio comiti ſupplicium luit, viuuſque in ardentem fornacem coniicitur. Quid deuotum il-

lum iuuenem in certiſſimum exitium currentem detinuit niſi Euchariſtica Echeneis? Et quid paſſionum motibus abreptas mentes in Dei gratia ſtabiles efficit, & in virtutum ſtudio ad mortem vſque perſeuerantes, niſi breui formulâ latens Domini corpus? Nempe ineſt *potens exili in corpore frænum.*



EMBLEMA

EMBLEMA LXIX.

RAIA NAVFRAGVM A MARINIS CANIBVS SERVANS, ET AD LITTVS DEFERENS.



Expugnatâ noti rabie, & victrice procellâ
Nauis vbi rapido vortice sorpta perit.
Nautarum pars magna feris inuoluitur vndis,
Pars tenet illisæ fragmina hiulca ratis.

Neue quid afflictis desit, cumulique malorum,
Æquorei arrodunt pallida membra canes.
In tanto sedenim positis discrimine vitæ,
Fert inopinatam Raia fidelis opem.
Illa canes abigit spinosæ verbere caudæ,
Fessaque subiecto corpore membra leuat.
Vitalis pietas homicidis ardet in vndis,
Subque pio sudat pondere piscis amor.
Non oneri metuit, geminat dilectio vires;
Vt fidâ miseros in statione locet.

APODOSIS.

Quum graue lethali corpus languore fatiscit,
Sorberique Erebo mens agitata timet.
Naufragio, accurrens Dominus virtute synaxis,
Eximit, & stygij comprimit ora canis.
Crescit enim pietas in mortis agone, viæque
Dux, animam proprio corpore ad astra vehit.
Nemo triumphauit, cum victor ab hoste rediret,
Pompâ adeo celebri, curriculoue pari.
Est hominis vectura Deus. securus ouansque
Ad Patriæ portum tendo, vehente Deo.

FONS EMBLEMATIS.

OLaus magnus in suâ tabulâ Septentrionali, paulò vltrà Daniæ fines, in oceano Gothico Raiam depingit, quæ hominem naufragum natantem, & præ canicularum marinarum crebris morsibus de suâ salute periclitantem naturali quodam affectu tuetur, & dorso supposito vehit ad littus. Quin & innatâ erga homines pietate, naufragorum cadauera à piscibus illæsa caudæ verbere deffendit: Quippe illis tanquam illatæ vindex iniuriæ superueniens, prædonesque suis a-

culeis abigens, magno conatu fluctuantes adiuuat, vt incolumes enatent. Si verò naufragus mari abſorbeatur, tandiu ibidem expectat, donec elapſo aliquot dierum interuallo, à mari ſeſe naturaliter purgante ſurſum feratur, vt eumdem impellat ad oram maris inhumandum. Quod & teſtatur Scaliger de ſubtilitate aduerſus Cardanum. Tabulam verò ex Olao deſumptam exhibet Geſnerus l. 4. de Aquatilibus, vbi tractat de variis Raiarum ſpeciebus, corollario primo.

INTERPRETATIO.

1. VBi primum in Olai tabellam incidit oculus, ſtatim mihi venit in mentem memorabile, planeque cedro dignum Euchariſtiæ miraculum, ab Ambroſio lib. de obitu fratris ſui Satyri circa medium, his verbis deſcriptum: *Quid igitur obſeruantiam eius circa Dei cultum prædicem? Qui priuſquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis (erat enim Catechumenus) in naufragio conſtitutus, cum ea qua veheretur nauis ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterij exiret è vitâ, quos initiatos eſſe cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum popoſcit, non vt curioſos oculos inferret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit collo, atque ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſolutâ tabulam, cui ſupernatans iuuaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat. Itaque his ſe tectum atque munitum ſatis credens, alia auxilia non deſiderauit. ſimul fortitudinem eius ſpectare licet, qui fa-*

tiſcente remigio, non quaſi naufragus tabulam ſumpſerit, ſed quaſi fortis ex ſeipſo adminiculum ſuæ virtutis aſſumpſerit. Nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio. Denique *primus ſeruatus ex vndis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, præſulem ſuum cui ſe crediderat recognouit, ſtatimque vbi etiam cæteros ſeruulos ſuos vel ipſe liberauit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amiſſa deſiderans,* Dei *Eccleſiam requiſiuit, vt ageret gratias liberatus, & myſteria æterna cognoſceret. Nam qui tantum cœleſtis myſterij inuoluti in orario præſidium fuiſſet expertus, quantum arbitrabatur ſi ore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano? quàm maius putabat fuſum in viſcera, quod tantum ſibi tectùm orario profuiſſet?*

2. Ego quidem dum fidelem hunc Catechumenum ſolius Euchariſtiæ munitum clypeo, contra procellas luctantem, & Dominico corpori, velut extremæ poſt naufragium tabulæ ſuperuectum, ad littus illius præſidio feliciter enatantem intueor, videre mihi videor Chriſtianum in extremis agentem, fatiſcente corporis nauigio inter tentationum turbines, ad cœleſtis patriæ portum multo labore tendentem, adorabilis viatici tabulæ firmiter innixum, ne tali deſtitutus ſubſidio tartari gurgite ſorbeatur; cui tantò periculoſius ſoleat eſſe naufragium, quantò in diuturnæ ſanitatis malaciâ minus præuiſum eſt, vtpote ſubitaneæ fere mortis inductum inopinatâ tempeſtate. Siquidem vt eleganter ait Tertullianus l. de anima c. 52. *Vis eſt & illa nauigiis, cum longè à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, adulante flatu, labente cur-*

ſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu cum totâ ſecuritate deſidunt: non ſecus naufragia ſunt vitæ, etiam tranquillæ mortis euentus. Nihilo refert integram abire corporis nauem, an diſſipatam, dum animæ nauigatio euertatur. Enimverò quis neſciat inſtanti morte grauiores tunc inſurgere tentationum procellas, vt inſtituta animæ ad cœleſtem patriam nauigatio præpediatur? Tunc enim vt in Apoc. 12. 12. ſcribitur, *deſcendit Diabolus habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Et turbulentis ſuggeſtionum flatibus animam ſubmergere conatur. Tunc igitur violentiores turbines, ſæuiores procellæ, turgidiores fluctus frequentiora inducunr naufragia, adeo vt in hoc procelloſo æquore velificans anima de portu aſſequendo propemodum deſperaret, niſi diſſolutâ corporis ægri compage, immortalis Chriſti corporis ſolidam arriperet tabulam, cuius præſidio ad optatam ſtationem appellat. Tunc vel inteſtino tumultuantium paſſionum perculſu ita concutitur, vt rationis gubernaculum fere deſerat, vel ſubortâ quatuor primarum qualitatum intemperie, quaſi quatuor ventorum principum ſeditione, diſſolutis membrorum tabulis, horribili mortis, Iudicij, gehennæque metu, quaſi decumano fluctu obruitur, non mediocri ſuæ ſalutis periculo, adeo vt tunc temporis non longius ab æterna morte diſtare videatur, quam nautæ ſulcantes oceanum, quos quatuor duntaxat digitis (quæ tabularum ſpiſſitudo eſt) à morte diſtare ſapienter olim cenſuit Anacharſis, apud Laërtium l. 1. c. 9. vt proinde cum eodem Anacharſi eæ ſolum naues tutæ dici poſſint, quæ in ſic-

cum protractæ, iam in tranquillâ ſtatione collocatæ ſunt; ij ſolùm ſecuri nauigantes qui ad cœleſtis Solymæ portum feliciter appulerunt, vbi nullis deinceps tempeſtatibus, nullis naufragij periculis obnoxij ſint.

3. Eapropter Auguſtinus haud neſcius quàm periculoſa ſit animæ Chriſtianæ tot inter tentationum procellas, ad cælum nauigatio, his fratres in huius ſæculi mari velificantes hortatur verbis lib. de Cantico nouo c. 2. *Aſcendamus nauim fidei ſimul & crucem, nec deſit anchora ſpes noſtræ ſalutis. Extendamus funes diuerſas virtutes, vela charitatis colligamus, inuocemus ventum proſperum verbum Dei, exhauriamus ſentinam à peccatis, per elemoſynam mundetur conſcientia noſtra; non impediatur huius noſtri curſus nauigij. Operemur manibus vt poſſumus: manibus ſuis ſentinam exhauriebat qui dicebat*: Manibus meis coram eo nocte, & non ſum deceptus. *Non negligamus noſtra peccata: minuta ſunt, ſed multa. Fluctus vnus validus irruens obruit nauem, minaturque naufragium; humor autem per rimas influens, & in ſentinam veniens, niſi ſubinde ſiccetur, hoc idem facit. Ergo exhauriatur ſentina, non negligatur miſericordia; quia eleemoſyna à morte liberat, & ipſa purgat peccata. Adſit noſtra tutela Chriſti gratia, celeuma noſtrum* (cantum nautarum quo ſe mutuò ad laborandum excitant) *cantemus Alleluia, vt læti ac ſecuri ingrediamur ſempiternam ac feliciſſimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, ſæculum ſcilicet, cuius fluctus ac turbines ſentimus inimicas ſæculi poteſtates. In Deo ſperantes multi calcauerunt, multi ſuper aquas ambulantes ſecuri ad patriam peruenerunt.*

Sed exurgit ventus validus, magna tempeſtas ſua cuiuſque cupiditas, titubat fides in mari; clamet in te Petrus: Domine, *pereo; dabit manum mergenti, nec ſinet perire ille, qui propter nos ſuper aquas dignatus eſt ambulare.* Sic ille nauclerus eximius ſuos remiges ad ſuſcipiendam cœleſtis patriæ nauigationem animabat. Miror quod nautarum viaticum prætermiſerit, nec in naufragij periculo conſtitutis, Dominici corporis tabulam porrexerit, qua ſuperuecti feliciter enatarent. Fortunatus ille nauita, qui fatiſcente ſui corporis nauigio, tabulam hanc firmæ fidei, ſinceræque deuotionis manibus apprehendit, cui naufraganti & in extremis agenti, immo & tentationum fluctibus propemodum obruto, Chriſtus vti raia myſtica ſuccurrit, caneſque ſtygios ad prædam hiantes, ſpinarum ſuarum aculeis, ſuæque paſſionis merito longius abigens, naufragum animum ad æternæ patriæ portum ſui tabulâ corporis tranſuehit, vel potius de ſacratiſſimo corpore nouum illi conſtruit nauigium nullis tempeſtatibus expugnandum, nullis decumanis obruendum, nullis ſcopulis illidendum, nullo gurgite deuorandum. Vt enim cum Auguſtino loquar ſer. 2. in Pſ. 93. *Num ei non præparat portum, qui parauit nauim?* Nauim, inquam, ſui corporis quâ ad Paradiſi portum tranſuehatur. Equidem teſtatur Chryſoſtomus l. 6. de Sacerdotio, diuino viatico præmunitos, & adorandæ carnis carinâ vectos rectâ in cœlum tendere: *Quidam*, inquit, *mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus qui & id vidiſſet ipſe, & audiſſet, quod qui de hac vitâ migraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum purâ conſcientiâ fue-*


rint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacramentum, hinc rectâ in cœlum abducuntur. Nimirum Chriſto competit iſtud Nazianzeni oratione 6. ad Greg. Nyſſenum: *Amicus fidelis ſolatij portus, aſylum tutiſſimum, nauis contra omnes tempeſtates munitiſſima*: quippe qui verè ſit, *Dux & cuſtos in agone fidelis.*



SERPENTES.

EMBLEMA LXX.

DOMINA SERPENTVM FVRENS, LINTEO CONVOLVTA MITESCIT.



SErpentum regina leui vel tacta bacillo,
Effera præ rabie squamea colla tumet.
Dentibus ut tubulis iacit immedicabile virus,
Astantumque graui corda timore quatit.

Quis furias iramque premat, caudæque ſonantis
Horribilem ſtrepitum, terribileſque minas.
En tenui languet natiua ferocia velo,
Mitior eſt agno quæ modo tigris erat.
Se ferri quocunque ſinet manſueta, vel infans
Incolumi ſtringet turgida colla manu.

APODOSIS.

Sic vindictæ inhians maieſtas læſa Tonantis,
Quas olim ſtrages, funera quanta dedit!
Æthereis mortale genus ſepeliuit in vndis,
Obruit infamem ſulphure Pentapolim.
Indomitam Ægyptum repetito verbere ſtrauit,
Merſit Erythræis caſtra inimica vadis.
Sorbuit Hebræos vaſto telluris hiatu,
Cælitus immiſſo puniit igne reos.
Vix veniæ locus vllus erat, regnabat in orbe
Vltio ſuppliciis, ſtrage, cruore furens.
Quis tandem irarum finis? quæ meta furori?
Æternum-ne Dei vindicis ira fremet?
Ecce Sacramenti tenui velamine tectus
Mitior agniculo pectora noſtra ſubit.
Linteo adumbratus terrori mutat amorem,
Vbera vulneribus, blanditiaſque minis.
Quem lacrymæ & gemitus, quem non holocauſta, piæque
Non flexere preces, flectere vela valent.

FONS EMBLEMATIS.

DOmina Serpentum viperæ genus, apud Mexicanos, quatuor pedes & amplius longa, binos habet supernâ maxillâ dentes caninos incuruos, quibus lethale venenum iaculatur; quot annos nata eſt, tot accedunt caudæ perſtrepentia ſonalia vertebrarum inſtar connexa; quum læſa iraſ-

citur, ſonalibus caudæ ſuæ concuſſis vehementer perſtrepit, erigitque collum non ſine aſtantium metu, venenumque iaculatur caninorum dentium tubulis, caui enim ſunt. Linteo tamen conuoluta, quantum velis, tenui raroque, ita tepeſcit illa feritas, vt vel à puero deferri quolibet, citra formidinem, aut vllam noxam, poſſit. Ita Nerembergius lib. 12. natur. hiſt. c. 1.

INTERPRETATIO.

I. Breuiſſima *differentia duorum teſtamentorum timor & amor*, inquit Auguſt. l. contra Adimantum c. 17. breuiſſima pariter incarnandi Dei filij ab incarnato differentia ſeueritas & benignitas. Quis enim incarnando Dei filio ſeuerior? quis ad indulgentiam inflexibilior? quis ad iram procliuior? quis ad vltionem feruidior? quis in exigendis pœnis acrior?

Quis clades veteris legis? quis funera fando
Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolores?

Hunc ſæuientem, tonantem, coruſcantem, fulminantem, æternos mortalibus interminantem cruciatus attende: Deuteron. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni nouiſſima; deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam: inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Nonne tot interminantem ſupplicia

audiens, tibi videris intueri ſerpentium Dominam attollentem iras & ſquamea colla tumentem, concuſſis caudæ ſinuoſæ ſonalibus horrificè perſtrepentem, in aſtantes immedicabile virus eiaculantem? Iam admirare eiuſdem noſtræ carnis linteo conuoluti repentinam manſuetudinem, ſuaues blanditias, ineffabilem clementiam, eloquij dulcedinem: *Venite ad me omnes*, clamitat Matth. 11. 28. *qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Ecce iam ſuſpendit verbera, protendit vbera, non furoris, ſed cruoris calicem propinat, non iræ venenum quo vos inficiat, ſed ſanguinis vinum infundit quo nos reficiat, terrores illecebris, minas blanditiis permutat, non amplius vltricis iuſtitiæ iaculo peccatores pungit, ſed clementiæ balſamo inungit: quod ſi peruicaces aſperiori verbo pungere cogitur, non prius ore pungit, quam ipſe corde compungatur: vnde non tam eos pungere, quàm vngere, non tam ſauciare, quàm ſanare, non tam corrigere, quàm cor regere, non tam corripere, quam cor rapere videtur, quia deperit, quos ferit; & aduerſus pericula munit, quos punit, & affectuoſis viſceribus miſericordiæ complectitur, quos plectit.

2. Vnde iſta, precor, inſperata lenitas? vnde iſta ſubitanea iudicis in patrem, vindicis in paſtorem, leonis in agnum mutatio? vtique ex carnis aſſumptæ linteo, ex velamine diuinitatis (ſic carnem eius vocat Athanaſius ſer. 3. contra Arianos, aliique paſſim Patres) quo vbi primum ab innocente Virgine & Spiritu ſancto conuolutus eſt, non ſolum homo, ſed hominum humaniſſimus effectus, vagire

cœpit in cunis omnibus amabilis, nemini deinceps terribilis, & abiectis fulminibus, quæ ligatis infantili fasciâ manibus deinceps librare non poterat, lacrymis & suspiriis hostes lenire maluit, quam punire. Hanc stupendam vltionum Domini, in miserationum patrem metamorphosim, eleganti stylo sic describit Bernardus ser. 1. de Epiph. expendens illud Apostoli ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri* Dei. Cuius verba etsi longiora, quia tamen ad rem quam versamur apposita libens hic profero. *Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas: siquidem & prius erat; nam & misericordia Domini ab æterno. Sed vnde tanta agnosci poterat? promittebatur, sed non sentiebatur; vnde & à multis non credebatur.... Ecce pax non promissa, sed missa; non dilata, sed data; non prophetata, sed præsentata. Ecce quasi saccum plenum misericordiâ suâ Deus pater misit in terram; saccum, inquam, in passione concidendum, vt effundatur quod in eo latet pretium nostrum. Saccum vtique etsi paruum, sed plenum: paruulus siquidem datus est nobis, sed in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo Diuinitatis. Venit in carne, vt vel sic carnalibus exhiberetur, & apparente humanitate benignitas agnosceretur. Vbi enim Dei innotescit humanitas, iam benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quam suscipiendo carnem meam? meam, inquam, non carnem Adam, id est, non qualem habuit ante culpam. Quid tantopere declaret eius misericordiam quàm, quod meam suscepit miseriam?* Nisi ergo patuisset humanitas, latuisset benignitas; tunc verò reuelata est, illius humanitas, cùm velata est nostræ carnis linteamine Diuinitas; nec potuit latere deinceps di-

uina charitas, vbi ſub aſſumptâ carne delituit maieſtas. Suſcepimus eius miſericordiam, vbi noſtram ſuſcepit ipſe miſeriam, tanto nobis amabilior, quantò pro nobis humilior; tãto ad veniam pronior & promptior, quanto ad vindictam ineptior: quis enim ab infante ſibi timeat, cuius manus ad amplectendum potius, quàm ad plectendum idoneæ.

3. Si carnis aſſumptæ velum, ferocientem filij Dei animum, & indolem adeo mitigauit, longe maiorem ei lenitatem & clementiam Sacramentalis amictus effudit. Nec enim dubium eſt excellentioris patientiæ & manſuetudinis exempla ab ipſo in Sacramento exhiberi, quàm vnquam vel paſſionis tempore præſtiterit. Ibi enim ex parte patientis maior elucet manſuetudo, vbi ex parte conuitiantis maior apparet ingratitudo: quod libentiùs ab iis patiamur iniuriam, quos nullis beneficiis obſtrinximus, immo quos aſperioribus obiurgationibus in nos concitauimus, quàm ab illis quos munerum pondere & numero obrutos ſingulari beneuolentia proſequuti fuimus. Chriſtus autem tempore paſſionis à Phariſæis exagitatus eſt, quorum furorem crebris reprehenſionibus prouocarat, quorum prauos mores acriter redarguerat, quos ſæpius hypocritas, & Diaboli filios & homicidas vocauerat; at in Sacramento patitur à Chriſtianis, & plerumque à Sacerdotibus, quos ſanguine redemit, & in baptiſmo mundauit, quos ſuâ toties carne ſaginauit, ſuo calice inebriauit, quos vi characteris Sacerdotalis ſupra choros Angelorum euexit, quos innumeris ſibi beneficiis in æternum deuinxit, ac proinde, tantò præſtantior in ipſo radiat manſuetudo, quantò grauior in hoſtibus proditur ingratitudo. Adde quòd quiſquis æquo animo indigna & atro-

cissima patitur inultus, illustrius lenitatis exemplum exhibet, quam qui eo ipso momento quo patitur, armatas videt in vltionem creaturas; Christus autem è patibulo, pugnantem vidit contra insensatos orbem terrarum, & coniurata in tortorum perniciem astra & elementa, quorum auxilio sese videbatur vlcisci. At in Sacramento quot opprobria, quot sacrilegia patitur, & quidem inultus? quis enim impios corpus adorabile laniantes arcet? quis vim Domino inferentes reprimit? quàm rari nunc sunt Sacerdotes, diuinæ vindices offensæ. qui cum inuincibili Chrysostomo dicant, homil.de non contemnendâ Ecclesiâ & mysteriis: *Animâ deficiar potius, quàm sanguinem Domini præter dignitatem porrigam, & meum ipsius sanguinem profundam, priusquam sanguinem tam tremendum secus quàm conuenit porrigam. Melius enim priuari vitâ propter Deum, quam propter vitam Deo ipso.* Quoniam igitur patitur inultus, insigniori clementiâ videtur conspicuus. At vnde maior ista lenitas? vnde pristini furoris extinctio? nisi ex Sacramentalium linteo specierum. Nempe *furor velamine languet.*



EMBLEMA LXXI.

VIPERÆ BALSAMO VESCENTES PLANÈ INNOXIÆ.



Hic vbi balsameos sudant arbusta liquores,
Fragransque inciso cortice manat odor.
Mollia viperei fixere cubilia fœtus,
Quos odor & fruticis gratior vmbra trahit.

Mandit

Mandit odoratos ſerpens innoxia flores,
Et lacrymas plantæ diuitis ore legit.
Miteſcit lethale cibi dulcedine virus,
Quod natura dedit, mitior eſca rapit.
Hinc Arabes nec dente petit, niſi forte prematur;
Quaſque facit plagas, balſami odore linit.

APODOSIS.

Balſameus ſudor liquido pretioſior auro eſt,
Vincit at has ſacri gutta cruoris opes.
Balſameus tu, Chriſte, frutex, fluit vnde liquoris
Copia, qui ſcelerum virus odore fugat.
Vipera vir vindictæ auidus, ſitienſque cruoris,
Cui mortali odio mens homicida tumet.
Balſama ſi guſtet Domini manantia plagis,
Molliet ambroſeus viſcera dura liquor.
Balſameone furens paſtu manſueſceret anguis;
Nec de carne Dei mitior eſſet homo?
Abſit; vt ipſa caro molli ſit mollior eſcâ,
Leni paſta Deo, mens quoque lenis erit.

FONS EMBLEMATIS.

IN Arabiâ talia quædam Viperis ſcio euenire, quæ circa balſamos degunt. Magnitudine balſamus myrti arbuſtum æquat, folia producit amaraco herbæ ſimilia. Viperæ itaque in Arabiâ abſque certo numero, ſiue plures, ſiue pauciores ſub qualibet arbore ſtationem habent, veſcuntur ſucco balſami ſuauiſſimo, adhæc gaudent aliàs vmbrâ plantarum. Arabes itaque collecturi pro temporis ratione ſuccum balſami, ligneolarum regularum comploſione beſtias fugant, occidere enim nefas putant, quod balſamis eſſe conſecratas exiſtiment. Si deinceps eueniat vt à viperis

quis mordeatur, vulnus tantum eſt, vt à ferro videatur inflictum, ſed à metu veneni liberi ſunt: quo enim veſcuntur viperæ vnguento maximè odorato, ita venenum temperatur, vt ex lethifero mitius fiat. Ita Pauſanias in Bæoticis pag. mihi 372. Mirum ſanè viperæ virus ita balſami ſucco mitigari, vt ſit innoxium; quippe inter cæterorum ſerpentum venena, viperinum adeo hominibus exitiale eſt, vt ſcribat idem Pauſanias quemdam hominem fugientem impetum viperæ, conſcensâ quidem arbore eius morſum euitaſſe, verum hanc ſerius inſequutam, venenum ad arborem exhalaſſe, confeſtimque hominem interemiſſe. Similiter narrat Cornelius à Lapide in c. 28. Actuum Apoſt. ſe vidiſſe Romæ quemdam è ſuâ Societate, qui viperam feriens, ab eâ ſibilante ita afflatus eſt, vt multos annos ſtupore, & quaſi morbo incurabili laborarit, adeo peſtilens eſt huius anguis anhelitus. Proinde mirabilem ineſſe balſamino dulcedinem neceſſum eſt, qua virus iſtud temperari queat.

INTERPRETATIO.

I. QVod de propriâ voluntate dixit Bernardus, ſer. de duplici baptiſmo, pag. 376. *caueamus à propria voluntate tanqua à viperâ peſſima & nequiſſimâ, & quæ ſola deinceps damnare poſſit animas noſtras.* Et lib. de interiori domo c. 39. de prauis cogitationibus: *Sicut vipera à filiis ſuis in vtero poſitis lacerata perimitur: ita nos cogitationes noſtræ intra nos nutritæ occidunt:* Idem æquiori iure de vindictâ profero, illam eſſe venenatam, & peſtiferam viperam, quæ viſcera

illorum, qui eam in ſinu & deliciis habent, crudeliter arrodat. Rectè ſiquidem ait Auguſt. ſer. 11. de S. Stephano: *Ira ſtimulans ad vindictam ſcorpius eſt (& vipera) ſi te interius flammis excitauerit; magnum aliquid putas, ſi te de inimico tuo vindicas: Sed ſi te vindicare vis de inimico tuo, ad ipſam iram tuam te conuerte, quia ipſa eſt inimica tua quæ occidit animam tuam*, quæque inſtar viperini fætus, ſinum in quo concepta eſt, occisâ parente perrumpit. Viperinum virus lethale vulnus infligit, vbi cruori humano permixtum eſt, vt obſeruauit Pierius l. 14. c. 22. aſſerens venenum illud quo Scythæ ſagittas ſuas inficiunt irremediabili vulnere, viperinâ ſanie humano ſanguini confusâ confici; nec dubium eſt vltrici animæ plagam mortalem infligi, vbi virus vltionis hoſtili cruore permiſcet. Nihil porro ad iſtud præſentis noxæ toxicum potentius occurrit Euchariſticâ balſamo, cuius tanta ſit ſuauitas, vt fragranti ſucco delibutas animas, alioqui vindictæ acriter inhiantes, quaſi furore percitas viperas mirum in modum demitiget, ne deinceps vlli noceant, aut aceptam iniuriam hoſtili cæde vindicare appetant.

2. Et verò quid hac diuinâ balſamo ſuauius? Si corticem, hoc eſt, materiem attendas, quid illâ dulcius? panis hordeaceus quia durior abiicitur, triticeus quia mollior aſſumitur, acerbus immitis vuæ ſuccus reprobatur, ſuaue vinum aquâ dulci temperatum eligitur, ne quid vel externis ſymbolis acerbitatis admiſceatur. ſi formam expendas, totam mellifluam & ambroſiâ ſuauiorem comperies, vtpote ipſiſſimis mitiſſimi Ieſu verbis contextam, cuius in labiis

omnes gratiæ ſeſſitant, cuius ab ore nectare dulcior fluit oratio. Si Sacramentalem balſamum penitius introſpicias, quid non ibi ſuauitate pleniſſimum? Ibi delitescit Ieſus totius ſcaturigo dulcedinis, cuius cruor oleo balſameo ſuauior & pretioſior; ibi agnus ille innocens ſine murmure ductus ad victimam, & in mediâ lanienâ mutus & immotus, non aliter tortorum ſæuitiem vltus quam muneribus, & impetratoriis veniæ precibus. Audi balatum morientis: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34. ſuaues eius querelas accipe Pſ. 40. *Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi. Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Quam demum de ſuis hoſtibus vltionem exiget? ſubnectit: *Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis.* Quid hic à Patre poſtulat? num ſuæ reſurrectionis gloriam accelerari deſiderat, vt hoſtium internecione rediuiuus triumphator illatas iniurias vlciſcatur? abſit hoc à mitis agni ſuauiſſimâ indole; melius ſentit Didymus apud Barbarum Achileienſem in catenâ: *Reſuſcita me*, inquit, *vt retribuam eis retributionem quæ illis ornamento, & vtilitati futura ſit.* Nempe hanc vnicam clemens Dominus de tortoribus deicidis exigit vltionem, vt quemadmodum omnibus corporis neruis, omnibus animæ viribus in ipſius pœnas & cruciatus incubuere, ſic ipſe inauditâ talionis lege totis glorioſæ animæ viribus, totis rediuiui corporis artubus & neruis in eorum ſalutem viciſſim incumbat. *Reſuſcita me, & retribuam eis.* Quid retribues, Ieſu bone? *retributionem quæ illis ornamento & vtilitati futura ſit.*

Et exerunt mihi crucis patibulum, instruam iis altaris epulum; illi me spinis, ergo rosis redimiam; illi me lacerâ purpurâ, ego gloriæ stolâ vestiam; illi me felle & aceto, ego cruoris nectare potabo; illi me saturarunt opprobriis, ego carnis rediuiuæ saginabo deliciis; totâ mente, toto corpore in me sæuierunt, tu Pater resuscita me, vt pariter totâ mente, totoque corpore faueam, & effusiori beneficentiâ cumulem. Vox sanguinis mei, multùm à voce sanguinis Abel dissona non vindictam implorat, sed veniam; hic fratricidam accusabat, iste deicidas excusat: hic clamabat, vlciscere; iste clamat, ignosce, & veniæ rationem adnectit: *Non enim sciunt, quid faciunt.* Illi quidem sanguinem meum sitiunt, & crucis torculari de botro humanitatis violenter exprimunt, forte quod olim sanguinem ipsum in æternæ vitæ potum pollicitus sim, dicens: *Sanguis meus verè est potus.* At nesciunt quid faciunt, iam enim illis vltrò in Eucharistico calice, ex amore propinaui quem vi & prælo crucis liquorem extorquent; at videntur excusabiles quod illum me sponte iam in vltimâ cœnâ propinasse nesciant; proinde Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. O nouum vltionis genus, omnino diuinum! iniuriam vindicare ferinum est; condonare humanum; malle illam non agnoscere, quam ignoscere, Christianum; remunerare diuinum. Si sese Agnus Eucharisticus vlciscitur, supplicia beneficiis, verbera muneribus, plagas epulis, opprobria compensat honoribus. Quod vindictæ virus vel viperino exitialius diuinæ huius balsami succo suauissimo, non illico mitigetur?

3. Porrò ineffabilem hanc erga ſuos tortores & inimicos clementiam, quam die paſſionis Redemptor exhibuit, non aliunde quàm ex Euchariſticâ profluxiſſe balſamo facile concedet, qui meminerit Dominum ſæpius antea iuſtam ex aduerſariis exegiſſe vltionem, ſiue cum paternæ zelo gloriæ ſuccenſus templi profanatores flagello cæcidit, ſiue cum Phariſæorum hypocriſim, aliaſque vitia durius redarguit, verbis iram quandam redolentibus. Vnde igitur incredibilis iſta paſſionis tempore patientia, & talis quam nullus niſi Deus exhiberet? vnde hæc inſolita tot inter cruciatus & ignominias manſuetudo? vnde iſtud inuſitatum tot inter calumnias & blaſphemias ſilentium, quas antea verbis aſperioribus refellere ſoleret? Vtique ex Euchariſticâ balſamo, cuius ſuaui ſucco ita temperatus eſt prior ille animi feruor, zelique vehementia elanguit, vt atroci lanienâ deformatus, nequidem ad querelam os aperiret. Miram igitur balſameo ſui cruoris calici ineſſe oportuit dulcedinem, qua non ſolum numinis tot ſæculis mortalibus infenſi miteſceret vltio, verùm & ita Chriſti dulceſceret animus, vt tot inter tormenta, & tormentis atrociora conuitia, nequidem in minimam querelam erumperet. Sicut enim ex D. Thoma 3. p. q. 81. a. 1. ex Euchariſtico calice nouam alacritatem, & inter ſupplicia delectationem hauſit; ita inuſitatam ſuos erga carnifices lenitatem deprompſit. Ad huius igitur balſami radices cubilia figant viperæ, animæ, inquam, ad vltionem procliues, fluentemque illius ſuccum deguſtent, quo mortalis odij toxicum mitigetur. Fierine poſſet vt bal-

ſameo paſtu manſueſcerent viperæ Arabes, & alimenti dulcedinem combiberent, animæ verò balſameo Domini cruore ebriæ adhuc inimicorum ſanguinem ſitirent, nec immortalis alimoniæ ſuos tranſmutantis alumnos ſuauiſſimas qualitates induerent? pudor eſt fortaſſis alimento aſſimilari? imo verò ſummus in hac honor eſt aſſimilatione. *Quæ enim gloria eſt*, inquit Cypr. l. de bono patientiæ, *ſimilem Deo fieri? qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus quod diuinis laudibus poſſit æquari?* Quale decus homini, ideam & exemplar fieri diuinæ benignitatis, adeo vt non tam diuinam in ſe lenitatem exprimat, quam ſuam ipſe Deo proponat imitandam, eidem dicens: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus?* Altiuſne poteſt hominis ambitio conſurgere, quàm vt non ſolum Deum in inimicorum dilectione æquare videatur, ſed inſuper quodammodo ſuperare? Nec enim Deus propriè diligit inimicos, quod ea ſit ipſius dilectionis efficacia, vt in amicos conuertat, quos adamat. At non ea eſt humanæ dilectionis virtus, fertur in inimicum, quem diligendo nequeat reddere amicũ, vt proinde quoad hoc diuininæ dilectioni præcellere videatur. Adeò verum eſt, quod ait Seneca lib. de ira c. vltimo: *Nec quidquam magnum eſt, niſi quod ſimul eſt placidum*, eóque maius, quo placidius. Itaque ne viperis Arabibus videamur ſæuiores, quarum virus balſameo paſtu mitigatur, odium erga fratres conceptum, quaſi lethale toxicum Euchariſticæ balſami ſucco temperemus: quanquam nobis naturalis inſit ad vltionem propenſio, & cor noſtrum acerbioris ſimultatis veneno turgeat, paulatim balſameo Chriſti cruore miteſcemus: quippe *cibi dulcedine ſenſim virus abit.*

EMBLEMA LXXII.

AMPHISBÆNA VNO ORE FVNDENS VIRVS, ALTERO PRÆSENS ANTIDOTVM.



Amphisbæna biceps vno vomit ore venenum;
Excellentem alio suggerit antidotum.
Vna potest plagas infligere, iisque mederi,
Indubitata salus profluit, vnde lues.

APODOSIS.

Sic humana caro geminum caput erigit, illinc
Stat miſerens Ieſus, hinc miſerandus Adam.
Virus Adæ vitiata caro tranſundit in omnes,
Antidotum Ieſu porrigit alma caro.
Amphiſbæna biceps vno nos ore momordit,
Aſt alio nobis ore miniſtrat opem.
Carnis adorandæ toties aſſume medelam,
Carnis Adæ quoties exedet oſſa lues.
Sponte perire vales, pereas ſi carne deinceps,
Si Caro ſlat virus, carne ſit antidotus.

FONS EMBLEMATIS.

AMphiſbæna à Gallis, *Double marcheur*, dicta, quod nunc in hanc, nunc in illam partem repat, anteriorem ſcilicet, & poſteriorem, biceps eſt. Fertur de quibuſdam Amphiſbænis vno ore fundere virus, altero antidotum. Ita Nierembergius lib. 12. Natur. hiſtor. c. 10. de eâ ſic Lucanus l. 9.

Et grauis in geminum ſurgens caput amphiſibæna.

INTERPRETATIO.

1. AMphiſbæna in vno eodemque corpore geminum caput erigens, quorum altero toxicum, altero ſpiret antidotum, carnem humanam mihi videtur adumbrare, illam vtique gemino capite conſpicuam, Adamo nimirum, & Chriſto, quorum priore luem efflet, poſteriore medicinam: ſiquidem in Adamo, quia peccato vitiata eſt, vere caro peccati eſt, concupiſcentiæ virus in omnes homines diffundens; In Chriſto verò quamuis de naturâ carnis peccati propaga-

ca, quia tamen abſque libidinis ardore concepta, non caro peccati, ſed duntaxat ſimilis carni peccati eſt, ac proinde prioris veneni ſpirat antidotum, & remedium. *Deus enim*, inquit Auguſt. l. 83. quæſtionum q. 66. *filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati. Non enim caro peccati erat, quæ non de carnali delectatione nata erat, ſed tamen inerat ſimilitudo carnis peccati, quia mortalis caro erat. Mortem autem non meruit Adam, niſi peccando. Solus ergo ille*, ait l. 2. de peccat. meritis c. 24. *etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de naturâ carnis peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit, id profecto ad mundandum ſuſcepit, aut ſuſcipiendo mundauit.* At verò ne quis, ex eo quod carnem mortalem aſſumpſit, virus mortis iſto capite efflare ſuſpicaretur, idem Doctor l. 10. de Geneſi ad lit. c. 18. docet Dei filium de naturâ carnis peccati, ſimilitudinem carnis peccati, hoc eſt, carnem mortalem accepiſſe *non quod contagioni præuaricationis: ſed quod exoluendæ indebitæ morti, & oſtendendæ promiſſæ reſurrectioni ſufficeret; quorum vnum nobis ad non timendum, alterum ad ſperandum valeret.* Carnem igitur ideo mortalem accepit, vt moriendo mortē noſtrā deſtrueret, & reſurgendo carni noſtræ germen beatæ reſurrectionis inſereret; ac proinde caro ex eo capite, veneni mortalis, quod in Adamo omnibus mortalibus inſpirauit, remediū & antidotū profundit, & idcirco iure Amphiſbænæ bicipiti cōparatur.

2. Apoſtolus autem 1. Cor. 15. 47. vtriuſque capitis diſcrimen his verbis expreſſit: *Primus homo de terrâ terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Cœleſtis enim Chriſtus dicitur, non quòd caro eius cœleſti conſtaret materiâ, vt impiè Valentinus, & Apollinarius cum Gnoſticis aſſeruere, ſed quòd

cœlesti Verbi diuini hypostasi copulata nil terrenum saperet, sed cœlestia opera iugiter eliceret; cùm contrà caro primi hominis planè terrestris sit, quod terrenis affectibus obnoxia caduca præferat æternis. Tum quod caro Christi sui participatione cœlestes homines efficiat, & terrenis corporibus gloriosæ resurrectionis germen inserat, quo in cœlum aliquando transferentur, primi verò hominis caro mortis iis causa sit, quâ de terra formati in terram pariter, ac cinerem reuertuntur. Tum quod vt ait Hieronymus in hunc locum Apostoli *Christus non humanæ fragilitatis ritu, sed diuinæ maiestatis nutu & conceptus est, & enixus*; Ac proinde caro ipsius è virginali vtero efflorescens cœlestem anhelet fragrantiã, & puritaté angelicam redoleat; cũ è contrario caro prmi hominis peccato corrupta libidinis mephitim exhalet, & ad carnales illecebras animam cœlestem, & diuinæ auræ particulam inclinet. Audiendus Fulgentius l. de fide ad Petrum c. 2. de Christi carne sic eleganter disserens: *Sic eum verum hominem crede, vt eius carnem non cœlestis, non aëreæ, non aqueæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed eius cuius est hominum caro, id est, quam ipse homini primo de terrâ plasmauit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Sed licet caro Christi, & omnium vnius eiusdemque naturæ sit: hæc tamen quam Deus Verbum ex Maria Virgine sibi vnire dignatus est, sine peccato concepta & nata est; vtpote secundùm quam Deus æternus & iustus conceptus & natus est, & Dominus gloriæ crucifixus. Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cuius diuina ex ipsâ sui conceptione persona, cuius origo natiuitatis insolita?* Quemadmodum igitur duo Amphisbænæ capita, quamuis opposita spirent, non desinunt

vnius esse naturæ: ita caro Christi & Adæ, imò ipsimet vnam eamdemque naturam humanam participant, etsi Adæ caro venenum afflet, caro verò Christi remedium. Vt enim Adæ caro corrupta nos ad mortem & corruptionem impellit, ita, inquit Cyrillus Alex. l. 3. in Ioan. c. 37. *Viuificat corpus Christi, & ad incorruptionem suâ participatione reducit. Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa viuunt & sunt.*

3. Equidem Adæ caro viâ seminali propagata nobis omnium malorum origo est, ratione duarum cum animâ vnionum, quarum altera naturalis & omnino necessaria in vtero materno perficitur, dum corpus animatur; altera moralis & libera contingit, cum anima prauis carnis motibus libenter obedit. Vi prioris vnionis prius damnamur, quam nascimur, quoniam infusâ in corpus libidine conceptum animâ, nascimur filij Adæ, eiusdẽ inobedientiæ rei, quam in ipso & cum ipso cõmisimus, quando ille vnus erat nos omnes, & nos omnes eramus ille vnus: vnde fit vt à Deo primùm, originali peccato separemur, & in nobis ipsis funestam diuisionem patiamur dum caro spiritui reluctatur. Vi posterioris vnionis moralis & liberæ, ad quæuis vitia proni reddimur, & opera carnis exequimur, quæ Paulus ad Gal. 5. enumerat. Iusto quippe Dei iudicio contigit vt anima perduellis quæ legitimi principis detrectauit imperium, ancillæ carnis patiatur iugum tyrannicum. Hinc oritur discordantibus aduersus se inuicem quotidiano congressio, dum Spiritus Diuina appetit, & caro terrena concupiscit; hinc & cum fratribns rixæ & contentiones, dum eosdem honores, eadem commoda non sine æmu-

latione sectantur. Prima igitur carnis cum anima connexio, malorum origo est, secunda vtpote voluntaria cumulus scelerum, vt proinde nullus ambigat lethiferum virus ex hoc capite mortalibus inspirari. Verum hæc omnia carnis Adamicæ damna cum fœnore resarcit caro Christi, duplici pariter ipsius nobiscum vnione, alterâ Sacramentali quæ fit per realem ipsius, cum nostro, corporis vnionem, alterâ spiritali, quæ fit per charitatem, ado vt si caro Adæ nos constituat filios iræ, filios gehennæ, Caro Christi nos efficiat Dei filios eius gloriæ hæredes, eius naturæ consortes; nos intimè Deo copulet, mentem Deo, carnem menti subiiciat, bellum intestinum extinguat, charitate nos cum fratribus vniat, denique corpori & animæ vitam pariat immortalem. Quippe, vt cum Chrysostomo loquar ho. 24. in 1. ad Corinth. *Cum prior carnis natura è terrâ formata, à peccato mortalis effecta, & à vitâ deserta esset, aliam, vt ita dicam, massam & fermentum induxit, hoc est, carnem suam, naturâ quidem eamdem, sed à peccato liberam, & vitæ plenam, quam omnibus tribuit vt participes fierent, vt eâ nutriti, & priore abiectâ quæ mortua erat, per hanc massam in vitam immortalem commisceremur.* Vides vt eiusdem naturæ caro in vno capite mortis toxicum afflet, in altero pharmacum immortalitatis. De carne Adæ scriptum est Gen. c. 6. *Non permanebit spiritus meus cum homine, quia caro est.* De carne Christi Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo:* quod prioris esu carnales; posterioris, efficiamur spiritales. Adæ caro Spiritum extinxit; Christi caro Spiritum excitauit. Adæ carni dum infunditur anima, moritur; Christi carni dum vnitur, exoritur. per carnem Adæ nascitur iræ filia; per

carnem Chriſti renaſcitur filia gratiæ. De carnè Adæ dicitur Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi:* De carne Chriſti nunc dici poteſt: beatus es quia caro reuelauit; quod Chriſtiano verè ſit diuinarum fons reuelationum. De carne Adæ pronunciat Apoſtolus 1. Corinth. 6. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*; de carne & ſanguine Chriſti: caro & ſanguis regnum Dei iam poſſident, nobiſque poſſidendum dabunt. Adæ caro fuit homini virus; Chriſti caro virtus eſt & antidotus; ac proinde eadem Amphiſbæna vno capite ſpirat toxicum mortis, altero pharmacum immortalitatis. *Ab eadem virus & antidotus.*



EMBLEMA LXXIII.

BASILISCI CORPVS, TEMPLVM AB ARANEIS, ET MVSCIS EXIMENS.



VNde fit vt toto ſecedat aranea templo;
Et procul à ſacris territa muſca volet?
Num Baſiliſcæi præſentia corporis aram
Turpibus inſectis purificare poteſt?

APODOSIS.

Ergo venenatis immunem animantibus aram
Conseruare anguis corpus inane potest.
Sacrilegûm furiis illæsam altare tueri,
Nec præsens Deitas, nec caro viua queat?
Importuna animi distractio, quid nisi musca?
Nec præsente tamen Numine pulsa fugit.
Quid mortale scelus, nisi turpis aranea? at illam
Nec fugat ex aris inuiolata caro.
Luxuriâ infames violant altare ministri,
Templa profanantur conspiciente Deo.
Si non sacra mouent, moueat præsentia Christi,
Cuius imago olim pendulus anguis erat.
Pallet, inhorrescit, trepidat reus ante tribunal
Iudicis: accumulas crimina, teste Deo?
Si quod in orbe scelus venia caret, illud opinor,
Quod reus ante sui iudicis ora patrat.

FONS EMBLEMATIS.

REfert Solynus in suo polyhistore, Pergamenses magnam pecuniæ summam pro Basilisci cadauere numerasse, quod de summa Apollinis templi patte suspenderunt; ne vel aues, vel araneæ, aliaque insecta eò appropinquare possent, quasi eadem extincti foret, quæ viui virtus, de quo scribit Lucanus lib. 9.

Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes
Ante venena nocens, latè sibi submouet omne
Vulgus, & in vacuâ regnat basiliscus arenâ.

Verba ipsissima Solini ea sunt: vis tamen ne defuncto quidem deest. Denique Basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni compararunt, & vt ædem Apollinis manu insignem nec araneæ intexerant

rent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt.

INTERPRETATIO.

1. Pulchre S. P. Auguſt. expendens illud Pſ. 64. *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in iuſtitia tuâ* ſic enim legit: *Iſta ſunt*, inquit, *bona domus* Dei. *Non dicit; templum tuum ſanctum, mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, ſed mirabile in iuſtitiâ.* Duo itaque templo Dei competunt, & quod ſanctum ſit, & quod in iuſtitiâ mirabile ſit. Quid eſt eſſe ſanctum? Reſpondet idem Pater l. 2. de ſermone Domini in monte c. 31. *Sanctum eſt, quod violare, atque corrumpere nefas eſt, cuius vtique ſceleris conatus & voluntas tenetur rea; quamuis illud ſanctum naturâ inuiolabile atque incorruptibile maneat.* Sanctum eſt ergo templum, quod illud violare nefas ſit; ſed ſi hæc ſanctitas conuenit cuilibet Dei templo, maximè illi vbi ſanctus ſanctorum deliteſcit in tabernaculo; vbi à Chriſtianis adoratur, quia creditur in Sacramento; vbi ſemel in cruce ſancitum Deum inter & homines à ſummo Sacerdote fœdus, quotidie renouatur, & reſancitur in Miſſæ myſterio: *Non enim dubium eſt à ſanciendo ſanctitatem nominari*, inquit idem Doctor l. de fide & ſymbolo c. 9. ac proinde templum noſtrum verè ſanctum appellatur, vbi immortalis agni ſanguine nouum teſtamentum quotidie in ipsâ immolationis horâ ſancitur. Nec minori titulo templum dicitur *mirabile in iuſtitiâ.* Qua iuſtitiâ? Sacerdotum vtique in templo miniſtrantium, qui ſummi Sacerdotis ſecundum ordinem Melchidech nequeunt veri cenſeri miniſtri, niſi iuſtitiæ ſtolâ ſint induti. Siquidem teſte eodem Auguſt. l. 2. contra Petilian. c.

30. *Vt sit quisque verus Sacerdos, oportet vt non solo Sacramento, sed iustitiâ quoque induatur, sicut scriptum est: Sacerdotes tui induantur iustitiâ.* Sed longè mirabilius templum iustitiâ Christi veri Sacerdotum principis, qui summum elicuit opus iustitiæ, dum semetipsum hostiam pro peccatis offerens, ad summos iuris apices satisfecit vltrici Dei iustitiæ; cuius quidem operis iustitiæ noua fit in altari commemoratio, quoties eiusdem victimæ à Sacerdotibus incruenta perficitur immolatio. Vnde quoties sacratissimam hostiam Sacerdos eleuat, & exponit fidelibus adorandam, toties Christum in crucem pro salute hominum exaltatum repræsentat, vt meminerint illius sententiæ Dominicæ: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis* Ioan. 3.

2. Et hinc oritur in astantium cordibus ingens timor, & reuerentia, qua quæuis ab altari repellitur indecentia; quoniam tunc maximè recolitur memoria seuerissimæ illius iustitiæ quam Deus Pater in filium exercuit in Caluariâ, dum propter scelus populi sui vnigenito suo non pepercit, sed eũ in crucem, sicut olim Moyses serpentẽ, exaltauit. Reuera sicut serpens æneus à Moyse erectus serpentis habebat effigiem, non virus; ita Christus peccatoris in cruce assumpsit formam, non malitiam, vt illius è ligno penduli conspectu ab ignitorum anguium, id est, Dæmonum morsibus sanaremur, vt inter alios Patres asserit Tertull. l. de idololatria c. 5. his verbis: *Effigies ænei serpentis suspensi, figuram designauit dominicæ crucis, quæ à serpentibus, id est, ab angelis Diaboli nos erat liberatura, dum per semetipsum diabolum, id est, serpentem interfectum suspendit.* Equidem si Basilisci corpus exanime de summâ templi parte sus-

penſum, araneas, muſcas aliaque id genus inſecta longius ab altari abigit & eliminat, vt olim experti ſunt Pergamenſes; quis ambigat myſtici noſtri ſerpentis viuum & immortale corpus in aram exaltatum; impudicarum cogitationum araneas, importunarum diſtractionum muſcas, & actus quoslibet templi ſanctitati repugnantes arcanâ poſſe virtute diſſipare? non ignoro quod ſcribit Auguſt. in Pſ. 85. *Orationes impediri vanis cogitationibus, ita vt vix ſtet cor ad Deum ſuum; & vult ſe tenere vt ſtet, & quodammodo fugit à ſe, nec inuenit cancellos quibus ſe includat, aut obices quoſdam quibus retineat auolationes ſuas, & vagos quoſdam motus.* Verum & ſcio nihil eſſe ad illas cordis auolationes cohibendas, & abigendas diſtractionum muſcas potentius profundâ præſentiæ Chriſti meditatione. S*i enim*, inquit Baſilius q. 21. in regulis breuioribus, *principem aliquis aut præſidem intuens, aut cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non ſolet, quî non tandem credibilius eſt intentam mentem habiturum illum qui Deo preces adhibeat?* Sanè quiſquis fidei oculo Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem, eumque inexorabilem futurum culparum ſuarum vindicem intuetur, non per futiles cogitationes diuagatur, ſed diſperſas huc illuc animæ facultates recolligit, vt nihil intellectus cogitet quàm diuina, nil voluntas deſideret quàm Dei abſconditi gloriam, nihil memoria voluat quàm ipſius beneficia.

3. Eapropter S. Bernardus ſer. de quatuor modis orandi, vt impudicarum cogitationum araneas abigat, & cordis auolationes quaſi muſcas cohibeat, præ cætereis Domini in ſuo tabernaculo reſidentis præſentiam inculcat: *Quid aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam propheticum illud: ingrediar*

in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei? omnino siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam vtique curiam in qua rex regum stellato sedet solio, circundante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu Vnde & ipse qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit, millia, ait, millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quantâ ergo cum reuerentiâ, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude suâ procedens, & repens ranuncula vilis? quàm tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo maiestati gloriæ, in præsentiâ Angelorum, in concilio iustorum, & congregatione assistere poterit miser homuncio? Neque verò necesse est mente cælos transcendere, Empyrei triumphalem aulam penetrare, vt ibidem Trinitatem in gloriæ solio sedentem contempletur, & ex istâ dehinc contemplatione ad expellendas ineptas cogitationes excitetur: quandoquidem in templo, in altari, in sanctissimo Sacramento, totam hanc Triados maiestatem præsentissimam habeat. Quippe vt vtar verbis Chrysostomi ho. 24. in 1. ad Corinth. *Dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cæli portas, & diligenter attende, immo non cœli; sed cœli cœlorum, & tum quod dicimus intueberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam. Nam quemadmodum in regiis non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens, omnium præstantissimum est; ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc in terrâ tibi videndum proponitur: Neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum tibi ostendo.* Procul ergo ab isto corpore regio in aras exaltato turpes araneæ scelerum, pro-

cul muſcæ diſtractionum, procul ineptarum inſecta cogitationum, procul à ſacris ſacrilegium. *Quæ enim ſegnitia eſt*, inquit Cyprianus l. de orat. Dom. *alienari, & capi ineptis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum* Deo *loquaris.* Baſiliſci cadauer templum inſectis expurgat, Dominici *præſentia corporis aram expiat.*



EMBLEMA LXXIV.

CROCODILVS CATVLVM EX PRIORIS PRÆDÆ STVDIO EXPLORANS.



Non licet exiles crocodilo educere fœtus,
Ni prius eliciant nobilitatis opus.
Qui primum exclusus vehementius appetit escam,
Sanguine magnanimo creditur ille satus.

Degener est fœtus, prædæ quem nulla cupido
Excitat, hinc patrio saucius vngue cadit.
Viuit at ingenuus generosæ gloria stirpis-
Matris amore, immò dignus honore patris.

APODOSIS.

Legitimos probat alma parens Ecclesia fœtus,
Quos auidè sponsi carni inhiare videt.
Respuit vt spurios, quibus, ex torpedine cordis,
Nulla cupido Dei carne, cruore frui.
Indolis est index planè regalis & altæ
Prædæ ardens studium, nil mouet esca nothum.
Nec patris ergo Dei, matrisue mereris amorem,
Cœlestem ad prædam ni vehementer hies.
Diuinâ facile est tibi nobilitate micare;
Si bene edendo Dei, filius esse potes.

FONS EMBLEMATIS.

CRocodili cum ex sese pepererunt, hoc expe-rimento legitimum à spurio internoscunt; vt si quid catulus simul atque exclusus est rapuerit, in reliquum tempus in crocodilini generis numero locoque à parentibus ducatur; sin ignauia eum ipsum tardauerit ad comprehendendam alicunde aliam prædam, vt lumbricum, aliamue bestiolam, eum parens tanquam à se degenerantem, nihilque ad se pertinentem lacerat. Atque vt ad solis radios aquilæ suorum ingenuitatem experiuntur, sic celeri alacritate prædam capiendi crocodili suos probant; vtrique scilicet non temerario affectu, sed ratione suos amantes. Ita Ælianus l. 9. de Animal. c. 3.

INTERPRETATIO.

I. PLuribus titulis filij hominum in Dei filios adoptantur; primo quidem titulo pacis cum

fratribus seruatæ, iuxta illud Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* 2. ratione dilectionis inimicorum, iuxta illud ibidem: *Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* 3. ratione gratiæ sanctificantis quâ fiunt naturæ Diuinæ consorres, ac proinde filij, iuxta illud 2. Petri, 1. *Vt efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Quartò ratione receptionis Christi vnigeniti Patris, quod maximè fit in Eucharistiâ quæ filiorum panis est; iuxta illud Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Denique vt plures alios titulos prætermittam, ratione reciprocæ dilectionis: iuxta illud, *in hoc cognoscent omnes quòd Discipuli mei estis. si dilectionem habueritis ad inuicem.* Si Discipuli, ergo fratres Christi, hoc enim nomine discipulos appellat; si fratres, igitur eiusdem patris filij. Nimirum quia de filio Dei fecit Deus filium hominis, ipsiusmet gratiâ, facere voluit Dei filios ex hominum filiis; vt iam ille, per quem illos adoptarat, non esset vnigenitus, sed potius in multis fratribus primogenitus, qui deinceps vi suæ adoptionis fierent patris hæredes, & filij vtpote fratris sui promogeniti cohæredes; quos ille habere non extimuit, quoniam ipsa hæreditas possidentium numero non minuitur, sed augetur; cum ab immortalibus filiis suis cohæredibus ita possideantur hæreditatis bona, vt sint & omnium singula, & omnia singulorum. Audiendus August. l.2.de ciuit. c. 15. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei: non naturâ, sed gratiâ. Vnicus enim naturâ filius Dei, propter nos misericordiâ factus est filius hominis; vt nos naturâ filij hominis, filij Dei per illum gratiâ fieremus. Manens quippe ille immutabilis, naturam nostram in qua nos susciperet suscepit à nobis, & tenax* Diuinitatis *suæ, nostræ infir-*

mitatis particeps factus est, vt nos in melius commutati, quod peccatores & mortales sumus, eius immortalitatis & iustitiæ participatione amittamus; & quod in natura nostra bonum fecit, impleti summo bono, eius naturæ bonitate seruemus.

2. Iam verò omnes istos diuinæ adoptionis titulos, dignâ Eucharistiæ perceptione comparari, nemo Catholicus ignorat. Nunquid enim primùm Spiritu Dei ibi fideles aguntur, vt legitimi Dei filij, qui virtute sacræ Communionis fiunt corpus Christi, ac proinde ipsius spiritu animati, iuxta illud Augustini tract. 26. in Ioan. *Qui corpus Christi sumere volunt, fiant corpus Christi, si volunt viuere de Spiritu Christi* 2. Nunquid in sacrâ synaxi fiunt pacifici, ac proinde filij Dei, qui Sacramentum pacis, & Christum ipsum, qui est pax nostra, dignè suscipiunt? quo pacis beneficio frustrantur hæretici, & schismatici ab vnitate corporis Christi separati vt illegitimi filij: quia vt ait August. l. 21. de ciuit. c. 22. *Non sunt in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur Sacramento.* 3. nunquid Eucharistiæ virtute fiunt inimicorum dilectiui, ac proinde filij, qui Dominicæ benignitatis, ac clementiæ memores, quam erga sæuiores inimicos admirabilem in hoc mysterio exhibet, malunt iniurias non agnoscere, quam ignoscere, nec volunt vindicari se, quia Dominum quem excipiunt, probè sciunt nondum vindicatum esse? siquidem illorum auribus inclamantem audiunt August. ser. 1. de temp. *Qui se scit vel vnum hominem odio habere, nescio si ad altare Domini securus possit accedere, cum præcipuè B. Ioannes Euang. terribiliter clamet, & dicat: qui fratrem suum odit, homicida est.* 4. Nunquid in hac

mensâ fiunt naturæ diuinæ conſortes, ac proinde filij; quandoquidem, vt cum S. Leone loquar ſer. 14. de paſſione: *Non aliud agit participatio corporis, & ſanguinis Chriſti, quam vt in id quod ſumimus tranſeamus?* Enimverò quid expreſſius authoritate S. Cyrilli Hieroſol. Catech. 4. myſtag. *Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cum eius corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita, vt beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ conſortes efficiemur.* 5. Si Deus iis qui filium ſuum ſuſceperunt, dedit poteſtatem filios Dei fieri; quibus magis ea poteſtas conuenit, quam iis, qui Sacramento deliteſcentem quotidie cordis & peccatoris hoſpitio recipiunt? & vt vtar verbis Cypr. de nat. Chriſti: *Qui Sacramentali guſtu viuificis myſteriis inhærentes, vna caro & vnus Spiritus ſunt, dicente Apoſtolo, qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Sic hi ad quos ſermo fit, dicuntur Dei, & filij Excelſi omnes, & hæreditatis, & æternitatis participes.* Quid clarius? ecce enim vi Sacramentalis vnionis, Spiritui Domini adhærentes, eodem animantur & aguntur Spiritu, pacem & vnitatem cum fratribus obſeruant, inimicos illius exemplo diligunt, diuinæ fiunt conſortes naturæ, Dei & filij Excelſi, ac proinde hæreditatis participes. Quis ergo deinceps ambigat nos dignâ Sacramenti participatione, in Dei filios adoptari, & in frattes ac cohæredes Chriſti, ac conſequenter ex illius deſiderio, legitimos à ſpuriis filios facile poſſe diſcerni?.


3. Equidem vt crocodilus legitimum catulum à notho, prioris prædæ vehementi cupidine, internoſcit; eodem fere experimento Chriſtus in Euangelio nobiles diſcipulos ab ignauis & degeneri-

bus discreuit: quippe Ioan. c. 6. vt eos exploraret, corporis sui prædam vtrisque proposuit, dicens *Caro mea verè est cibus, &c.* Verùm degeneres filij, ignobiles discipuli, septuaginta ferme, prædam dedignantes recesserunt, dicentes: *durus est hic sermo quis eum potest audire?* noluerunt prædam popositam apprehendere, aut sensum verborum Christi comprehendere, & idcirco vt spurij reiecti sunt. *Carnaliter illud cogitauerunt*, inquit August. in Ps. 98. *& putauerunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt: durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites, dicerent sibi, non sine causâ dicit hoc, nisi quia ibi est aliquod Sacramentum latens: manerent cum eo lenes, non duri, & discerent ab illo, quod illis discedentibus, qui remanserunt didicerunt. Nam cùm remansissent cum illo discipuli duodecim, instruxit eos, & ait: Spiritus est qui viuificat, &c.* Qui ergo Dominicæ carnis prædam firmâ viuâque fide apprehenderunt, qui Magistri sermonem spiritaliter intellexerunt, ad primas Ecclesiæ dignitates, vt filij nobiles & legitimi sublimati sunt; cæteri vt degeneres abdicati, quia ad prædam nauseantes, diuinâ se nobilitate probauerunt indignos. Pulchrè igitur August. in Ps. 121. sic Christianum alloquitur: *Noli dicere, filius Dei sum, si degeneras. Si, inquit, filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Inde illos negauit filios, quia opera non faciebant.* Filios igitur non agnoscit Christus, nisi quos suæ virtutis viderit imitatores, & eadem auiditate carnis suæ prædæ inhiantes, quâ eidem ipsimet inhiauit. *Desiderio*, inquit, *desiderrui hoc pascha manducare*

vobiscum. Si pari illius edendi flagremus deside rio, paternæ nobilitatis indubi-tum specimen edemus. *Contemptum solùm non vult iste cibus sicut neque manna fastidium*, ait August. ep 118. ad Ianuar. *Nemo igitur nauseans accedat, nemo remissus, sed excitati, incensi, ac feruentes omnes*, clamat Chrysost. ho. 83. in Matth. meritò quidem, quoniam *probat ardor edendi legitimos*.



EMBLEMA LXXV.
CHAMÆLEO ANGVEM DEMISSA IN CAPVT EIVS GVTTVLA ENECANS.



Hostiles colubros pendente chamæleo filo,
Cuius in extremo est lucida gutta, necat.
Quempiam apricantem frondente sub arbore nactus,
Scandit, & inuisum sauciat inde caput.

Mirum! de minimâ monſtrum crudele perire
Stillula: at in minimis vis quoque magna latet.

APODOSIS.

Tartareus crucis ante pedem tunc aſtitit anguis,
Cum penderet in hoc ſtipite noſtra ſalus.
E cruce diſtillans pretioſi gutta cruoris,
Hoc ſcelus attriuit quod caput hoſtis erat.
Vna trucidando ſi ſtillula ſufficit angui,
E cratere fluens quid cruor omnis aget?
Quot biberis guttas, tot huic potes addere plagas:
Pendula verborum ſtamine gutta necat.
Cur hoſtem timeas, calicis qui vincitur hauſtu?
Sponte peris, ſi nec fata, bibendo, fugis.

FONS EMBLEMATIS.

VEnenatorum ſerpentum hoſtem eſſe acerrimum chamaleonem aiunt. Is ex illis vnum quempiam ſpeculatus in vmbrâ captantem auras, aut in radiis apricantem, in eam ſcandit arborem quæ illi imminet: vnde ex ore filum demittit araneorum more, in cuius fili extremo guttula ſit margaritæ ſplendore; eâ tactum in vertice ſerpentem mori. Illud etiam admirabilius, ſi ad perpendiculum nequeat filium demittere, quòd minus ad amuſſim reſpondeat ramus in quo eſt, inferiori loco vbi cubat ſerpens; ita filum corrigere pedibus anterioribus, atque eius tractum temperare, vt ad lineam quaſi catheton deſcendat. Ita Scaliger de ſubtilitate ad Cardanum.

INTERPRETATIO.

1. VT per chamæleonem cœli rore victitantem, angueſque veneniferos naturali odio pro-

ſequentem, non incongruè Chriſtus adumbratur, ita ſerpentis hieroglyphico Dæmon aptiſſimè figuratur. Hinc vt obſeruauit Auguſt. l.14. de ciuit.c. 11. inter cæteras animantes *colubrum, animal ſcilicet lubricum, & tortuoſis anfractibus mobile, & operi ſuo congruum, per quem loquereretur elegit, eoque per angelicam præſentiam, præſtantioremque naturam ſpiritali nequitiâ ſibi ſubiecto, & tanquam inſtrumento abutens, fallaciam ſermocinatus eſt fœmina.* Huic porro pluribus aſtutiarum ſpiris, & ſinuoſis ſuggeſtionum voluminibus complicato ſerpenti, nihil fatalius & exitialius pretioſo Domini ſanguine, quo facilius opprimitur, quâm coluber ſtillatâ in ipſius caput, Chamæleonis ore, guttulâ ſplendidâ. Equidem hunc liquorẽ maximè pernicioſum eſſe neceſſe eſt, cuius non dico ſtillulam, ſed nec vmbratilem figurã ferre poſſit aduerſarius: quis enim vnquam vidit toxicum adeo præſentis noxæ, vt vmbrâ ſolâ mortales inficeret? at diuini ſanguinis vires ſic exhorreſcit Diabolus, vt ad ſolam illius vmbram timore concutiatur. Audiendus Chryſoſt. ho.*26*.in c. 11.ad Hebr. *Timuit illum ſanguinem* (Agni paſchalis) *Angelus; ſciebat enim cuius eſſet typus. horruit, dominicam mortem intelligens*, quæ per agni ſanguinem viuacius, quam per agnum ipſum repræſentatur: *propterea non tetigit poſtes. Dixit Moyſes, tingite, & vnxerunt, & ſecuri fuerunt: vos autem ipſius agni habentes ſanguinem, non confiditis.* Quod autem hic vaſtator Angelus primogenitorum Ægypti interfector, malus fuerit, affirmant Rupertus, Lyranus, & Abulenſis, & euincunt ex c. 12. Exod. 23. vbi dicitur: *non ſinet Dominus percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Ergo Dei populum cum Ægyptiorum primogenitis promiſcuè percutere moliebatur, quod &

libenter egiſſet, niſi Deus obſtitiſſet; quod de Angelo bono ſentire prorſus improbabile eſt. Quem igitur terrorem verus agni immortalis & glorioſi cruor noſtris ſtillans è calicibus Dæmonibus nunc incutiet, quam exitiales plagas auernalibus colubris infliget; quando vel vmbratilis illius typus ita principem eorum exterruit, vt nec poſtes Hebræorum, quorum cædem ſpirabat, auderet attingere?

2. Prætereà nullus hunc ſanguinem inferni ſerpenti lethiferum eſſe diſſitebitur, cuius gutta alterius ſanguinis fluuio permixta, ita ſaporem immutet, ita illius virtutem adaugeat; vt deinceps non minus toto illo ſanguinis fluuio crucietur inimicus, quam ipſiſſimo Domini ſanguine: atqui Dominicus ſanguis confeſſoribus martyrium ſubituris in ſacrâ menſâ propinatus, & cum ipſorum ſanguine confuſus, tantam aduerſus ſtygios angues contulit virtutem, vt illius è laniatis viſceribus difflui fulgorem ſuſtinere non poſſent, quaſi admixti Domini ſanguinis gloriâ & fulgetris excæcarentur. Ita docet Chryſoſt. hom. de ſanctis martyribus: *Sæpè numerò*, inquit, *ſub auroram ſolem orientem vidiſtis, & quaſi croceos radios emittentem; talia ſanctorum erant corpora, dum veluti quidam crocei radij viui ſanguinis vndique illis diffluerent, eorumque corpus multò quam cœlum ſol ipſe ſplendidius illuſtrarent. Vidit hunc ſanguinem, horruitque diabolus: recordatus quippe eſt alterius ſanguinis dominici, qui propter illum ſanguinem hîc effluxit: ex quo enim* Domini *latus apertum eſt, ſexcenta deinde latera effoſſa contueris.* Cur verò ad martyrum ſanguinis aſpectum, illico cruoris dominici recordatus eſt inimicus, niſi quia non prius ſuum ſanguinem effundere ſolerent martyres, quam ex Euchariſtico calice glorioſum Chriſti cruorē hauſiſſent,

ſiſſent, vnde mirabilis in ſuum ſanguinem fulgor deriuabatur. quo ſerpentis pupilla peſtringeretur? Sic enim aſſerit Cypr. ep. 54. *Quomo docemus*, inquit, *aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* Feruebat igitur & fulgebat martyrum ſanguis è vulneribus effluens, quia feruido fulgidoque Chriſti cruore temperatus; nec eum ſic temperatum aſpicere poterat Diabolus, quin Dominici ſanguinis, quo triumphatus eſt, remini ſceretur. Id etiam ſatis inſinuat Chryſologus ſer. 154. vbi ſic de Protomartyre diſſerit: *Stephanus purpuratum duxit exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine ſanguinem ſuum auidus bellator effudit.* Cur enim inuincibilis leuita tam alacriter ſuum effudit ſanguinem, niſi quia eodem die Dominicum hauſerat, quem ex officio, Diaconi fidelibus ſolent porrigere, prius auidus calicis Euchariſtici potator, quàm auidus bellator, prius intus Domini cruore ruſſatus, quam extus proprio purpuratus.

3. Quòd ſi ſanguis martyrum Dominico permixtus adeò ſtygium ſerpentem excruciat, quid de puro defœcatoque & nulli alteri confuſo cruore ſentire par eſt? niſi quod illius ſtillula quæ ſufficit ad omne ſcelus abluendum, ſufficiat pariter ad eius caput conterendum. Caput enim ſerpentis peccatum eſt, quod adorando cruore deletum eſt. De quo Auguſt. l 3. de verbis Domini: *Fuſus eſt ſanguis Redemptoris, & deleta eſt cautio debitoris: ipſe eſt ſanguis qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum.* Vt igitur Chamaleo quempiam colubrum in arboris vmbrâ ſpeculatus, confeſtim in arborem aſcendit: vt inde ſtillatâ guttulâ commodius hoſtile caput inficiat, & perimat; ita Chriſtus infernalem

anguem & nobis & ipſi inſidiantem intuens, arborem crucis conſcendit, vt effuſo ſanguine lethalem plagam infligeret. Quod & quotidie rurſus exequitur, dum in incruentas aras exaltatus exitialem diabolis ſanguinem è ſacro cratere diſtillat, cuius gutta ſufficiat ad caput illius conterendum. Quod eſt caput eius? diſce ab Auguſt. in Pſal. 48. *Caput illius eſt initium malæ ſuggeſtionis; quando incipit mala ſuggerere, tunc repelle, antequam ſurgat delectatio, & ſequatur conſenſus; itaque vitabis caput eius.* At quid potentius diuino ſanguine ad impediendum ſuggeſtioni conſenſum? Nempe *vna opprimit hoſtem guttula.*



EMBLEMA LXXVI.
LACERTVS COECV-TIENS A SOLE ORIENTE ILLVMINATVS



Longa senectutis perpessus damna lacertus,
Caligante oculo vix alimenta videt.
Doctus at instinctu naturæ, solis adorat
Lumen, & hac tenebras dissipat arte suas.

Cœcus an ille miser, cui Sol dignatur amicâ
Collyrium excellens suppedicate face?

APODOSIS.

Obtuso fidei visu peccator in arâ
Pronus, ad æterni lumina Solis hiet.
Gratiæ inexaustâ depromet origine lucem
Mentis, & æthereas ebibet ore faces.
Ambiat his rabiis oculari cæcus, vt vmbras
Numinis occulti lux pretiosa fuget.
Illustres tenebræ, quæ pelli hoc Sole merentur,
Quo procul, in tenebris aula superna foret!
Fatales tenebræ, quas nec Sol ille repellit,
Quo perit vmbra soli, quo nitet aula poli.

FONS EMBLEMATIS.

QVum lacerti in senectâ oculi excœcantur intrat in foramen parietis contra Orientem, & ad ortum solis intendens illuminatur. Ita Isidorus relatus à Gesnero in lacerto. Hoc si verum est, inquit Albertus M. obtenebrationis oculorum causa fuerit frigiditas constringens humorem oculi, quem calor lucis solaris dissoluit, & attenuat, & sic visum restituit. Audiendus S.Epiphanius: Lacerta solaris, ait in Sampsæis hæreticis, vbi per tempus hebetem visum habuit, per conuersionem ad solem oculos rursus leuat, dum in latibulo ad Orientem conuerso seipsam apprimit, & ieiuna se ad Orientem conuertit. Certè Plinius l. 8. c. 27. scribit serpentem hybernâ latebrâ visu obscurato, marathro herbæ sese affricantem oculos inungere, ac refouere. Anguibus enim diuturniori latebrâ solet visus obscurari, vt plerique etiam excæcentur.

INTERPRETATIO.

1. QVod agit instinctu naturæ lacertus cæcutiens, vt hybernâ, verno tempore, prodiens latebrâ, primùm aliquandiu ieiunet, mox apricans sese nascentis solis radiis exponat, quorum ardore dissoluatur oculorum humor diutino gelu constrictus; idem fere caliganti animæ ad visum interiorem recuperandum, faciendum censeo, vt primum ieiuniis scelera sua, ex quibus nata est cæcitas, expiet; deinde solis Eucharistici iubar auidâ mente suscipiat & adoret. Omnis homo cæcus nascitur, quia culpæ originalis tenebris inuolutus concipitur; quibus si funestiores actualis peccati tenebræ succedant, quis eum duplici cæcitate percussum inficietur? eapropter vt cum Augustino loquar in Ps. 56. *Veritas carne contecta venit ad nos, & sanauit per carnem suam oculum interiorem cordis nostri, vt eam postea facie ad faciem videre possimus.* Si per carnem suam interiorem cordis sanauit oculũ, igitur cæcutientes animas ad solis Eucharistici, in quo gloriosa caro sole splendidius rutilat, hiare radios conuenit; vt ex iis cœleste sibi collyrium componant. Quòd enim sacra ipsius caro secretam illuminandi vim habeat, cæci nati illuminatione satis expressit, dum luto de terrâ, saliuâque facto caligantes oculos invnxit, terra siquidem carnem, saliua Verbi hypostasim adumbrabat, vt obseruauit August. l.50.hom.43. *Totus mundus*, ait, *cæcus est, ideo venit Dominus illuminator, quia* Diabolus *fuerat excæcator: omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ergo ad illuminatorem, currant, credant, accipiant lutum de saliuâ factum. Saliua quasi Verbum est, terra caro est.* Cui accinens S. Chrysologus ser. 176. ait: *Dominico*

ſputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore lucife-ram dat ſaliuam; vt ſancti roris gutta baptiſaret oculos peccatoris; vt aperiat venia, quos clauſerat culpa. Itaque glorioſa ipſius humanitas verè eſt cæcorum illuminatrix, quamuis non illuminet, niſi prius à Verbo, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminetur. Vnde ipſa lumen illuminatum eſt; Verbum verò lumen illuminans, omnis fons luminis, ſine quo quæuis creatura tenebreſcit.

2. Porrò vtrumque lumen tam illuminans Verbi, quam illuminatum carnis complectitur ſol Eucharisticus, quod in eo reſplendeat hinc illuminans diuinitas; hinc illuminata humanitas, de quo idem ac Auguſtinus de Deo ſer. 256. de tēpore, pronuntio: *Deus eſt lumen, nos ſine illo tenebræ; ſi ab eo receſſeris, in tuis tenebris remanebis: ſi acceſſeris, non de tuo lucebis.* Fuiſtis enim, *ait Apoſtolus*, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Si ergo lux in Domino, ergo tenebræ ſine Domino, Accedite ad eum, & illuminamini.* Si naturâ tenebræ ſimus, Chriſti gratiâ lux erimus: ſi cæci naſcamur, ſolis Euchariſtici afflatu colluſtrabimur; ſi cæcutientes accedamus, videntes recedemus. Sed accedamus cum verâ fide, vt flammeis eius radiis accendamur charitate; quiſquis enim ad illum non vt ſanetur, ſed vt illum ſcrutetur accedit, non illuminatur, ſed excæcatur; non inardeſcit, ſed infrigeſcit. Si quidem teſte Cypriano de Cœna Domini: *Veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit, & cùm in ſolem vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata eſt non illuminata humana præſumptio, & aſpectu eius lippitudo inhæſit. Vident hæc Sacramenta pauperes ſpiritu.* Hinc eſt quod illi Diſcipuli qui, vt refertur Ioan. 6. Domino corporis & ſan-

guinis ſui myſteria prædicante ſcandalizati receſſerunt, iſtius ſolis intuitu excæcati ſunt, quòd curioſius illum ſcrutari maluerint, quàm ab eo ſanari. Apoſtoli verò quia tantum lumen mirari maluere, quàm rimari, ab eodem illuminari meruerunt, & illius intelligentiā percipere. Nec enim illud intelligere meruiſſent, niſi prius mente docili credidiſſent; quod fides debeat præcedere intellectum, vt ſit intellectus fidei præmium. Cæci quodammodo erant, quia myſterium à Domino prædicatum non intelligebant; ſed illuminari meruerunt, quia ſimpliciter crediderunt, & fides iis aperuit intellectũ, quam aliis infidelitas clauſit. Sic etiam illi duo diſcipuli euntes in Emaüs quodammodo cæcutiebant, quandoquidem tenebantur eorum oculi, ne Dominum agnoſcerent; quia tamen ipſius verbis crediderunt, in fractione panis Euchariſtici, diuini ſolis afflatu illuminati ſunt. De quibus ita diſſerit Auguſt. tract. 2. in epiſt. Ioan. *Diſcipuli ergo eum non agnouerunt, niſi in fractione panis. Et verè qui non ſibi iudicium manducat & bibit, in fractione panis Chriſtum agnoſcit. Meritò carnem ipſam cum commendaret, panem fregit, & meritò in fractione panis aperti ſunt oculi diſcipulorum, & agnouerunt eum.* Vtique ſolis Euchariſtici lumine colluſtrati, quo deſtituti cæcutiebant.

3. Enimuerò quis Chriſtum nunc inenarrabili gloriâ in Sacramento coronatum, iuſtitiæ ſolem eſſe ambigat, cùm vel cruci affixus, ſpinis redimitus, ſputis opertus, denique crudeli laniena deformatus, nihilominus ab Athanaſio ſoli comparetur. Cauſam enim inquirens prodigioſæ illius eclipſis, quæ Domino in extremis agente contigit, non aliam profert; niſi quod æterno gratiæ ſole ſurgente, minus materialis ſolis iubar cedere debuit maio-

ri. Sic enim loquitur expendens hæc verba: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Solis inſtar Dominus exoritur illuſtrans vniuſcuiuſque animum. Quocirca in ſalutiferâ paſſione non apparuit ſol, indicans finem prioris creaturæ, & principium alterius quæ diluculum in Saluatore conſecuta eſt, vnde Zachar. 6. dicitur: Ecce vir oriens.* Quod ſi Chriſtus inter lethiferas conuulſiones ſolis inſtar effulſit in Caluariâ, & innumerabiles cæcos erumpentibus ex hiulco corpore radiis illuminauit; quæ gloriæ fulgetra, quas amoris faces vibrabit in Euchariſtiâ, quam Honorius tertius cap. ſanè cum olim; de celebratione Miſſarum emphaticè vocat, *Candorem lucis æternæ.* Itaque quoties interior mihi mentis oculus caligat, quoties refrigeſcere incipit charitas ad hunc ſolem non minus feruidum, quam ſplendidum, illuminandus & inflammandus accedo, ac inſtar lacerti cæcutientis *oſculari ardoribus eius ambio.*



INSECTA.

EMBLEMA LXXVII.

BOMBYX SVO IN OPERE DELITESCENS.



HVmani feruore sinus exclusus in auras
Prodit vbi bombyx, paruaque membra mouet.
Transit in erucam sensim, morique tenellâ
Fronde satur, ligno pendulus vrget opus.

Materiem ſed vincit opus, pars extima villis
Aſpera, ſericeas intima claudit opes.
Mirus nendi opifex telam conformat in ouum,
Vnde ſibi thalamum conſtruit, & tumulum.
Delitet eximius pretioſo in vellere textor,
Artem prodit opus, condit at artificem.

APODOSIS.

Ad mortem properans Ieſus, Bombycis ad inſtar,
Exiguo immenſas cortice clauſit opes.
Vela Sacramenti ceu ſtantia fila tetendit,
Abſtulit & fulcrum, quò mage mira forent.
Telam orditur amor, quam conſummaret amoris
Victima, ſub tenui tegmine tota latens.
Ars diuina patet ſæclis miranda futuris,
Authoremque ſuum nobile celat opus.
Hôc opus eſt mirabilius, quò detegit artem,
Atque ſuum velis integit artificem.

FONS EMBLEMATIS.

VErmes ſericei opifices in cœnaculo amplo, ſuper menſis terſis & mundis arborum fronde conſtratis collocantur, aluntur que renouatis quotidie foliis ac recentibus. Qua in re videndum eſt, vt quàm mundiſſima ſit ſedes, quoniam eleganti nitidoque domicilio potiſſimum hoc animal gaudet. Tranſactis aliquot diebus, cum iam frondis & pabuli ſatietas eſt, appoſitis ramalibus geniſtæ præſertim, quibus ob ſcabritiem filum tenacius adhæreſcit, per ea repentes, è pabuloque diſcedentes, nere incipiunt, ac velut in ſolio quodã ac ſepulchro ſe recondere. Filum verò ex eorum corpore prodit, vt in araneis. Exterior pars eius ſtructuræ, villis ſericeis luteis congeſtis ſemper hirſuta eſt, perinde

ac ſi circundata foret lanâ hiſpidâ, interior ſpiſſatur, & dureſcit ad corticis modum, complanaturque ouatâ figurâ, ad animalis intus iacentis, & papilionem vt pariat, ſeſe componentis capacitatem & formam. Si corticem cultello diſcindas, erucam compreſſam pellucidâ membranâ contectam effigie quadam puelluli in vtero concepti aſpicies. Lanificium cùm eſt abſolutum, nec quicquam prætereà velleris ſperatur; artifices ouatos illos folliculos ad apricum ſolem & æſtuoſum expandunt, vt eius feruore pereat eruca intus deliteſcens, vel in furno torrent: ſic enim lana tenuior delicatiorque carpitur; craſſeſcens & lautioribus texturis inutilis, ſi expectatur quoad pennatus vermis exeſo conditorio prorumpat. Poſt quadrageſimum diem quam eruca ſe abdidit, & in bombylium mutata eſt, ſubnaſcens papilio nimirum cornutus vermis, & quatuor alis pennatus, tum ſuccum exhaurit qui mollitiem velleri præbet, tum exeſo folliculo vt exitum ſibi quærat, velleris extrinſecus incumbentis filum proſcindit. Papiliones necydalos vocat Ariſtoteles, veluti rediuiuos, morte liberatos, ac vitæ reſtitutos. Vbi prouolarunt necydali, & per aliquot dies huc illuc luſitantes, cœloque reddito fruentes ſunt euagati; eorum tum quiſque alteri ſe applicat, mas, vt arbitror, fœminæ, quo complexu aliquandiu cohærentes, oua edunt nigra rotunda, minuta, quæ in prouentum & fœtum anni proximi ſeruantur. Hoc ſemine reddito, à partu mox contabeſcunt, ac pereunt. Atque hæc eſt prorſus admirabilis, ac paucis explorata Bombycum procreatio. Hactenus Dalechampius annotatione in c. 23. lib. 11. Plinij.

INTERPRETATIO.

2. QVis in Bombyce peregregium non deprehendat Christi tum nascentis, tum patientis, tum resurgentis, potissimum verò sub Eucharisticis speciebus delitescentis hieroglyphicum? Vermiculus subnascens adeo minutus vt conspectum fugiat, illum exprimit qui de se dixit: *Ego sum vermis & non homo*, quippe conceptionis instanti ita tenuis apparuit, vt de eo Magister l.3. sentent. dist. 3. scribat: *Membrorum illius Dominici corporis distinctio in ipso momento conceptionis, & vnionis Dei & hominis, adeo tenuis erat & parua, vt humano visui vix posset subiici.* Bombyx humani tepore sinus excluditur: Christus Virginei sinus calore castifico conceptus nascitur. Vermiculo recenter edito, folia & herbæ subiiciuntur; Nato Domino fœnum in præsepi substernitur. Bombyx paulatim grandescit, donec sericeus euadat opifex: sensim creuit Iesulus, donec Paternâ voce declararetur Dei filius. Bombyx eleganti nitidoque gaudet domicilio: Christus mundum corpus, nitidam animam exigit. Bombyx cum iam cibi, quem in amplo cœnaculo super mensâ tersâ, mundâque sumpsit, satietas est, illico ramale, vnde se suspendat, ascendit, moxque se sepulchro recondit: Christus in grandi stratoque cœnaculo, proprio corpore pastus, super Eucharisticâ mensâ, ramale crucis ascendit, deinde nouo tumulo reconditus est. Post quadragesimum diem è sericeo cortice candidus erumpit papilio quatuor alis pennatus: post quadraginta horas è tumulo prodiit Christus rediuiuus, gloriæ candore splendidus, quatuor niueis impassibilitatis, agilitatis, subtilitatis & claritatis alis conspicuus, quibus Empyrei

apicem quadragesimo die inuolauit. Sed prȩstat audire Basilium hom. 8. in hexaem. *Quid dicitis vos, quæso, qui diuo Paulo non creditis, de eâ mutatione, quam in resurrectione fore dicit, qui plerasque videtis aëris animantes formas permutàre; qualia de verme quoque illo Indico cornua protendenti gemina narrari solent. Hinc in erucam vertitur primum, fit deinde temporis progressu id quod bombyx appellatur: at neque hac in formâ persistit, sed illis præmollibus corniculorum bracteolis sese sensim prolatantibus in alarum speciem, ita demum fit volucris.*

2. Verum tribus potissimum immorot à Dalechampio supra memoratis. Primũ est quòd in amplo cœnaculo super mẽsâ tersâ nutriatur bombyx, quòd nitido gaudeat domicilio; quo nihil aptius ad magnificum institutionis Eucharistiæ apparatum exprimendum. Iussit quippe Dominus Luc. 22.12. duobus discipulis, vt in grandi stratoque cœnaculo, super mensâ mundissimâ pascha sibi præpararent, regalem non figuræ, sed veritati præexigens apparatum, quod eleganti nitidoque delectetur habitaculo. Ad cuius munditiem Christianum his hortatur verbis Laur. Iustinianus de triũphali Christi agone c. 1. *Sectare virtutes, concupisce cœlestia vasa orationis, laudis exolue sacrificium, vt spirituale cœnaculum fias, de ipso omnem elimina sordem, cunctasque maculas absterge, vt stratum sit. Vtrinque conueniunt, ambo sibi inuicem famulantur puritas & charitas; vbi enim mentis est puritas, ibi frequens exultatio est, deuotionis gustus, fraternitatis dilectio, animi tranquillitas, sanctarum cogitationum aggregatio: & perpetuæ charitatis dulcis inhæsio. Vbi verò dominatur charitatis incendium, ibi vitiorum rubigo consumpta est, ibi castitatis pollet dilectio, innocentiæ rutilat candor, supernorum cantica celebrantur, lætitiæ riuus & puritatis fons emanare non desinit. Ista nempe sunt orna-*

menta mentis , hæc est spiritalis cœnaculi acceptabilis præparatio. Secundum est quod si quis cultello sericeũ corticem discindat, bombycem pellucidâ membranâ contectum , effigie quadam puelluli in vtero concepti conspiciet. Quod aptissimè quadrat in Dominum sub accidentium cortice delitescentem. Etenim si viuæ fidei gladio hunc corticem aperias, Christum ibidem quiescẽtem intueberis, qui sæpius præcipuis Sacramenti cultoribus sese sub infantis pulcherrimi specie videndum præbuit. Sic apud Paschasium l. de corpore Christi c. 14. pio cuidam Sacerdoti, Christus se in speciosissimi pueruli formâ tractandum & amplectendum præbuit, moxque se eius conspectui subduxit, & priorem hostiæ formam resumpsit. Quamuis enim talis ac tantus in Sacramento sit, qualis & quantus in cœlo, in istis tamen apparitionibus infantilem formam virili prælegit, vtpote suauiorem, amabiliorem, & puerilis innocentiæ, candoris, simplicitatis, mansuetudinis aptiorem præconem.

3. Postremum est in ipso Bombycis opere, patere quidem artem, at ipsum latere artificem; vnde eruta est huius emblematis epigraphe. Mirabilis Eucharistici operis structura diuinam satis industriã declarat, sed Dominũ illius authorem occultat; qua in re cætera diuinitatis opera transcendit. Quippe, secundum Apostolum: *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & Diuinitas.* Vt enim si quis vidisset Archimedis sphæram, opus esse rationis dixisset, etsi non vidisset artificem; ita quisquis huius vniuersi contemplatur ordinem, etiamsi Deum non intueatur, agnoscit nihilominus supremam intelligentiam illius esse opificem. Sic olim Apellis tabellę facile ab alie-

nis,ex gratiâ quadam ſingulari, in quа vnâ neminem ſibi parem haberet, dignoſcebantur. Verùm vnicum Euchariſtiæ opus id habet omnino ſingulare,quod ita Sacramentalibus vmbris ſuum inuoluat artificem, vt nullatenus agnoſci poſſit à nobis niſi per fidem,cui proinde mirificè conuenit hæc Auguſtini ſententia tract. 28. in Ioan. S*i non intelligis, crede : intellectus enim merces eſt fidei. Ergo noli quærere intelligere, vt credas, ſed crede, vt intelligas.* Opus Euchariſtiæ omni ex parte admirandum, incomparabile ſummi opificis ſpecimen, vtpote contractam totius Empyrei gloriam, ac maieſtatem, verum Deum & hominem, quatuor Naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypoſtaticæ gradus, virtutes & gratias, & excellentiora fidei myſteria complectens; ſudatiſſimum diuini amoris opus, miraculorum planè maximum, cui Dominus moribundus totâ mente, totâ incubuit induſtriâ. Quid enim in eo non præſtans, & angelorum admiratione digniſſimum? panis annihilatio, Chriſti reproductio, corporis quanti ad modum rei ſpiritalis poſitio, & eiuſdem in pluribus altaribus replicatio, accidentium ſine fulcro exiſtentia, nonne mirabilia ſunt, & totidem diuinæ ſapientiæ, poteſtatiſque ſpecimina? ſed niſi fidei oculo corticem penetres, nunquam illius authorem deprehendes: quid enim quoad externam ſpeciem vilius? Nimirum ſub humili ſpecierum cortice latere voluit eximius opifex, vt inſignes viros edoceret ſua magis tegere, quàm prodere opera, latebram potius ambire, quàm gloriam, vt ſic illius exemplo, ſuis in operibus operarij deliteſcant. Creſcit enim valor operis ex latebrâ opificis, tantóque Deo eſt pretioſius, quanto ſuo authori videtur vilius. Appoſitè Bernardus ſer. 2. de Epipha-

niâ: *Christus cum seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloriâ, qui est gloria Patris? vtique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illâ, quibus nouerat esse timendum, nobis cauebat, nos instruebat.* Cui subscribens Gregor. M. l. 19. mor. c. 18. *Seruis suis*, inquit, *exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, & bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio: necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit vtilitas aliena.* Sic pateat igitur bonum opus coram hominibus, vt si fieri possit lateat operarius; sic de manifesto opere Deus exaltetur, vt de occulto authore homo humilietur. Sic in bono opere diuina reluceat industria, vt nihil humana sibi tribuat superbia: vt de eo veraciter asseri possit: *opus explicat artem, implicat artificem.*



EMBLEMA

EMBLEMA LXXVIII.
LEONTOPHONON
POLENTA INCRVSTATVM,
LEONEM INTERIMENS.



CArne Leontophoni rumpuntur sæua Leonum
Viscera; quanta, animans paruula, monstra necat.
Hinc subodoratæ latitans in carne venenum
Immanes laniant membra inimica feræ.

Sparſa tamen Maurus leget, incruſtatque farinâ;
Vnde leoninæ ſtirpi inopina lues.

APODOSIS.

Iure Leontophonon Dominum ſub pane latentem
Dixeris: Inferni quem fera monſtra timent.
Clauſus in exili buccellâ viſcera Iudæ
Rumpit, Auernales exanimatque feras.
Carne perit Sathanas, hominem qui carne peremit:
Carne triumphatus, carne triumphat homo.
Tartarei quid adhuc furias vereare Leonis?
Quando Leontophonon, quo laniatur, habes.

FONS EMBLEMATIS.

LEontophonon accipimus vocari animal paruum, nec alibi naſcens, quam vbi leo gignitur; quo guſtato, tanta illa vis, ac cæteris quadrupedum imperitans ilico expiret. Ergo corpus eius aduſtum aſpergunt alij carnibus, polentæ modo, inſidiantes feræ, necantque etiam cinere: tam contraria eſt peſtis. Haud immeritò igitur odit leo, viſumque frangit, & citra morſum exanimat. Ille contra vrinam ſpargit prudens, hanc quoque leoni extialem. Ita Plinius l. 8. c. 38. eademque ſcribit Solinus c. 30. Ariſtoteles verò in mirandis narrationibus refert in Syriâ eſſe animalculum, quod leontophonon vocatur, quod leonem in cibo ſumptum enecet. Sumit autem leo non ſponte, ſed fugit hoc animal: at Venatores captum à ſe, toſtumque albæ polentæ inſtar, alteri cuipiam animali inſpergunt, vnde feram, ſi quæ guſtauerit, perire aiunt continuò.

INTERPRETATIO.

1. ERuditè Greg. Nazianzenus orat 39. in ſancta lumina: *Quoniam*, inquit, *Dæmon vitij parens*

& effector, ideo se inuicto quodam robore præditum esse existimabat, quia nos Diuinitatis spe obiectâ, tanquam illecebrâ quadam, in fraudem induxerat: eâ de causâ ipse quoque prætextu carnis inescatur, vt dum quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat, atque ita nouus Adamus pristinæ saluti, atque incolumitati veterem asserat, sententiaque aduersus carnem pronuntiata rescindatur, morte nimirum à carne oppressâ, atque extinctâ. Hinc Tartareus leo Christi non minus quàm leontophoni carnem sibi lethiferam exitialemque persentiens, & latitans in eâ venenum subodoratus, illam implacabili persequitur odio, atque vt leontophonon leo pedum nisibus laniat, sic per Sacramentarios sacratissimam hostiam, citra morsum, vel vnguibus discerpsit, vel pedibus proculcauit, vel canibus lacerandam obiecit; vt olim fecere Donatistæ, & recentius Caluinistæ, qui referente Rossæo lib. de iustâ Reipub. authoritate, in Ecclesiam diœcesis Carnotensis, vbi Sacerdos incruentum offerebat sacrificium, irrumpentes, proculcatâ pedibus hostiâ, effusoque in terram pretioso sanguine, calice loco matulæ abutentes, & Sacerdotem ad vrinam bibendam adigentes, mox eumdem simul cum crucifixi imagine fune colligatum multis sclopetorum glandibus transfixerunt. An non hæc execranda non sine horrore legens sacrilegia, tibi videre videris rabidos leones leontophonon vnguibus, citra morsum, discerpentes? An non hæretici Inferni leonis vngues dici possunt, quibus exitiale sibi Sacramentum inauditâ rabie lacerauit? meritò igitur Smidelinus Lutheranus ait: *Spiritus Caluinisticus mendax est, homicida, ater, pessimus, fugitiuus, lubricus, diabolicus, falsus, furiosus, verbosus, crassus, cæcus. Caluinismus, Arianismus, Mahumetismus fratres sunt,*

tres caligæ eiusdem panni, camarina in quam multæ hæreses confluxerunt, vltima Sathanæ ira. Quô enim vlterius pertingere posset ira Sathanæ, quàm vt hæc inaudita sacrilegia perpetraret? Smidelino subcribit Lutherus l. 1. contra Goldastum c. 12. *Caluinistæ, ait, sunt fanatici, progenies viperina, animicidæ, impij, blasphemi, deceptores, sanguinarij, infernales molossi, Turcæ à Sathana missi & obsessi, Mahumetani baptisati, perdiabolati, transdiabolati, superdiabolati.* Nihil addo quia omnibus numeris Sacramentariorum iconem absoluit. Nec mihi succenseant si eos stygij leonis vngues appellem; quandoquidem eiusdē Draconis squamæ ab ipsis Lutheranis nominentur. His enim verbis Augustanæ confessionis historiam terminant: *Deo soli gloria, Diabolo & squamis ipsius Sacramentariis Zuinglianis, & Caluinianis perpetua confusio & ignominia.*

2. Cæterum implacabilis illa leonis inferni rabies, & odium quod in adorabilem hostiam per impios exequitur, satis indicat leontophonon in eius perniciem natum sub eadem delitescere, cuius carne, quasi præsentis noxæ veneno, non secus ac perfidus Iudas disrumpatur, cuius odore longius abigatur. Quod olim Deus promiserat Leuit. 26. 5. *Comedetis panem vestrum in saturitate*, id est, Lyrano interprete, *panem Eucharistiæ, qui dat hîc plenitudinem gratiæ, & postea satietatem gloriæ.* Sed quid ex Eucharistici panis esu consequetur? *Auferā malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros,* id est, ait Lyranus, *aufferam Dæmonum furias, quorum per Christum restricta est potestas, & Dæmonum virtus non præualebit super vos.* Nempe minimâ venerabilis hostiæ particulâ, veluti leontophoni cinere, laniatur immanis leo, ac sæuissimè cruciatur, quòd superbiâ turgidus, Salua-

toris in Sacramento exinaniti nõ sustineat humilitatem; quantumque carnem nostram impuram, vt escam suo palato congruentem olim appetiit, tantum virginalem Domini carnem nunc execratur & abhorret; nouit enim suum in eâ latere exitium, & suarum suggestionum remedium, vt qui carne prius triumphauerat, modò carne triumphetur. Tertullianus l. ad martyres c. 1. eorum victorias exaggerat, quòd diabolum in propriâ domo, hoc est, in carcere gentilium Dæmonum & malefactorum domicilio conculcarent. *Domus*, inquit, *Diaboli est & carcer, in quâ familiam suam continet Sed vos ideo in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo suâ conculcetis: iam enim foris congressi conculcaueratis.* Verùm eò gloriosior Christi & diabolo triumphus, quò nunc illum in propriâ domo conculcet; quænam propria domus illius, nisi Adæ caro, quâ velut carcere miseras animas captiuas tyrannicè detinebat? at vbi à Verbo assumpta est caro, de propriâ domo eiectus est, & in ipsamet carne conculcatus, quâ posteros Adæ subiugarat. Enimuerò cur crudelis bellua à viuâ & immortali, triumphantis Domini carne non abhorreret, cum sic arida sanctorum ossa, & cineres exhorrescat, vt indè dirissimè torqueatur. Audi Chrysost. ho. 26. in 2. ad Corinth. *Sanctorum ossa dæmones sistunt & torquent, cùm nullus videatur, nullus immineat* Dæmonis *lateribus: audiuntur tamen clamores, dilacerationes, flagella, tormenta, Dæmone non ferente admirandam illam virtutem; & qui corpora gestarunt, incorporeas superant potestates. Puluis, ossa, cineres inuisibiles illas affligunt naturas.* Itane verò torqueretur sancti alicuius cinere, nec glorioso sancti sanctorum corpore cruciaretur?

3. Propterea D. Thomas expendens illud Ioan.


13. 30. *cum accepiſſet buccellam*, dæmonem ait non permiſiſſe Iudæ proditori, vt acceptam buccellam ſtomacho ſuſciperet, ne confeſtim ipſe eodem loco cedere vi Sacramenti cogeretur, tanta eſt inter vtrumque antipathia. *Diabolus, inquit, qui iam intrauerat in cor Iudæ, timens ne ſi panem comederet, eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum Ieſu conſiſtere, non permiſit Iudam panem comedere: quæ enim conuentio* C*hriſti ad Belial?* Multa quidem in huiuſce antipathiæ confirmationem huc adduci poſſent exempla. Vnicum profero à Pico Mirandul. lib de ſtrigibus relatum, de nonnullo ſimplici Sacerdote, qui viaticum corporis Chriſti collo ſuſpenſum, ad ægrum deferens, & cuiuſdam obuij fraude, in conuentum ſtrigum ilico deductus, in quo regina pro ſolio ſedens, à præſentibus humi ſeſe proſternentibus adorabatur: cum eam Deiparam eſſe putaret, acceſſit poſt reliquos adoraturus, & arculam ſanctiſſimi Sacramenti collo detractam, in illius gremio depoſuit. Quo facto omnis illa mirabilis ſpectaculi pompa confeſtim euanuit. Nimirum ſicut guſtata leontophoni carne, *tãta illa vis leonis*, inquit Plinius, *ac cæteris quadrupedum imperitans ilico expirat:* Ita leo ſtygius tot magis, & ſtrigibus imperitans, ad adorabilis hoſtiæ contactum, protinus auffugit, erupit, expirauit. Nec indignum obſeruatu cenſeo leontophonum nõ ſolum ex ſe leonẽ interimere, verum & eam lem vim habere alteri cuipiam animali inſperſum, adeo vt ſi feram ipſius carne paſtam leo deuoret, repentinâ morte corruat. Vt inde Chriſtianus intelligat, dæmonem non tantum à noſtris ſacrariis, virtute corporis Chriſti ibidem præſentis arceri, verùm inſuper à quolibet diuinâ carne ſaginato profligari: nihil enim magis extimet, quàm homi-

nem Sacramento refectum, adeo vt non minus ab eius accessu, quàm leo à leontophoni morsu abhorreat. Immò verò audacter assero Christi carnem magis excruciare dæmonem nostro pectore reconditam, quàm in altaris solio residentem, quòd incredibilis illius virtus ipso potissimum vsu comprobetur. Rugire igitur poterit, & fidelem Christophorum à longè sollicitare, mordere nusquam audebit, ne latitante mystici leontophoni carne disrumpatur, qui *sub pane latens euiscerat hostem.*



EMBLEMA LXXIX.

PYRAVSTA IN CYPRIIS FORNACIBVS NATA, FLAMMIS VICTITANS.



SVggerit igni genis fornax alimenta Pyraustis;
Præbuit his ortum, præbet & illa cibum.

APODOSIS.

Cum diuina caro fornax sit amoris; in eius
Nascitur ardenti multa pyrausta sinu.
Feruentes animas, totidem tibi finge pyraustas,
Quas immortali gignit, alitque foco.
Fornacis Deus ignis edax incendia nutrit,
Hic reperit cunas, atque pyrausta dapes.
Ni flammatus amor te fecerit ante pyraustam;
Fornacis rapidis immoriere rogis.

FONS EMBLEMATIS.

SCribit Aristoteles, l. 5. de anim. c. 19. fornaces ærarias Cypriæ insulæ, vbi Chalcites lapis crematur, bestiolas pennatas paulò muscis grandioribus maiores incolere, medio igne securas; adeo qui omnia consumit, nonnulla viuificat; namque exules rogis pereunt. Inimicum naturæ elementum, minutis naturis fauet. Est quod impune flammas violet. Cui subscribit Seneca, l. 5. nat. quæst. qu. 36. Plinius l. 11. c. 36. ait vocari pyrales, à quibusdam pyraustas, & quandiu sunt in igne viuere: cum euaserunt longiore paulò volatu, emori. Verum Nierembergius l. 4. c. 18. docet Pyraustas in igne quidem gigni, non tamen ex igne; quoniam fornacum ærariarum impurus ignis est, turbulentus vapore & halitu, quos fumus inuoluit, & quos emittunt metalla, & adusti lapides. Itaque ex aqueâ aut terreâ substantiâ ista animalia erumpunt, in medio ignis.

INTERPRETATIO.

1. D. P. Augustinus l. 21. de ciuit. c. 2. Ex pyraustis in igne nascentibus, nec nisi in igne viuentibus, probat viua reproborum corpora in æter-

norum ignium durare poſſe tormentis , ait enim *eſſe animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus viuant : nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum ſcaturigine reperiri, quarum feruorem nemo impune contrectat : illos autem non ſolum ſine vllâ ſui læſione , ibi eſſe , ſed extrà eſſe non poſſe. Quippe naturæ*, inquit infrà , *conuenientibus vegetantur illis, non cruciantur elementis. Quaſi non incredibilius ſit vegetari , quàm cruciari talibus rebus. Mirabile eſt enim dolere in ignibus, & tamen viuere ; ſed mirabilius viuere in ignibus , nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non & illud*? Quidni mihi liceat ex iiſdem animantibus ignigenis argumentum eruere, quo probem electorum animas in ardenti Ieſuanæ humanitatis fornace conceptas, non niſi in eadem poſſe viuere, aut aliunde quàm diuini amoris igne poſſe nutriri ; adeo vt longius ab Euc hariſticâ fornace auolantes emoriantur? quandoquidem illis huiuſmodi mortem Chriſtus interminetur Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis , non habebitis vitam in vobis.* Vitam verò æternam , ſi eâdem in fornace permaneant, polliceatur : *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Eſt ſanè charitatis fornax Euchariſtia , vndique flammas amoris eructans, quibus piæ mentes incaleſcunt & accenduntur : Nec id mirum , cum in eâ deliteſcat Diuinitas , quæ *ignis conſumens* Deuteron. 4. 24. & dicitur, & eſt. At ſi quis ad eam acceſſerit animam carnalium voluptatum fœno plenam deferens , ilico voracibus incendiis abſumetur ; qui verò , aut charitate auream, aut caſtitate argenteam, aut patientiâ adamantinam detulerit, cœleſtem inde ſplendorem mutuabitur, & æmulam futuræ gloriæ claritatem depromet. *An neſcitis*, inquit appoſitè Chry-


ſoſt. ho. de ſancto Philogonio, *quia hæc menſa plena eſt igne ſpirituali; & quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ita hæc flammam quandam arcanam? Ne igitur acceſſeris ſtipulam afferens, non ligna, non fœnum, ne augeas incendium, exuratque animam ad communionem accedentem: ſed accedens affer lapides pretioſos, aurum argentumque, quò puriorem reddat materiam, multoque cum lucro diſcedas, & ſi quid mali eſt, abigas omnino.* Nimirum, vt ait Apoſtolus 1. Cor. 3. *Si quis ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretïoſos, ligna, fœnum, ſtipulam; vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet; ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur.*

2. Itaque fornax Euchariſtica, quæ Pyrauſtas fouet & nutrit, paleas deuorat & abſumit. Quid parit pyrauſtas, niſi Chriſti charitas? Quid facit paleas, niſi mundi vanitas? ſi Chriſtiana charitas te pyrauſtam fecerit, ſecurus ad fornacem accede, illius igne purgaberis, illuminaberis, accenderis, nutrieris. Si mundana vanitas te paleam fecerit, eodem igne deuoraberis, & nigreſces. De hoc enim igne ſpiritali idem fere ſentio, ac de materiali Auguſtinus l. 21. de ciuit. c. 4. *Quo*, inquit, *quæque aduſta nigreſcunt, cùm ipſe ſit lucidus, & penè omnia quæ ambit & lambit colore pulcherrimo decolorat, atque ex prunâ fulgidâ carbonem teterrimum reddit. E contrario lapides igne candente percocti, & ipſi fiunt candidi.* Si lignum igitur aut palea fueris, igne Sacramentali quamuis candido & ſplendido nigreſces; ſi virtutum ſoliditate lapis extiteris, eodem igne candeſces, qui pro materiæ diuerſitate diuerſos & op-

positos sortitur effectus. Vt enim ignis fornacis Babylonicæ, tres admirabiles pueros, quos flammis crepitantibus coronabat, seruauit illæsos, Chaldæos ipsi pabula ministrantes, quamuis foris starent exussit & absumpsit: & vt cum Chrysostomo loquar hom. de tribus pueris: *Furatur pastus alienos incendium, nam consumpsit quos prope inuenit, quia ieiunat in suis; custodiam suam vehementer horrescens, ne iam faciat vel ipso fumo sanctis quos tuetur iniuriam, foris tantum ducit vrere*: Ita plane flamma fornacis Eucharisticæ feruentes animas quasi totidem pyraustas, & seruat inuiolabiles, & nutrit famescentes, & radiis coronat; sacrilegos verò ipsam irritantes, quamuis foris circunstent, deuorat & consumit. Meritò igitur Author libri de salutaribus documentis apud August. to. 4. sic infert c. 43. *Deus noster ignis consumens est, qui consumpturus est aduersarios. Accedamus ad Deum antequam consumamur ab illo; postulantes vri cor nostrum, & renes nostros. Et iterum: quoniam probasti nos Deus, & igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Apertissimè enim patet, quia si hîc ab illo non vrimur, illîc velut aduersarij consumemur.*

3. Sanctus Epiphanius l. de vitâ Prophetarum c. 5. scribit quod *quum Heliam eniteretur parens eius, eiusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri niueum quemdam præ se ferentes habitum pusionem salutabant, matrisque vberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis, cibi loco, ministrabant.* Vnde nihil mirum si flammâ pastus ab Angelis, totus igneus euaserit, & vt ait Ecclesiasticus c. 48. *Surrexerit quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat, si ter ignem de cœlo deiecerit, & receptus fuerit in turbine ignis in curru equorum igneorum.* Quid enim aliud

quàm faculas eructaret, flammâ pastus? quid euomeret nisi quod prius deglutierat? quid aliud quàm ignem vir igneus efflaret? Porrò Eucharistia ignis est deuorans, quo quisquis alitur, non secus ac Helias totus igniuomus euadit, vndique diuini faces amoris eructans. Et ne dubites nos in sacrâ synaxi flammâ pasci, ac igne cœlesti saginari, audi S. Ephrem l. de naturâ Dei non scrutandâ: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem quod fecit nobis, vnigenitus filius Christus Saluator noster, ignem & spiritum manducandum, ac bibendum præstitit nobis corpus scilicet & sanguinem suum.* Quidni enim corpus, quidni sanguis ille censeatur ignis, cum innumeris gloriæ rutilent ac corruscent fulgetris, ac sempiternos Empyrei ardores redoleant, eosque Eucharisticis conuiuis inspirent. Proinde mirari desino si plerique à sacrâ Communione recedentes flammas ore & naribus efflare visi sint, cùm amoris fornacem pectore gestarent, quin etiam B. Ida Louaniensis, vt in eius vita legitur, cap. 19. ita charitatis igne æstuabat hoc igne spiritali pasta, vt non solum ad eius præsentiam, sed vel ad solam illius memoriam totis artubus arderet. Siquidem aliquando conspiciens Virginem sacra complicantem corporalia, tanto feruore correpta est, vt omnia eius membra ardere viderentur. Iure igitur Chrysostomus hom. 61. ad pop. non ignarus nos igne pasci dum sacra mysteria percipimus, hortatur vt *tanquam leones ignem spirantes ab hac mensâ recedamus.* Æquum est enim vt corde & ore flammam eructet, qui flammiuomo Christi



corpore ſaginatur. Felices igitur animæ, quæ in ardenti Dominicæ humanitatis natæ fornace, eiuſdem igne ſpiritali fouentur, & nutriuntur, quibuſque veluti pyrauſtis in igne naſcentibus & igne veſcentibus, fornax *dat illa cibum, quæ præbuit ortum.*



EMBLEMA LXXX.

VERMIS CANDIDVS IN NIVE NASCENS, EIVSDEM ESV SENSIM PVRPVRASCENS.



CAndida vermiculo nix incunabula præbet,
Concolor hinc matri redditur, atque cibo.
Attamen hîc sensim rutilo se murice vestit,
Fulget & in mediâ purpura viua niue.

APODOSIS.

Nix diuina caro est niueis speciebus operta,
Languet vbi casto stricta libido gelu.
In niueis animus cunis candore refulgens
Nascitur, & nitidæ se niue carnis alit.
Paulatim nix purpureum parit illa colorem;
Quique niuescebat carne, cruore rubet.
Principio qui virgo fuit, fit postmodo martyr:
Mens intacta nitet, membra cruenta rubent.
De niue virgineæ carnis noua purpura surgit,
Vnde triumphanti sit toga digna Deo.

FONS EMBLEMATIS.

QVærunt physiologi, an nix possit viuentia generare? Affirmant Aristoteles, Strabo, Plinius, Agricola, Olaüs & Scaliger posse gigni vermiculos in niue; quod in eâ multum sit aëris, & spiritus, qui postea concalefactus illos generet. Ad hæc humidum cum calore aliquo est, iuxta Aristotelem, quare nix titulo humiditatis non omnino friget. Gelu autem omnino infœcundum puto. Has bestiolas niueas, vermes appellat. Appollonides, oripas, siue montanas teredines Theophanes. Sunt candidi hi vermiculi, & in vetustiore niue rutili: Nam & ipsa nix senio purpuratur. Tanti alboris canities rubor est. Ita Nierembergius l. 4. 21.

INTERPRETATIO.

1. QVod hîc Eucharistiam, & virginalem Christi carnem niueis opertam symbolis, niui comparem, nullus vt autumo damnabit, quandoquidem inter vtramque parallelum instituere non ardui negotij sit. *Nix*, inquit Augustinus ser. de trans-

de transfiguratione, *& candorem nimium habet, & calorem omnino non recipit: sic electi cum peruenerint ad claritatem Dei, obtinebunt munditiæ candorem, & nullum sentient aliquando de criminis corruptione calorem:* Sic ille: ego verò aio; sic caro Christi candorem nimium habet, vtpote quæ millies sole splendidior, & ineffabili gloriæ claritate, quasi niueâ stolâ vestita, innocentiæ candore cæteris beatis præfulgeat: Et calorem omnino non habet, quippe quæ sancti spiritus obumbratione, quæ castificum frigus aduexit, & libidinis ardorem extinxit, in vtero virginali formata fuerit. Nix est nubes friabili densitate conglaciata, vt aiunt Conimbricenses, vnde Plinius l. 2. c. 60. eam ex imbris humore mollius coacto gigni asserit. Christus imber fuit cordis humani solum sterile cœlesti irrigatione fœcundãs, cuius caro in Sacramentalium specierum nube mollius coacta in niuem transiit, cuius esu, & innatâ castitatis frigiditate fideles albescunt, vti frigidarum regionum incolæ, in quibus nix perennat, niuei sunt coloris. Generatur nix potissimum hyeme, vel initio veris, & in montes frequenter decidit: Niuea Christi caro veris initio, videlicet die 25. Martij in sinu Virginis genita est, & hyeme 25. Decembris decidit, at nube Sacramentali mollius coacta in montem Sion Eucharistiæ institutione celebrem, & deinceps in altaria labitur. Nix toto anno montes illos obsidet, qui longius à terrâ dissiti cœlo viciniores existunt: nix Eucharistica iugiter & singulis anni diebus iis mentibus insidet, quarum conuersatio in cælis est, quæque à terrenis sordibus secretæ, quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram. Niues in alto mari non cadere scribit Plinius l. 2. c. 103. in fine: Nix Eucharistica raro, aut nunquam

in impios decidit, quorum cor velut mare feruens quiescere non potest, quique turbulentis vitiorum fluctibus, procul à terra viuentium, alto mundi æquore iactantur. *Multitudo niuis*, inquit Theophrastus initio lib. 2. de causis plantarum, *magnopere prodest, vt paulatim colliquescens subeat solum, nec vniuersus humor influxu vnico ruens dilabatur. Ita enim & terra fermentari optimè potest, calore circumoccluso, atque coërcito, quod seminibus vehementer conducit: fibris enim subnixa firmataque compressu frigoris, simul ac mitescere tempus inceperit, celeriter atque vniuersa erumpunt:* Electi mortalis vitæ tempore herbescenti frumenti segeti non absimiles, non mediocriter Eucharisticæ niuis beneficio pinguescunt, & augentur: duplici de causâ, tum quod euanescentem charitatis calorem comprimat, & intus agat in bonorum operum radices; tum quod diutius, quàm momentanea sancti Spiritus inspiratio, perseuerans, cœlesti gratiarum humore sensim distillante, teneras virtutum plantas quasi vbere nutrit, vnde celeriter in auream tritici messem dominicis inferendam horreis excrescant. Tandem vt parallelum finiam, niui plurimum inest aëris, & spiritus, hinc candor eius eximius: carni Dominicæ tota incubat Spiritus sancti plenitudo, vnde præcipuus eius splendor & virtus oritur: *Spiritus enim est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Sine spiritu, quo spiritales euadunt, quotquot Eucharisticâ niue cooperiuntur,

2. Porrò in hac niue piæ mentes, quasi niuei vermes oriuntur, & eâdem vescuntur; matri & alimoniæ suæ concolores, hoc est, & angelicâ puritate, & innocentiæ candore conspicuæ, vtpote innocentis agni lotæ sanguine, qui candorem po-

tius, quàm ruborem affundat. Siquidem vt fœminæ post partum ſanguis in lac immutatur, vt infantem quem ſanguine concepit, deinceps lacte nutriat; ita poſtquam adoranda Saluatoris humanitas, animas in cruce ſacro cruore peperit, idem cruor in lac tranſiit, quo deinceps ad immortalitatem alerentur. *Oportebat enim*, inquit Auguſt. in Pſal. 33. *Vt lacteſceret, & ad paruulos perueniret.* Hinc Petrus regeneratos hoc lac concupiſcere hortatur, ep. 2. c. 1. *Quaſi modò geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite*; Cuius lactis ea ſit virtus, vt ſuprà niuem dealbet, quos intingit. Quamobrem Auguſt. ſermone de martyribus, expendens illud Apoc. 7. *Lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni*, ait: *Sanguis agni lauat, non maculat: habet quidem ruborem, ſed non poteſt maculare candorem.* Quare non poteſt maculare candorem, niſi quia ſenſim amittit ruborem, & in lac tranſiens niueum induit cardorem. De animabus iſto lacte lotis dixit Propheta regius pſal. 67. *Niue dealbabuntur in Selmon*, hoc eſt, candeſcent vt Selmon mons Ephraim perpetuis albeſcens niuibus, quamvis alioquin de ſe cauernoſus, horridus, & vmbroſus, vnde & ei nomen ab vmbrâ; quod non caret myſterio; quod ſic ediſſerit D. Th. opuſc. 58. c. 24. *Selmon mons Dei eſt, & interpretatur vmbra, & ſicut dicit Gloſſa corpus Chriſti ſignificat; quia ſicut vmbra fit de lumine & corpore, ita in corpore Chriſti eſt lumen Diuinitatis, & caro humanitatis. In hoc monte vmbroſo ſuper niuem dealbabuntur fideles, quia virtute corporis Chriſti incomparabiliter à maculâ peccatorum emundantur.* Adeo vt ſi peccata fuerint vt coccinum, id eſt, diuini ſanguinis coccino reſperſa, quaſi nix dealbentur, à candore lucis æter-

næ, ſic enim Euchariſtiam ſupra vocabat Honorius tertius.


3. Cæterum vt ipſa nix vetuſtate rubeſcit, teſte Plinio l. 11. c. 25. quod partes aëreæ, vnde candor oriebatur, in niue ſenſim extabeſcant; quin & in Armeniâ vltrò rubentes niues decidere ſcribit Euſtathius in commentar. ſuper λ Iliados, ob efflatos è minio, quo regio illa ſcatet, exhalationes, quæ aëris præualentes partibus, natiui ſoli colorem niuibus inſpergunt: ita naſcentes in eâ vermiculi, qui principio candent, paulatim in vetuſtiore niue, cuius canities rubor eſt, purpurantur. Quid ad rem Euchariſticam magis appoſitum? quippe caro Domini quæ ſeorſim à ſanguine, vi verborum ſub panis ſpecie ponitur, tota niuea videtur; vtpote nullo cruoris rubore inſperſa; verùm quia natiua partium in viuo corpore connexio cruorem abeſſe non ſinit, continuò carnis diuinæ nix, illius admixtione purpuraſcit. Vnde nil mirum ſi quæ prius genuerat virgines caſtitatis candore conſpicuos, ſenſim pariat martyres proprio ſanguine purpuratos. Hinc vetus Eccleſiæ mos fuit, vt caſtiſſimis fidelibus fidem coram tyranno profeſſuris Euchariſtia porrigeretur; vt qui prius illius eſu canduerant liliati virgines, ſenſim eâdem roſei martyres ruſſarentur. Audiendus Cyprianus ep. 54. *Nunc fortibus & viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus. Et cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos contra aduerſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus, &c.* Sic beata

Agnes de diuinæ carnis niue lactea, ſenſim facta eſt de cruoris eius murice roſea: vnde & dicebat: *Mel & lac ex eius ore ſuſcepi, & ſanguis eius ornauit genas meas. Iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt, quod cùm amauero caſta ſum, cùm tetigero munda ſum, cùm accepero virgo ſum.* Primùm virgo niuea, deinde martyr purpurea, quæ proinde meritò huius Emblematis vſurpare potuit epigraphem: C*ibi me ſenſim impurpurat albor.*



EMBLEMA LXXXI.

APIS PALESTINÆ IN RVPIS FISSVRIS MELLIFICANS.



SÆpe Palestinæ per florida rura vagantes
Fissa sinu angusto petra receptat apes.
Illa vices aluearis obit, sibi credita seruat
Mella, nec hospitibus pabula lecta rapit.

APODOSIS.

Scissa petra est Iesus; fissuram cordis hiulci
Turgida virtutum floribus intret apis.
Hîc stipet secura fauos, non condita plagis
Mella, nec ingestas aufferet hostis opes.
Tutus ab insidiis Sathanæ est meritorius actus,
Quem sacra diuini corporis antra tegunt.
Mel sanctorum operum, de vulnere hiante saporem
Promit, vt inde famem temperet alma Trias.

FONS EMBLEMATIS.

IN Palestinâ & regionibus calidioribus, tanta apum copia esse solet, vt cum aluearibus capi non possint, in syluas auolent, & aut in arborum truncis, aut in rupium fissuris mellificent. Ita Nierembergius lib. de miraculosis naturis terræ sanctæ c. 101.

INTERPRETATIO.

1. MIra planè Saluatoris cum ape similitudo, adeo vt ex Plinianis sententiis vtriusque parallelum contexere minimè sit operosum. *Apum coitus visus est nunquam*, ait Plinius l. 11. c. 16. *plures existimauere oportere confici floribus compositis aptè atque vtiliter.* Cui subscribit Ambros. 5. hexam. c. 21. dum eas è foliis, & herbis ore suo prolem legere asserit: Christus sine coitu, solo sancti Spiritus incubitu, in florido Mariæ sinu, de virginali sanguine, & Virginearum virtutum floribus aptè compositis conceptus est, iuxta illud Bernardi ho. 1. de Aduentu, *virginitate placuit, concepit humilitate.* Vnde Virgo è flosculo humilitatis, diuinam prolem ore suo legisse visa est, dum Angeli verbis consentiens,

in hanc vocem erupit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Ex Plinio *quod excluſum eſt, primum videtur vermiculus candidus iacens tranſuerſus, adhærenſque*: *Chriſtus in vtero Virginis quaſi niueus vermiculus prodit, ei ſic adhærens, vt ab ipſo Tertull. lib. de carne Chriſti c. 20. matri ſuæ concarnatus & conuiſceratus dicatur; quin & in præſepio iacuit quaſi tenerrimus ligni vermiculus. Hinc Gaudentius ediſſerens illud pſal. 21.* Ego autem ſum vermis, & non homo, ait tract. 19. in Ioan. *Vermi ſeipſum iam tunc per prophetam ſe comparare dignatus eſt, & hoc quidem non ſine ingentis ratione myſterij: conſtat enim ſine coitu generantis, futuræ apis vermem naſci, quem velut apem virginem permanſurum, Virgo mater dedit.* Ex Plinio l. 11. c. 5. *Inter inſecta omnia principatus apibus, & iure præcipua admiratio, ſolis ex eo genere hominum causâ genitis* Quod, vt ait Ambroſ. loco cit. *Fructus eius ab omnibus deſideretur, & indiſcretâ ſui gratiâ, regibus pariter ac mediocribus æquali ſuauitate dulceſcat, nec ſolum voluptati, ſed etiam ſaluti ſit:* Chriſtus hominum causâ natus eſt, quippe qui ex Symbolo Niceno, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; cuius fructus, nempe mel Euchariſticum, non mediocribus duntaxat, ſed etiam regibus delicias præbet, & internis vitiorum vlceribus medetur. Apes ab arborum lacrymis opus ſuum ordiuntur ex Ariſtotele 9. hiſt. anim. c. 40. & Plinio l. 11. c. 6. quibus accinit Virgilius 4. Georg.

Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina.

Sic & Chriſtus in præſepio vagiens, à lacrymis & gemitibus, labores ſuos auſpicatus eſt. Ex Plinio

c. 19. *Apibus inimica est Echo resultanti sono, qui pauidas alterno pulsat ictu.* Nato Domino hostilis quoque fuit Echo illa, qua in Magorum aduentu Ierosolyma personuit, & quam audiens Herodes turbatus est: vnde subitanea pueruli in Ægyptum fuga, tot alternis pulsati ictibus, quot satellitum gladiis in innocentes adactis. Cætera prosequi non libet.

2. Si tanta nascentis Domini cum ape similitudo, non minor ipsius in Eucharistiâ latentis cum eadem affinitas. Apis succum conficit dulcissimum, ac saluberrimum: *Siue ille sit cœli sudor, siue quædam syderum saliua*, inqnit Plinius c. 12. sed aculeum habet, quo eumdem à furibus tueatur. Christus mel Eucharisticum planè cœleste, ad Angelorum hominumque delicias confecit, sed aculeum exeruit, quo fures sacrilegos arceret, ore Apostoli, seuerissimum iis iudicium interminans. Quanquam, vt verum fatear, apum regi videatur in hoc amoris Sacramento similior, qui ex Plinio c. 16. & 17. nitore multum à vulgo differt, cuique forma præstantior, pennæ breuiores, ingressus celsior, & in fronte macula quodam diademate candicans, quique propriâ maiestate satis armato, natura quidem, sicut cæteris, aculeum dederit, sed eius vsum illi tantum negauerit. Christus enim in Eucharistiâ, corporis animæque gloriâ Angelos & homines longè supereminet, cui Diuinitatis forma præcellentior, cui pennæ breuiores, quòd è sacris speciebus, dum incorruptæ permanent, auolare nequeat, cui in fronte diuinæ Verbi hypostaseos diadema candicat, cui demum natiuâ maiestate tuto, insit quidem vltricis iustitiæ terribilis aculeus, raro tamen in impios exerendus, quòd

iuſtitiæ præpollens clementia iram eius inermem eſſe voluerit, vt de Apum rege cenſet Seneca l. 1. de clementia c. 19. *Vt non ſolum magnitudine corporis præſtet, & ſpecie*, inquit Ambroſius loco cit. *ſed (quod in rege præcipuum eſt) & morum manſuetudine : Nam etſi habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandum.* Ideò Bernardus ſer. 2. de Aduentu eumdem api comparans ita ſcribit: *Apis habet mellis dulcedinem, habet & aculei punctionem. Attamen ad nos veniens, ſolum mel attulit, & non aculeum, miſericordiam, & non iudicium: Nam filius hominis non venit vt iudicet, ſed vt ſaluet.* Atque vtinam par Chriſtianis ineſſet erga Dominum, quæ apum circa regem obedientia, fidelitas & reuerentia, de quibus ita Plinius l. 1. c. 17. *Mira plebei circa eum obedientia. Cùm procedit vnà eſt totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit; circa eum ſatellites quidam lictoreſque aſſidui, cuſtodes authoritatis. Cùm proceſſere, ſe quæque proximam illi eſſe cupit, & in officio conſpici gaudet, feſſum humeris ſubleuant, validius fatigatum ex toto portant; vbicunque ille conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt.* Nonne iſta legens tibi videris triumphalem Dei abſconditi pompam intueri, dum quotannis magnifico per vrbium compita aulæis & floribus ſtrata defertur apparatu, Sacerdotum humeris, quaſi ex nimio erga homines amore fatigatus; conglobatâ circa illum fidelium turbâ, & Angelis arcanæ maieſtatis cuſtodibus iuſti furoris aculeo munitis, ne quis impune ſuo principi vim inferat. *Apibus*, inquit Ambroſ. *in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis vſus & fructus eſt, communis volatus.* Nonne Chriſto nobiſ-

cum omnia communia, communis menſa, communis cibus & potus, communis meritorum valor, communis gloria? vnde cum D. Thoma canit Eccleſia:


Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

3. Cæterum vt apis ſecurius in rupis fiſſura, quàm in vimineo alueari mellificat, quod ibidem fauos ſciat à furibus immunes; ita Chriſtus in foraminibus petræ, hoc eſt, in carnis ſuæ cicatricibus, quaſi apis theandricorum operum floribus onuſta, ſuauiſſimi cruoris mel repoſuit, ad ſuorum annonam. Quæritur an apes mel conficiant? an è cœlo defluum tantum in aluearia exportent? negat Ariſtot. 5. de animal. c. 22. mel conficere; affirmant alij à Seneca ep. 84. relati, illas ingenitá ſibi proprietate collectum è floribus rorem in ſaporem illum immutare, prius ventriculis concoctum. Ros quidem melli conficiendo peridoneus Domini cruor, attamen mellis Eucharistici tunc ſolummodo ſaporem mihi; tunc habuiſſe videtur, cum Domini ſtomacho in vltimâ cœna multo charitatis ardore concoctus eſt, vt eum non ex vulneribus duntaxat, ſed ex intimis etiam viſceribus exugeremus; quod iis expreſſit verbis Cyprian. de Cœnâ Domini: *Ipſum Domini ſanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam*, vtique vt ex myſticæ petræ fiſſuris, mel eius pectoris calore digeſtum eruamus. Chriſtum igitur imitetur fidelis anima, & quaſi apis ſolers con-

fectos de virtutum floribus bonorum operum fauos ſacroſanctæ humanitatis fiſſuris credat, certa quod nec mundus, neque diabolus quaſi lacertuli apum laboribus infenſi, mel hiſce foraminibus reconditum vſquam ſuffurari poterunt. Hic tutò laboret, hîc victitet, hîc meritorum fœtus congerat, & mellifluas iis *fiſſuris bene credat apes*.



EMBLEMA LXXXII.
ARANEVS LACERTVLI OS FILO OBLIGANS, PRIVSQVAM ILLVM MACTET.



Ante lacertorum constringit Araneus ora,
Quam morsu inspiret virus, eosque necet.

APODOSIS.

Talibus insidiis animas circumuenit hostis;
Carne Dei vesci dum vetat, ora ligat.
Faucibus obstructis, lethali sauciat ictu:
Sæuior est plagâ qualibet ista fames.
Mentis vita sita est diuinæ carnis in esu;
Carnem adimens, vitam subtrahit, ergo necat.

FONS EMBLEMATIS.

ARaneus paruos lacertos aggressus, circundat os, & filis obducit, donec cohibeat; mox adhærens morsum defigit; inquit Aristoteles, ex quo Plinius l. 11. c. 24. Venantur, ait, & lacertarum catulos aranei, hos primum telâ inuoluentes, tunc demum labra vtraque morsu apprehendentes. Amphitheatri spectaculo cum contigit, sunt ex eo & auguria.

INTERPRETATIO.

1. QVemadmodum Christus probè intelligens admirabiles Eucharistiæ fructus, passim nos ad eius participationem inuitat, & quandam in hoc alioqui tremendo mysterio audaciam inspirans, os præ timore obstructum aperit, tum ad carnem suam edendam, tum ad sanguinem bibendum clamitans: *Venite comedite panem, & bibite vinum quod miscui vobis.* Immò & inuitatui præceptum adnectens, ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nihil ardentius concupiscens, quàm nobiscum vniri, & commisceri: sic è contrario Diabolus haud ignarus nihil esse sibi hoc Sacramento funestius, & exitialius, nihil hominibus, quorum gloriæ inuidet, ad salutem vtilius; nihil non molitur, vt eos à sacrâ sy-

naxi auocet, & intorto de repetitis criminibus ſtamine velut araneus hiantia famelicorum lacertulorum ora obſtruat, vnde lethalis ſequatur inedia, & planè damnabilis panis ſuperſubſtantialis, ac dominici calicis abſtinentia. Hunc aduerſarij dolum, has inſidias Cyrillus Alex. l. 3. in Ioan. c. 37. his aperit verbis, ne fideles hoſtili fraude diu ieiuni macie conficiantur & intereant: *Sciant baptiſati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiam proficiſcantur, & longo temporum ſpatio, propter ſimulatam religionem, myſticè communicare Chriſto recuſent, ab æternâ ſe vitâ procul depellere. Sed variæ ſunt diaboli, multiplicesque ad decipiendum inſidiæ: Nam primum ad viuendum turpiter inducit, deinde cum malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Chriſti gloriâ perſuadet, qua poſſent à turpitudine voluptatis, quaſi ab ebrietate reuocari.* Quid ad rem noſtram accommodatius? ibi enim per *gloriam Chriſti*, dubio procul Euchariſtiam intelligit, quam ante ipſum S. Ignatius epiſt. 14. *gloriam Dei* nominauerat. Hæc igitur aſtutia eſt infernalis aranei, vt primum fideles ad flagitia quæuis inducat, quibus filum exitiale deducens, eorum ora ſenſim ita obligat, & obducit; vt ad immortales Euchariſticæ menſæ epulas hiare non poſſint. Huiuſmodi ſibi filum ab inimico contextum agnoſcit Auguſt. l. 8. conf. c. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersâ facta eſt libido; & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (inde catenam appellaui) tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.*

2. Cur autem Christianis insidians aduersarius, ex peccandi libidine, consuetudine, moralique necessitate, filum exitiale deducat, plures ei rationes suppetunt. Prima quidem, quoniam nos à sacris mysteriis auertens, & ora, ne quid ex iis degustemus, obstruens, vires eius inualescunt, quæ ipsorum participatione labefactantur; acuuntur ignita illius iacula, quæ Dominici corporis vmbone obtunduntur; suumque in animas nostras hac arte retorquet supplicium. Nouit enim veram esse hanc Ignatij ep. 14. sententiam: *Date itaque operam, vt sæpius congregemini ad gloriam Dei: quando enim sæpius in idem loci conuenitis, labefactantur vires Sathanæ, & ignita illius ad peccata iacula irrita resiliunt: nostra enim concordia & consensus fidei, exitium illius, & satellitum eius supplicium est.* Secunda verò, quoniam nos periculosè saucios originalis concupiscentiæ iaculo probè sciens, diuinæ carnis dictamnum subtrahit, quatenus hærens lateri fatalis arundo vitam nobis citius aufferat. Meminit enim Eucharistiam ex eodem Ignatio *esse pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Et ex sancto Martiali ep. ad Burdigal. c. 3. *hoc solo remedio vitam nobis præstandam, & mortem effugandam.* Tertia vt toties mortis ictum nobis inferat, quoties nos à sacrâ Communione retrahit. *Quis enim ambigit*, inquit Sanctus Basilius ad Cæsariam patritiam, *quin frequens vitæ participatio nihil aliud sit, quàm pluribus modis viuere?* Ac proinde ex opposito, quin frequens vitæ neglectus sit pluribus modis emori, ac interire? sanè, vt vita saluſ-

que

que animæ in crebrâ Sacramenti perceptione ſita eſt, ſic peſtis eius, & interitus in diuturnâ illius abſtinentiâ, ſi Chryſoſtomo credimus, hom. 24. in 1. ad Corinth. *Vt frigida ad Euchariſtiam acceſſio periculoſa eſt, ita nulla myſticæ illius cœnæ participatio peſtis eſt, & interitus. Ipſa namque menſa animæ noſtræ vis eſt, nerui mentis, fiduciæ vinculum, ſpes, ſalus, lux, & vita noſtra.*

3. Sunt & aliæ rationes quibus permouetur Infernalis araneus, ad obſtruenda fidelium ora, ne miros Euchariſtiæ fructus, illius vſu, percipiant, quas mihi ſuggerit Hugo Cardinalis in c. 6. Ioan. Prima eſt, vt ſic eos ab vnitate corporis Chriſti, id eſt, Eccleſiæ ſeparet; quoniam ex Apoſtolo 1. Cor. 10. vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & vno calice participamus. Quod his verbis expreſſit Cyprianus ſer. 6. de orat. dom. *Ne dum abſtenti, & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Secunda, vt ita nos diuini, ac regalis epuli contemptores efficiat, iiſque homicidis ſimiles, qui Matth. 22. ſummi regis ſeruos ad epulum inuitantes *contumeliis affectos occiderunt.* Parum eſt homicidis comparari, quos tanti contemptus Sacramenti verè deïcidas efficit, vtpote grauiſſimi ſceleris conſcios. Tertia, vt nos inhoſpitales, & erga Dominum humaniſſimum peregrinâ Sacramentalium Symbolorum veſte indutum, prorſus inhumanos efficiat, dum illum ſtantem ad oſtium & pulſantem, inauditâ barbarie ſui pectoris hoſpitio ſuſcipere detrectant; quibus proinde Chriſtus, in iudicij die, idem omnino quod

reliquis damnatis dicturus eſt : *Hoſpes eram, & non collegiſtis me.* Nouit enim aduerſarius Dominum iis qui illum receperunt dediſſe poteſtatem filios Dei fieri ; contrà verò filios fore diaboli, quotquot illum in Euchariſtiâ peregrinum, pectoris hoſpitio recipere negligunt. Quarta, vt tremendi contemptu myſterij, in quo nouum & æternum teſtamentum quotidie renouatur, dum ſanguis noui & æterni teſtamenti è calice funditur, conuincantur eiuſdem infractores teſtamenti, iiſdem obnoxij ſuppliciis, ac ſi filium Dei conculcaſſent, & ſanguinem teſtamenti polluiſſent. Poſtrema denique vt à fonte plenitudinis gratiarum longius diſſiti, quaſi ſcirpi humore deſtituti confeſtim inareſcant, iuxta illud Iobi 4. *Nunquid virere poteſt ſcirpus abſque humore* ? Iis ergo de cauſis callidus inferni araneus Chriſtianorum veluti fameſcentium lacertulorum ora conſtringit, ne vitalibus inhient epulis, eoſque fatali neceſſarij panis abſtinentiâ perimit. Dici etiam poteſt os noſtrum obſtruere, hoc eſt, feruens Euchariſtiæ deſiderium, quod eſt os fameſcentis animæ, ne dilatatum vberi gratia repleatur ; iuxta Domini promiſſum Pſal. 80. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Quod ad rem noſtram flectit Richardus Victor. l. 1. de Spiritu ſancto : *Si ad illam internam, inquit, & ſupernam dulcedinem inhias, ſi ad veram ſuauitatem ſuſpiras, audi quid tibi diuinitus præcipitur, & attende quid ſimul tibi promittitur : dilata os tuum, & implebo illud. Certè ſi terrena oblectamenta eſuris, ſi terrenas voluptates ſitis, melius tibi eſt*

os contrahere, quam dilatare, desiderium tuum restringere, quam extendere, cum nusquam locorum inuenias, vnde illud satiare valeas. Quidnam est illud os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Os ergo cordis obstruit inimicus, dum feruens Eucharistia desiderium extinguit. Vnde sequitur, vt homo præ inediâ moriatur. *Prius ora ligat, tum mactat.*



EMBLEMA LXXXIII.

FORMICA TRITICVM QVÆRENS, IN TATI INSIDIANTIS OS LAPSA INTERIT.



FRumento formica inhians prædonis in ora
Labitur, & structis interit insidiis.
Quid iuuat ingenti granum vitale labore
Colligere, hostili si perit illa dolo?

APODOSIS.

Dum malè frumentum ſacris homo carpit in aris,
Dæmonis in fauces præda inopina ruit.
Quippe dolis, altaris iter prædator iniquus
Obſidet, vt viuens inferat eſca necem.
Conuenit electis animabus triticum, Auerni
Gutture ſorptus obit, qui reus illud edit.
Sæua eſt mors animæ vitiorum inducta veneno;
Aſt immortali eſt ſæuior orta cibo.

FONS EMBLEMATIS.

TAtus, Indis Aiotochelus, ſolertis ingenij monſtrum, plurimùm delectatur formicis; inuenit modum quo ſine labore, immò cum quiete ſuâ illas venetur, vt in os concurrat præda. Cubat ſupinus in formicarum grana conuehentium ſemitis, caudâ ſuper ventrem vſque ad os protensâ, quæ cruſtata & rigens eſt; venter tamen longiuſculis, & tenuiſſimis veſtibus pilis, incommodam viam formicis præſtat. Quare per caudam procedentes, rectâ incidunt in inſidias, & cibum hoſti vltrò miniſtrant. Ita Nierembergius lib. 1. hiſt. nat. c. 18.

INTERPRETATIO.

1. DVm formicas, meſſis tempore, per arua concurſantes, cum obuiis quaſi colloquentes, grana tritici ſua in horreola ad annonam conuehentes, per otium mihi conſpicere licuit, illico venit in mentem frequens olim Chriſtianorum circa diuina altaris myſteria concurſus, vt frumentum electorum, & granum illud frumenti, quod in terrâ ſemel mortuum multum fru-

ctum attulit, non ſolum pectore reconderent, ſed etiam in proprias domos, ad multorum menſium annonam, maximè perſecutionis tempore, comportarent, vt teſtatur Baſilius ad Cæſaream Patritiam his verbis: *Omnes qui in eremo monaſticam vitam degunt, vbi non eſt Sacerdos, communionem domi habentes accipiunt. In Alexandriâ verò atque Ægypto, vnuſquiſque etiam ex his qui ex populo ſunt, vt plurimum habet Communionem domi ſuæ, & cum vult per ſeipſum aſſumit.* Verùm vt formicis collecta ſemina conuehentibus in viâ ſupinus Tatus exitiales ſtruit inſidias; quo fit vt dum triticum mirâ in opere ſedulitate quæritant, in ipſius os prolapſæ pereant improuiſo interitu: ita pleroſque fideles altaris frumento temerè inhiantes pari fraude circumuenit diabolus, & eodem tempore, quo vitale triticum in pectorum horrea comportant, immani gutturis hiatu crudeliter abſorbet. Quod primum quidem execrabili Iudæ contigit, qui temerè frumentum carpens Eucharisticum meruit à Sathana deuorari; de quo Ioan. c. 13. ait: *Et poſt buccellam introiuit in eum Sathanas.* Vtique in ſacrilegæ Communionis vltionem. Quod enim cum reliquis Apoſtolis Euchariſtiam ſumpſerit docet inter alios Patres Auguſt. tract. 62. in Ioan. & in Pſal. 10. ait: *Chriſtus traditorem ſuum tantâ patientiâ pertulit, vt ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis traderet.* Cui ſubſcribunt tum Chryſoſt. hom. in Matth. initio tomi 2. *Cum proditor ineffabilibus myſteriis communicaſſet, idem permanſit, & diuinâ menſâ ſuſcepturus in melius commutari noluit; quia tali animo myſteriis ſuſceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus eſt*: Tum S. Leo

ſer. 7. de paſſ. *Nec ab hoc myſterio traditore ſubmoto, vt nullâ iniuriâ exaſperatus offenderetur, qui in voluntariâ erat impietate perſtiturus. Ipſe enim ſibi fuit materia ruinæ, & cauſa perfidiæ, ſequens diabolum ducem, & nolens Chriſtum habere rectorem.*

3. Conſtat igitur ex Lucæ narratione Iudam cum reliquis Euchariſtiam ſuſcepiſſe, & quidem antequam buccellam intinctam de manu Domini reciperet, poſtquam introiuit in eum Sathanas. Nec operoſum eſt Lucam & Ioannem ad concordiam redigere, dum ille c. 22. antequam proditor menſæ accumberet, ait in eum intraſſe ſatanam; hic verò poſt buccellam: primùm enim ad Iudam acceſſit aduerſarius, quaſi obſidens vt ei proditionem inſpiraret; poſtea verò ſacrilegæ communionis reum pleniſſimè poſſedit, vt illo deinceps veluti re ſuâ ad libitum abuteretur. Quidni enim eum inuaderet, qui Domini corpus indignè inuaſerat? quidni eum occuparet, quem deteſtanda communio diabolum fecerat, cum Eccleſ. 13. omne animal diligat ſibi ſimile? quidni illum deglutiret, qui non diiudicans corpus Domini, iudicium ſibi deglutierat? Nemo repente fit ſummus, nec Iudas repente de Apoſtolo factus eſt diabolus, & diaboli cibus. Multis quidem piaculis ſeſe antea obſtrinxerat, pecuniam in vſum familiæ Apoſtolicæ ſuffuratus fuerat, cum Sacerdotum principibus de Magiſtri traditione pepigerat, neque propentereà plenè diabolus deicidam animum occupauerat: verum vbi tot tantiſque criminibus indignam Communionem adiunxit, vbi tam enorme ſacrilegium quaſi coronidem omnis impietatis impoſuit, tunc eum diabolus plenè

possedit. Quod haud dubiè voluit Tertull. l. de anima c. 11. *Iudam quoque, ait, aliquando cum electis deputatum, vsque ad loculorum officium, etsi iam fraudatorem, traditorem tandem, nondum tamen diabolus intrauit.* Donec videlicet proculcato Domini corpore malitiam consummasset. Nimirum callidus hostis velut imperator qui vrbem munitissimam oppugnat, primùm quidem aggere castrensi circumuallat, tum mœnia machinis tormentisque bellicis diruit, mox per laceri muri hiatum irruptionem tentat, tandemque per calcata ciuium cadauera victor arcem occupat; ita miserum proditorem suis dudum suggestionibus concusserat, & admissorum anteà criminum pilis, cordis arci labem, & ruinam intulerat; ast vbi per sacrilegam communionem legitima ruina facta est qua iustitueretur oppugnatio, confestim triumphator intus irrupit. Quod elegantibus verbis expressit Chrysost. hom. 82. in Matth. *Non subitò, neque sub vno momento; sed sensim, diligenter facto periculo hominem ingreditur: sensim enim ad eum accedens & pulsans, postquam apertum sibi esse habitaculum cognouerat, totus deinceps hîc spirauit, & planè ipsum superauit.* Quandónam verò Iudas pulsanti domum interiorem aperuit, nisi quum ad excipiendum Domini corpus impurum os reserauit? vnde & Tatus infernalis etiam os suum tunc aperuit, vt male onustam cœlesti tritico formicam deuoraret.

3. Cæterum quod olim execrando proditori contigit, vt post bucellam à Sathana penitus occuparetur; idem omnino plerisque accidit, vbi sacra mysteria polluerunt, quos & ipsis Ener-

gumenis peiores censet Chrysost. hom. 60. ad pop. *Dicam aliquid terribilius*, inquit, *non tam graues energumenos intus esse, quàm istos, vt ait Paulus, vt Christum conculcent, & sanguinem testamenti communem existiment, & gratiam Spiritus afficiant contumelia. Dæmonium enim patiente peior est, qui postquam peccauit, accedit.* At quorsum energumeno censetur peior, nisi quia perfidi Iudæ imitatur impietatem, eiusdemque deicidij reus, eumdem meretur cruciatum, idem omninò supplicium? rectè siquidem dixit Beda relatus à D. Thoma in catena ad c. 22. Luc. *Væ homini illi qui ad mensam Domini indignè accedens, ad exemplum Iudæ, filium hominis tradit, non quidem Iudæis, sed peccatoribus membris suis.* Itaque ne quis Eucharistico frumento, formicæ instar inhians, in hostis insidiantis os incidat, & ab ipso sorbeatur; prius probet seipsum, & sic de pane illo edat: quam probationem necessariam ita declarat Tridentina Synodus sess. 13. c. 7. *Vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus, perpetuò seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris.* Omnis enim sceleris alicuius sibi conscius, nisi sic prius se probauerit & pœnitentiæ lauacro sordes animæ abluerit, iudicium intra viscera recondit, non diiudicans corpus Domini, non alimentum, sed tormentum; non vinum, sed venenum accipit, & cœlesti vitalique *frumento inhians, cadit hostis in ora.*

ZOOPHYTA.

EMBLEMA LXXXIV.

PVRPVRA VNO ICTV CÆSA FVLGIDIOR QVAM DIV PASSA.



Celle qui meurt du premier coup
Surpasse l'autre de beaucoup.

CÆsa repentino quæ Purpura corruit ictu,
Sanguine vt affundit imperiale iubar:
Sic minus illa micat longi quæ tabe doloris
Languit, & fulgor quò rutilabat, abit.

APODOSIS.

Christus vti murex pretioso sanguine turgens,
Non semel humano cæsus amore cadit.
Primum in monte Sion diuisus cuspide verbi
Corruit, & rutilo vasa cruore replet.
Tormentis mox fractus obit Caluaria in alto
Culmine, tristem animam paßio longa rapit.
Purior hic sanguis, quo pocula sacra refulgent;
Jlle minus purus, quo crucis ara madet.
Vnico enim primus fluxit rutilantior ictu,
Nec dolor expreßit, sed violentus amor.
Vsque ad delicias à Numine nunquid amamur?
Bis perit, vt fiat purpura viua cruor.
Quid dico bis? quotidie cadit ictus amoris
Cuspide, vt exornet fulgidiore togâ.

FONS EMBLEMATIS.

CRuoris Purpuræ præcipua dignatio lanis tingendis, si præsertim vno ictu lapidis cædatur; alioquin dolorem aliquandiu sustinens amittit colorem. Nierembergius l. de miraculosis terræ promissæ naturis. c. 93.

INTERPRETATIO.

1. VT purpuræ siue muricis caro, apud Romanos, in mensarum deliciis, & fulgidus cruor nigrantis rosæ colore sublucens, tingendis Principum vestibus summopere fuit expetitus; vnde huiusmodi conchylia sic de purpurato epulone apud Martialem l. 13 conqueruntur.

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Ita Dominus Iesus, & alimenti, & ornamenti vim

obtinens, tum carne ſuauiſſimâ conuiuas ſuos ad immortalem vitam exaturat, & ſanguine pretioſiſſimo ad inæſtimabilem gloriam exornat; quòd nihil carne ipſius ſit dulcius ad ſaporem, nihil venuſtius ad decorem. Dilectus noſter candidus, & rubicundus, qui roſas inter Martyrum, & Virginum lilia paſcitur, vt ſponſæ ſui ſanguinis murice miram affundit venuſtatem, ſic eiuſdem fulgore propriam illuminat humanitatem; nec aliunde, ſed de ſuo pulchreſcit. Pulcher quidem in circumciſionis myſterio, pulcher in horto, pulcher in prætorio, pulchrior in patibulo, vtpote inibi ſui cruoris ornatus coccino: ſed in ſanctiſſimo planè Sacramento pulcherrimus, quod ibidem dilutiori, viuaciorique purpurâ ſit indutus. Enimuerò ſicut nullus olim triumphum agebat niſi purpuratus, ita nec Chriſtus imperator noſter vſquam triumphauit, niſi proprio ſe cruore prius impurpurarit. Primum quidem de tribus regibus gentium primitiis, ſuos ad pedes aduolutis, in ſtabulo Bethlehem, triumphauit glorioſius, quàm rex Ægypti Seſoſtris, captiuorum regum quadrigis vectus; verùm adhuc recenti cruentæ circumciſionis vulnere tunc erat purpuratus. Triumphauit in Euchariſtiâ de mundi poteſtatibus, cùm ab Eligio hom. 8. de Euchar. vocetur. *Sacramentum quo ſubiugatus eſt mundus*; verum & proprij ſanguinis hauſtu largiori, tunc erat impurpuratus. Triumphauit in horto de militibus, quum fulmineâ voce perculſos humi proſtrauit: at nunquid ille tunc ſangnineo cruore madidus, & proinde purpuratus? triumphauit demum in cruce verè triumphali, vbi *expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter*,

palàm triumphans illos in semetipso : At nullibi magis, quam ibi purpuratus. Demum in cælum ascendens magnificè triumphauit sed: & tunc purpuratus apparuit: nisi enim purpurâ vestiretur, minimè Angelorum exercitus apud Isaiam c. 63. sciscitaretur : *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra* ? & iterum. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum sicut calcantium in torculari ?* Quem locum edisserens Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 40. innuit triumphatorem nostrum non de hostili, sed de proprio sanguine fuisse purpuratum. *Spiritus*, inquit, *propheticus veluti iam contemplabundus Dominum ad Passionem venientem, carne scilicet vestitum, vt in eâ passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcatæ & expressæ vi passionis tanquam de foro torcularis; quia exinde quasi cruentati homines, de vini rubore descendant. Iuxta illud, lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum : Stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem.*

2. At nunquid etiam regali Eucharistiæ epulo triumphator noster accubuit purpuratus ? nunquid Sacramentalis ferculi Salomoni nostro destinati ascensus omnino purpureus, vel vt Septuaginta legunt, eleuatio eius purpura ? quis id neget ? Cum Sacramentum istud instituens, calicem quem discipulis porrigebat prior ipse biberit, & proprij cruoris murice os, linguam, pectus & viscera imbuerit, & in sanguine vuæ stolam suam lauerit, iuxta prophetiam Iacob de Messia, in filij Iudæ persona loquentis Gen. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum* Stola interior vestis est, pallium exterior; stola interiores humanitatis à verbo assumptæ partes, quæ Eucharistico vino

imbutæ fuerunt, denotat; pallium exteriores, quæ pluribus plagis purpurascunt. Stolam igitur suam in vltimâ cœna rex noster impurpurauit, dum hausto calice palatum, fauces & pectus diuinum sui sanguinis imbuit murice, & vuæ sanguine rubefecit: Vt enim cum Cypriano loquar l. 2. ep. 3. ad Cæcilium: *Quo modo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, & prematur; sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset, & pressus; & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.* Porrò in vltimâ cœnâ vinum Eucharisticum cum discipulis bibit; ergo mysticus botrus iam calcatus fuerat, & pressus nondum quidem torculari crucis, sed torculari charitatis, quo expressus est vuæ sanguis, in quo stolam suam lauit, hoc est interiora impurpurauit. *Rectè enim*, ait Gaudentius tract. 2. *Vini specie sanguis eius exprimitur: quia cum ipse in Euangelio dicat: Ego sum vitis vera, satis declarat sanguinem suum esse omne vinum, quod in figurâ passionis eius offertur. Vnde sanctissimus Patriarcha Iacob de Christo prophetauerat dicens: lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Quam doctrinam Brixiensis Episcopus, ex Tertulliano desumpsit l. 4. contra Marcionem, vbi sic disserit: *Multò manifestius Genesis in benedictione Iudæ, ex cuius tribu, carnis census Christi processurus, iam tunc Christum in Iuda delineabat: lauabit, inquit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum: stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem.* Ne quis verò de Domini cruore in Caluaria fuso vinum istud acciperet, non autem de eo quem in Eucharisticâ cœnâ prior hausit, addit Septimius: *Ita & nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit.* Igitur in vuæ torcu-


lari amoris expressæ sanguine, stolam suam lauit, hoc est, interiora pretioso sanguinis murice intinxit. Pallium verò, hoc est, exteriora corporis eiusdē vuæ torculari doloris expressæ sanguine purpurauit. Audi Bernardum tract. de passione c. 4. *Non defuit purpura vestis irrisoriæ: chlamydem enim coccineam circumdederunt ei; quamuis ipse vestem corporis sui, sanguidis sui pretiosissimi effusione multò nobilius purpurauit: purpura enim non plus quàm bis tingitur; ipse verò purpuram corporis sui, non solum bis, sed etiam tertiò, sanguineo torrente pertinxit. Ecce sponsus tuus, ô sponsa, rubricatur in sudore, in flagellatione, in crucifixione.* In Eucharistiâ igitur triumphator noster rubricatus est interius, in Caluariâ autem exterius, illic stolam, hîc pallium vuæ sanguine lauit, vnde totus exiret purpuratus.

3. Verùm Eucharistiæ purpura longè floridior & viuacior, quod in eâ, quàm in Caluariâ sanguis effluxerit purior & fulgidior. Cur ita? quoniam murex noster mysticus vnico amoris ictu cæsus est in epulo, ac proinde viuidior & fulgentior manauit purpura, quæ in patibulo fluxit turbida & languida quod diuturnos ibi dolores sustinuisset. Quamuis enim idem omnino cruor extiterit qui calicem imbuit, & crucem; calicis tamen defæcatior fuit, quam crucis, quod hunc violentus dolor, illum spontaneus amor expresserit; hic à purpurâ diu passâ, ille à viuidâ profluxerit. Nimirum in Sacramentali epulo repentino amoris quasi purpurarij tinctoris ictu mactata procubuit, at in fatali patibulo repetitis acerbissimi doloris ictibus occubuit. In Eucharistiâ solo consecratorij verbi gladio cæsa est, in Caluariâ clauis pluribus, post diuturnos cruciatus attrita est. Purpuræ cruor pretiosus tingendis lanis ex-

petitus manat, non ex reliquo corpore, ſed ex gutture: ineſt enim mediis faucibus vena candida, quâ exſectâ gladio fulgidus ille liquor effluit. Chriſti ſanguis qui in cruce ſolum de ipſius corpore fluxit, in cœnâ de ipſiuſmet ore manauit: niſi enim verba conſecrationis calicis ore protuliſſet, calix minime pretioſo liquore ſpumaſſet, cuius natiuum fulgorem non mediocriter flammea, quâ tunc eius cor æſtuabat, charitas adauxit. Hinc cant. 4. dicitur: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Quem locum ediſſerens Gillebertus ſer. 24. in cant. ait: *Concepta in corde charitas quaſi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit. Calor de excelſo miſſus in corde, germanum labiis præſtat colorem. Quid enim aliud ſibi vult quod coccinea dicuntur, niſi quod in hoc flammea demonſtrantur, eo quod coccus igneo rubet colore. Bene coccinea labia, quæ hunc ignem non ſolum in terram, ſed & in cœlum mittunt, denique & ipſum Dominum cœli ſuccendunt. Charitas vitta eſt, charitas coccus eſt.* Quoniã igitur diuinus cruor in Euchariſticâ cœnâ è Chriſti faucibus erupit, non ex manibus, aut pedibus vt in Caluariâ; nec ex humanitate diu paſsâ, pallidâ iam & languidâ; ſed ex eadem multo amore feruidâ, multo ſpiritu viuidâ promanauit, vnico charitatis quaſi Sacerdotis immolantis ictu, propterea magis tingendis & ornandis animabus nunc expetitur, vtpote purpura floridior & ardentior quæ *pretioſa magis mactata repente.*

EMBLEMA

EMBLEMA LXXXV.
PINNA TESTA CONCLVSA, PISCES PROTENSA CARVNCVLA ILLICIENS.



Pinna mari placido, conchæ se pandit hiatu;
Byßinaque extremis retia tendit aquis.
Callida piſcatrix latitat, caro prominet extra,
Dulce quidem incautis piſcibus illicium.

Quos vigil vt vidit mordere audacius escam
Pinnophylax, prædæ tempus adesse monet.
Is pinnæ comes & custos, & sedulus index,
Cui bona capturæ portio iure venit.
Pinna quidem pisces irretit, & attrahit escâ:
Vt prædetur, eget Pinnophylacis ope.

APODOSIS.

Escam aperit, seseque operit Seruator, hiantum
Ora cicatricum pandit, vt intus eas.
Carnis amatorem dulcedine carnis inescat;
Quid fugis insidias, quas Deus ipse struit?
Vmbra Sacramenti est tibi rete; caruncula, Christi
Corpus; hians Pinnæ conchula, plaga patens.
Nec tamen hîc solus nos irretire valeret,
Huic nisi mysta suam iungere vellet opem.
Vt monitis animas in tensa synaxeos vrget
Retia, sic prædæ parte potitus ouat.
Non pudeat te carne capi, laqueisque teneri,
Sponte quibus Deitas illaqueata manet.

FONS EMBLEMATIS.

PInna animal marinum, de genere concharum est, pandit se hiatu testarum, & carunculam extra conchas prominentem ex sese prætendit, tanquam escam circumnatantibus piscibus. Cum cancro comparandi cibi societatem facit, eamque ob rem cancer, cum piscem quempiam adnatare videt, illam leuiter morsu admonet. Tum pinna magis ac magis suas conchas patefacit, intraque eas piscis adnantis caput recipit, comprimitque, & piscem ita captum in cibo consumit. Ita Ælianus l. 3. de anim. c. 29. Pinnam verò sic describit Rondeletius: Duabus grandibus patula

eſt conchis, in arenâ affixa viuit, teſta foris eſt aſpera, colore fuſco, intus nitidi & argentei ſplendoris, ab inferiore & ſtrictiori parte, in amplam latitudinem extenditur; illic arctiſſimè clauduntur teſtæ, hîc facile diducuntur, intus multum eſt carnis: cuius omnes partes ex byſſo alligantur: eſt autem byſſus hic molliſſima lana & delicatiſſima, quam expandit per modum retis piſcatorij, in quam vbi incautos piſciculos, & conchylia dolosè attraxerit, iis veſcitur. Pinnæ iconem habes apud Geſnerum de Aquatilibus pag. 731. Pinnophylacis verò apud eumdem pag. 159. pinna verò gallicè *Nacre* dicitur.

INTERPRETATIO.

1. Pinna peregregium mihi videtur Euchariſtiæ ſymbolum; naſcitur iis potiſſimum in locis, vbi ſalſis oceani fluctibus dulcis fluuiorum aqua commiſcetur, vt ſcribit Geſnerus in corollario de pinna lit. F. eo loco, eoque tempore Euchariſtia nata eſt, quo Chriſtus fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ac proinde dulciſſimæ, amariſſimæ paſſionis fluctibus ſeſe permiſcuit. Pinna duabus conchis clauſa deliteſcit; Euchariſtiæ geminis panis & vini ſpeciebus. Pinna arenæ firmiter affixa viuit; Euchariſtia aræ affixa viuet & vigebit ad conſummationem vſque ſæculi. Pinnæ teſta foris aſpera, & colore fuſco, intus eſt nitidi & argentei ſplendoris; Euchariſtia vilis extrinſecus & obſcura, intus autem tota gloriæ fulgore radiat; vnde quiſquis ſacramentales ſpecies fidei oculo penetrat, humanitatem gloriæ dotibus conſpicuam, Verbum Patris æterni ſplendorem, demùm ipſammet diuinitatem immenſo

iubare redimitam illico deprehendit. Pinna ab inferiori strictiorique parte, in amplam latitudinem extenditur; Eucharistiæ altera pars inferior & angustior, videlicet panis & vini symbola; altera superior & latior, nempe gloriosa Christi humanitas. Pinnæ pro testarum capacitate plurimum inest carnis; Eucharisticæ conchæ, pro specierum quantitate, multum inest diuinæ carnis, cum sub exili hostiæ particulâ tota delitescat. Pinnæ caro dulcis, mollis & candida maximè sapit, si maceretur aceto, inquit Gesnerus; talis & Christi caro: quidni enim mollis agni mitissimi caro? quidni candida, coquæ verbo, quod candor est lucis æternæ, copulatur? sed eò fidelibus suauius sapit, quò sæpius prauiæ contritionis aceto maceratur. Pinnæ caro, referente eodem Gesnero, valet aduersus dorycnij venenum, quod strychni genus est, & drachmæ pondere datur, vt quis sibi placeat, & sese pulcherrimum existimet: duplicatum verò pondus maiorem insaniam creat, spectris vanis animo obuersantibus; triplicatum perpetuas gignit furias, immò & mortem adfert: quo quidem ad viuum exprimitur amor sui, qui Babylonem extruxit, vsque ad contemptum Dei. Vbi enim virus istud cor nostrum occupauit, nostra suspicimus & admiramur, vitia virtutes censemus; exinde fastu turgidi perpetuis ambitionis furiis agitamur. Nullum autem aduersus hoc venenum efficacius antidotum, carne Domini sacris in mysteriis ad nostram erudionem exinaniti. Quid enim ad deprimendam hominis ambitionem potentius, numinis abiectione?

2. Pinna ſeſe pandens in littore, & orbum luminibus corpus intus minutis piſcibus offerens, eoſdem circùm natantes byſſinis retibus ſenſim implicat, & protensâ carunculâ ſuauiter allicit, vt audacius aſſultantes arripiat, & in propriam ſubſtantiam conuertat. Idem omnino præſtitit Dei Filius: ſiquidem aſſumptam carnem, & humanitatem incredibili pulchritudine vel barbaris amabilem, noſtris, dum vixit, exhibuit aſpectibus, vt peccatrices animas in cœnoſo ſæculi huius æquore natantes illiceret, & illecebrarum laqueis irretiret. Sic diuinitatis occultæ ſplendore, qui in ipsâ etiam facie relucebat, Matthæum attraxit; ſic Magdalenam cœno libidinis immerſam mirâ vultus pulchritudine, quæ nihil niſi diuinum anhelabat, allexit, vt oſculis ſugentibus caſtificam carnem prægustaret, & feruentis ore deſiderij ſacram Euchariſtiam, vel ante ipſius inſtitutionem, prælibaret. De quâ ſic eleganter diſſerit S. Paulinus epiſt. 4. *Quia vocandæ ex gentibus imaginem Eccleſiæ præferebat, omnia in ſemetipſâ myſterij ſalutaris inſignia geſſit. Vncta eſt chriſmate ſui muneris, pœnitentiæ lacrymas habuit in lauacrum, viſcera charitatis in ſacrificium, & ipſum viuum viuificantemque panem manibus & ore ſumpſit: ſanguinem quoque calicis, antequam fieret calix ſanguinis, oſculis ſugentibus prælibauit. Beata quæ Chriſtum in carne guſtauit, & in ipſo corpore, Chriſti corpus accepit!* An non piam hanc pœnitentem dominicis affixam pedibus, & ſacratiſſimam ipſius carnem auidis oſculis lambentem & ſugentem intuens, tibi videre videris piſciculum e pinnæ teſtâ pendulum, carunculæ mordentem illicium, & byſſinis retibus implicatum? Nimirum vbi Magdalena ſpecioſum formâ præ

filiis hominum vidit, ſibimet periit, vt deinceps illi ſoli viueret, qui peccatricem animam deperibat. *Verè efficax eſt*, ait Gillebertus ſer. 20. in Cant. *& violenta viſio tua, bone Ieſu, quæ intuentium in ſe rapit affectus. Vis accipere quàm ſit efficax? cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum. Quid verò, cùm humiliatus fueris ad terram? nonne omnium ad te trahes animos?* Sanè non adeò potenter animas rapit Saluatoris in cœlum exaltatio, ac ipſius in terram demiſſio. Verum nullibi pinna noſtra myſtica efficacius carnis ſuæ prætendit illicium, quam in Sacramento altaris, vbi peccatores innumeros, quaſi totidem carni inhiantes piſciculos irretit, irretitos abſumit, & immenſo charitatis ardore in ſeſe conuertit; adeò vt alimentum feliciter tranſeat in alitum, nocens in innocentem, Chriſtianus in Chriſtum, verbo dicam, homo in Deum, qui homo factus eſt, vt homines Deos faceret Deus homo. Etenim animæ conuerſio cibus eius eſt, de quo dixit Ioan. 4. *Ego habeo cibum manducare, quem vos neſcitis.* Quem cibum ediſſerens: ſubiunxit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Quæ porrò voluntas Patris eſt, niſi ſanctificatio noſtra, quæ Pœnitentiæ lauacro inchoata, Euchariſtiæ Sacramento conſummatur?

3. Verum vt Pinna nunquam prædatur ſine comite pinnophylace, qui cancer dapis aſſectatator ab aliis nominatur, quique piſciculos audacius accedentes ſpeculatus, pinnam morſu leui admonet, vt ſeſe comprimat, & prædam cum eadem partitur: Ita nec Chriſtus in Sacramento venatur animas, ſine Sacerdote,

qui eas absolutione Sacramentali prius emaculatas in Eucharistica retia piis exhortationibus impellat, sequutus hac in re mentem Trident. Synodi sess. 22. c. 6. optantis fideles in singulis missis, in quibus sese pandit pinna mystica, eiusdem cassibus irretiri, & carne saginari. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret.* Sedulus expetitæ venationis index, ac peruigil pinnophylax Sanctus Ignatius, Ephesios his ad sacram synaxim verbis excitans: *Date operam vt crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei.* Sedulus etiam pinnophylax Sacerdos ille, qui iuxta veteris Ecclesiæ morem, vti refert Dionysius l. de Eccles. hier. c. 3. p. 2. sumptâ prius Eucharistiâ, ad populum præsentem conuersus clamabat: *Venite, fratres, ad Communionem.* Item Sanctus Basilius sic ad Cæsariam Patritiam scribens: *Communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore, & sanguine Christi pulchrum est, & valde vtile.* Idcirco & prædæ partem, hoc est, frequentis Eucharistiæ vsus fructum & meritum iure suo sibi vindicat Sacerdos, cuius ministerio & hortatu fideles quasi pisciculi in pinnæ latentis, siue Dei absconditi casses suauiter pertrahuntur. Neque verò feliciter succederet huiusmodi venatio, nisi specierum testis inclusa delitesceret. Quis enim gloriosam ipsius carnem inaccessibili luce circumfusam attingere præsumeret, nisi sese Symbolis occuluisset? Panis quidem &



vini ſpecies oſtendit, quibus delectantur homines, & alliciuntur; at ne terreat, diuinitatem ſimul, & humanitatem abſcondit: *Patet illicium, ſed delitet illex.*



EMBLEMA LXXXVI.
OSTREI INDICI SANGVIS TRANSIENS IN GEMMAS.

Quot guttæ, tot gemmæ.

Mon sang est d'vn si rare prix,
Que ses gouttes sont des rubis.

86

Ostrea fixa ſtylo pretioſo ſanguine manant;
Eoas & opes gutta cruenta parit.

APODOSIS.

Tot gemmas peperit, quot guttas corpore fudit
Saucius innumeris Christus acuminibus.
Exceptus cratere liquor fulgore pyropos
Vincit, & extremo quicquid in orbe micat.
Gratiæ habes gemmas diuini sanguinis haustu;
Gloriæ inextinctum gutta dat vna iubar.
Ille mori nimiâ præ paupertate meretur,
Qui nec opes; calices euacuando, velit.

FONS EMBLEMATIS.

OStreum quoddam Indicum stylo traiectum saniem emittit, quæ excepta laterculo concrescit in margaritam, vti refert Philostratus in vitâ Apollonij lib. 2. cap. vltimo.

INTERPRETATIO.

1. QVot guttæ diuini sanguinis, tot gemmæ pretij inæstimabilis; quot stillæ calicis Eucharistici, tot pyropi & carbunculi flammeo Iesuanæ charitatis fulgore conspicui. Quid enim eo sanguine pretiosius, cuius gutta, propter hypostaticam ipsius cum verbo connexionem, & abluendis totius mundi criminibus, & exoluendo redemptionis humanæ pretio, si Clementi sexto smumo Pontifici, & Angelico Doctori credimus, plusquã sufficiat? Pretiosa certè sacris in codicibus pleraque legimus: pretiosum Dei sermonem 1. Reg. 3. *Sermo Domini erat pretiosus.* Pretiosam, in Dauidis oculis, Saülis animam, eiusdem lib. c. 26. 21. *Eo quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis.* Pretiosiorem cunctis opibus & gemmis sapientiam, Prouerb. 3. *Beatus homo qui inuenit sapien-*

tiam: pretiosior est cunctis opibus; Vnguenta pretiosa Eccles. 7. Pretiosam in conspectu Domini sanctorum mortem psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Inter quæ pretiosa, mors ipsa sanctorum facile præcellit. Quippe pretiosus sermo Domini, ad pretiosam mortem, vt medium ad finem collineat; vt igitur quicquid in mediis elucet amabilius, à finis ordine deriuatur; ita quicquid diuino sermoni pretiosum inest, à pretiosiori bonæ mortis fine promanare videtur. Pretiosa quidem hominis anima, vtpote & indelebili Trinitatis charactere signata, & immortalitate suppar Angelis & Christi sanguine veluti regali murice impurpurata: sed ei sanctam pretiosamque mortem adime, quid, amabo, supererit, aut natiuæ venustatis, aut superni splendoris, aut gratiæ cœlestis, aut gloriosæ immortalitatis? Immò verò laruis Erebi deformior, diuinique mox furoris victima, flammæ inextinguibilis cedet in pabulum. At fortasse viris sapientibus sapientia sanctorum morte videbitur pretiosior? Vos omnes quotquot nunc in Inferis ardetis Philosophi iudices hîc interpello, sapientiamne bonâ morte pretiosiorem ducitis? nisi vobis residuam naturalis iudicij scintillulam tenebrosi carceris horror extinxerit, vel gehennâ hanc veritatis confessionem extorquente, felicem mortem inflanti & inflammanti sapientiæ præcellere vna voce clamabitis. Puderet me sanctorum mortem cum gemmis vnguentisque pretiosis componere: quot enim reges gemmis rutili, quot pontifices in suâ inauguratione balsamo delibuti, illius fragrantiam scelerum fœtore corrupere? non ita quos semel pretiosæ mortis vnguen-

tum inunxerit, cuius odor ſuauiſſimus triumphalem cœli curiam implet, & perfundit. Itaque mors ſanctorum inter pretioſa ſuperius enumerata cenſetur pretioſiſſima. At vnde ſuum illud incomparabile pretium, niſi à pretioſiori Chriſti ſanguine mutuatur? de quo S. Petrus 1. ep. 1. ait: *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* Huius ſanguinis incomparabile pretium, pretioſam reddidit mortem ſanctorum. Audi Auguſtinum tract. 92. in Ioan. *Sanguine Chriſti comparati eſtis, agnoſcatis pretium veſtrum: ille quippe emit, qui pretioſum ſanguinem fudit. Pretioſus ſanguis eſt illius ſine peccato: fecit tamen ipſe ſuorum ſanguinem pretioſum, pro quibus dedit ſanguinis pretium. Nam ſi ſuorum ſanguinem non faceret pretioſum, non diceretur: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Cum igitur de pretioſo Chriſti ſanguine ſuum mors ſanctorum trahat pretium, relinquitur iuxta Ariſtotelis effatum *propter quod vnumquodque tale, & illud magis* diuini cruoris guttas quibuslibet rebus pretioſis eſſe pretioſiores

2. Neque verò ſummum infinitumque huiuſce ſanguinis pretium ignorat Eccleſia; vnde ſub grauibus pœnis cauet, ne quid illius è ſacro calice in altare defluat, quod periculoſior ſit vnius guttulæ iactura, quam omnium Indiæ gemmarum. Hinc Pius Aquileienſis Pontifex pœnam ſtatuit in Sacerdotem, cuius negligentiâ de ſanguine Domini aliquid ſtillauerit. *Pœnitentiam, inquit, agat quadraginta diebus, ſi in terram aliquid deciderit: ſi ſuper altare, tribus diebus: ſi ſuper linteum ſuperius, quatuor: ſi in infe-*

rius defluxerit, nouem diebus: si vsque ad quartum, viginti diebus: vbicumque ceciderit, si recipi potest, lambatur: sin aliter, aut lauetur, aut radatur: quicquid lotum aut rasum est, comburatur, & cinis in sacrarium mittatur. Et Tertullianus l. de Corona militis c. 3. quantum gemmis orientis Eucharistici calicis guttas præferret satis his innuit verbis: *Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur* Meritò quidem, cùm sub minimâ calicis guttulâ, panisque particulâ pretiosiores cœlorum gazæ delitescant. Altè etiam de Eucharistiâ sentiebat Tharsicius Acolythus, qui ab Ethnicis maluit lapidibus grandinari, quàm inæstimabilem tanti Sacramenti iis prodere margaritam; de quo sic scribit Romanum Martyrologium die decimâ quintâ Augusti: *Romæ S. Tharsicij acolythi, quem pagani cùm inuenissent corporis Christi Sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret: at ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tandiu ab illis mactatus est fustibus, donec exhalaret spiritum; & reuoluto eius corpore sacrilegi discussores, nihil Sacramentorum Christi in manibus, aut in vestibus eius inuenerunt.* Igitur æquus rerum ponderator Tharsicius Sacramenta corporis & sanguinis Domini margaritas æstimauit, quas ne porcis obiiceret, & sacrilegis discussoribus proderet, maluit è saucio corpore lapidibusque grandinato, sanguinis guttas in totidem vniones conuertendas profundere, quibus regis martyrum ornaret purpuram, & coronam imperialem illuminaret.

3. Enimuerò vt ostreum Indicum non diffluit in margaritas, nisi prius stylo traiiciatur: ita nec nobis ex Eucharistico calice diuini cruo-

ris vniones colligere liceret, nisi Christus spinis, clauis & lanceâ transfigeretur. Quippe huiusmodi margaritæ non Erythræi maris conchis, sed hiulcis Sacrosanctæ humanitatis agnoscuntur vulneribus; nec mireris sanguinis guttas conuerti in vniones niueo candore splendidos, cùm potius deberent transire in carbunculos igneo fulgore rutilos, flammasque imitantes pyropos: quoniam diuinus cruor ita rubet, vt simul etiam candicet, & vt martyres impurpurat, ita virgines exalbat. Rationem profert Sanctus Bernardus ser. 1. paschæ; *quia exiuit cum eo, & in eo etiam aqua dealbans, & testimonium perhibet ipse qui vidit. Aut certè candent in sanguine agni nouelli, sanguine lacteo, candido & rubicundo; sicut habes in Cantico canticorum: Dilectus meus, ait sponsa, candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Itaque Dominici sanguinis guttæ facile in niueos transeunt vniones, quod ita sint ex cruore rubeæ, vt ex aquâ permixtâ sint candidæ. Vnde & consecrando vino calicis aqua permiscetur, vt vtriusque profluuium ex hiulco Christi latere promanasse significetur; ne quis etiam dubitet Eucharistico calici parem inesse animas exalbandi virtutem, & illius guttas totidem esse margaritas. Sanè Christi Domini cor conchæ margaritiferæ comparat Doctor idem mellifluus tract. de passione c. 3. quòd lanceâ vulneratum tot gemmas pepererit, quot sanguinis guttas effudit. *Bona margarita cor tuum, bone Iesu, quam fosso agro tui corporis inueniemus. Quis hanc magaritam abiiciat? Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi.*

Nouerat planè diuini cruoris guttas totidem eſſe margaritas beata Agnes, quæ de immortali ſponſo diſſerens, aiebat: *Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruſcantibus gemmis.* Vis ergo, fidelis anima Chriſti ſponſa, iiſdem gemmis exornari, Dominicum calicem ebibe: huius enim *quot guttæ, tot gemmæ.*



EMBLEMA LXXXVII.

CONCHA MARGARITIFERA FVRIS MANVM AMPVTANS.



DEgit in oceani fundo ditißima concha,
Nec tamen hoſtiles effugit illa manus.
At digitos teſtarum acie præſcindere nouit,
Vlta ſuas læſi ſanguine furis opes.

APO-

APODOSIS.

Concha Sacramenti turgescit diuite gemmâ,
Nec patitur spurcas inuiolata manus.
Thesauro non cuique licet latitante potiri,
Respuit infamem gemma pudica sinum.
Diuitias aperit iustis, operitque scelestis;
Innocuos ditat, sacrilegosque necat.
Illatam sibi vim sentit, vi vimque repellit:
Vim facis? at vires experiere Dei.

FONS EMBLEMATIS.

COncha margaritifera cum manum videt, comprimit sese, operitque opes suas, gnara propter illas se peti: manumque si præueniat, acie suâ abscindit, nullâ iustiore pœnâ, & aliis munita suppliciis. Ita Plinius l. 9. c. 35. subscribit Athenæus l. 3. Qui venantur margaritas, inquit, in periculo versantur, si in hiantes conchas manum rectâ immiserint: tunc enim comprimunt, ac sæpe digitos præcidunt, aliquando nonnullis statim morientibus. Qui verò à latere manum subiecerint, facile conchas à saxis auellunt. Quin & Hispani, ait Cardanus, referunt præcisas quandoque manus à margaritiferis ostreis, & ob id edictum pietate plenum à Cæsare emanasse.

INTERPRETATIO.

1. QVid aliud est Eucharistia, quam concha margaritifera, quæ geminis Sacramentalium specierum testis, inæstimabile leluanæ humanitatis margaritum includit, ad fidelium animarum ornatum & alimentum. Verum vt con-

cha piſcatoris manus præſentiens, ſuas opes teſtarum compreſſione confeſtim occulit, hoſtileſque digitos præacuta labrorum margine præſcindit, non aliis iuſtioribus munita ſuppliciis, quibus infamem hominum puniat auaritiam: Ita concha Euchariſtica ſacrilegos arcano vnioni inhiantes ſauciat, obſcænis eorum manibus nonnunquam in ſceleris vltionem præciſis. In cuius rei typum lib. 1. Reg. c. 5. legimus, duas Dagonis palmas, ad arcæ Domini, quæ Euchariſtiam adumbrabat, præſentiam abſciſſas fuiſſe. Quid enim per huius idoli manus niſi idololatriæ operatio deſignatur, ſi Hugoni Victor. l. 5. alleg. c.8. & S. Gregorio in eumdem locum, credimus: quæ quidem Dæmonis palmæ virtute ſanctiſſimi Sacramenti præciſæ ſunt, dum homines idolis offerre ſacrificia deſtiterunt, & deinceps in eorum adoratione manus ſuas oſculari detrectarunt. Quod luculenter docuit Cyrillus Hieroſol. catecheſi 4. myſtag. his Chriſtum verbis alloquens; *Ante tuum aduentum, Domine, Dæmones hominibus pollutam menſam parabant: ſed poſtquam aduenisti, paraſti in conſpectu meo menſam myſticam & ſpiritalem, aduerſariam ei quæ parabatur à dæmonibus; cum hæc communionem cum illis, iſta cum Deo habeat.* Reuera præcipua, ad idolis immolandum, illecebra fuit olim ſolemne illud epulum, cui accumbentes Ethnici victimarum comedebant adipes, & vinum libaminum largius hauriebant, iuxta illud Moſis in ſuo cantico: *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum*: quas profanas epulas ſubſtituto cœleſti Euchariſtiæ conuiuio Saluator penitus aboleuit, vbi & incruentæ victimæ comedimus

adipem, & diuini cruoris haurimus calicem vino libaminum ſuauiorem. Radix inſupèr idololatriæ extitit innata homini, ad opus manuum ſuarum adorandum, procliuitas; quam vt radicitus euelleret Dominus Euchariſtiam inſtituens, Sacerdotibus opus ſuum, hoc eſt, ipſius corpus ab ipſis confectum adorare permiſit, humanæ veluti propenſioni ſuauiter acquieſcens; & ſuæ immemor maieſtatis, ad infelicis figmenti ſeſe compoſuit arbitrium, quaſi homini diceret: pronus es ad opus manuum tuarum adorandum, agedum, per me licet: corpus meum conſecrationis ſermone confice, & opus iſtud tuum cole, nec timeas illud adorando delinquere, immo delictum foret non adorare. Tibi etiam contingat quod ethnicis imprecatur meus propheta: *ſimiles illis fiant qui faciunt ea.* Corpori meo, operi tuo ſimilis eſto; nec enim vlla deformitas, ſed potius deiformitas ex iſtâ reſultabit ſimilitudine. Hanc, ni fallor, à Deo poſtulabat gratiam miſera gentilitas Cant. 1. 6. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Quippe veri numinis ſodales non alij, quàm Dij gentium, quos ne deinceps adoret, orat ſibi indicari vbinam cubet & paſcat verus Deus, videlicet altare incruentum, vbi tanquam ſponſus animarum recumbit, eaſque proprio paſcit corpore, in meridie ſuæ erga nos flagrantiſſimæ charitatis.

2. Itaque cum idolorum adorationes palmæ ſint Dagonis, & manus dæmonis, ex S.Gregorio: fortè quod olim ſimulachra colerentur manu verſus ea porrectâ, eâque ſtatim reuerenter ad oſculum relatâ, ita vt palma ad Deum conuerſa, ea-

dem ad os reuerteretur; vt teſtatur Apuleius l. 4. de aſino aureo: *Multi admiratione ſtupidi, & admouentes oribus ſuis dexteram, priori digito in erectum pollicem, vt ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur*, ſequitur concham Euchariſticam, dum ſacrilegam numinum adorationem ſuſtulit, manus quodammodo dæmonis amputaſſe. Verùm proh, dolor! nonnulli etiam Sacerdotes ſublatam Euchariſtiæ virtute idololatriam reſtituunt, dum ſeſe fornicatione, quæ ex Apoſtolo Epheſ. 5. idolorum ſeruitus eſt, polluunt, & verſus impudicam Venerem manus porrigentes, eaſdem poſtmodum adorabundi exoſculantur. Num manus iſtæ præcidendæ, quæ ſacro delibutæ oleo, quo tremenda, vt par eſt, tractarent myſteria, impudicis tactibus violantur? Num in iſtos Sacerdotes meritò poteſt torqueri iſtud è Tertulliani pharetrâ ſpiculum l. de idolol. c. 7. quod vibrat in idolorum artifices: *Totâ die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Chriſtianum ab idolis in Eccleſiam venire, de aduerſariâ officinâ, in domum Dei, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris aduerſus Deum adorantur, eas manus admouere corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt.* Et infrà: *Proh ſcelus! ſemel Iudæi Chriſto manus intulerunt; iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præcidendæ! viderint iam an per ſimilitudinem dictum ſit: ſi te manus tua ſcandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus ſcandalizatur?* Hæc enim miniſtris altaris ſacrilegis mirificè congruunt, qui ab aduerſariâ Veneris officinâ in domum Dei veniunt, ab harâ ad aram; qui

his manibus adorant, quæ foris aduersus Deum adorantur, quandoquidem easdem manus quibus sacratissimam hostiam populo exhibent adorandam, scortis exosculandas porrigant. Quidni igitur manus iis præcidendæ vti perfidis à Christo ad Dæmonem transfugis? vt Quintum Fabium Maximum olim fecisse scribit Valerius Max. lib. 2. c. 7. qui militum, qui è Romanis præsidiis ad hostes transfugerant, captique erant manus abscidit, vt trunca brachia gestantes defectionis metum reliquis iniicerent. Quidni vbi sceleris admissi pœnitent, cum militibus à Iuliano Apostata deceptis ad Christum clamitent: *Manus amputa, quas scelerate porreximus*, vt habetur apud Nazianzenum orat. 3. hæc enim manuum præciso visa est Ethnicis iusta defectionis & sacrilegij pœna. Quid igitur mirum si concha Eucharistica simile de impiis furibus supplicium sumat. Vidi enim militem qui cum sacram pyxidem è templi sacrario aufferre nisus esset, sequenti die explosâ catapultâ, disruptæ fistulæ fragmento dextrâ manu truncatus est. Noui & quemdam Sacerdotem, cui catapultæ fragmine sacri digiti abscissi fuere, quibus contractui simoniaco pridie subscripserat, & sacram hostiam indignè contrectarat. Sed & eamdem manuum abscissionem, mortisque pœnam sacrilegis iura decernunt, quam Parisiis anno 1645. quidam ciuis Carnotensis, ob iniectas in Eucharistiam manus, iustissimè luit. Nimirum ij omnes quasi fures diuinæ carnis vnioni pretiosissimo inhiantes, à Conchâ nostrâ, manuum præcisione plecti meruerunt.

3. Dicet aliquis, si Sacramentalis margaritæ

venatio adeo periculoſa ſit, præſtat ab eâ deinceps abſtinere. Verùm periculoſa non eſt niſi amantibus periculum: ſicut enim, referente ſuperius Athenæo, ij ſoli periclitanur, qui in hiantes conchas margaritiferas rectâ manum immiſerint, tunc enim comprimunt ſeſe, ac digitos præcidunt: qui verò à latere manum ſubiecerint, facile conchas à ſaxis auellunt, & vnionibus potiuntur: ita ij ſolum in æternæ damnationis verſantur periculo, qui lethalis ſibi culpæ conſcij, rectâ, hoc eſt, nullâ contritione & confeſſione præmiſsâ, concham Euchariſticam arripiunt. Verùm longe abſunt à ſalutis diſcrimine, qui à latere manum ſubiiciunt, hoc eſt, qui præmiſsâ exomologeſi ad latus Domini diuinæ fontem miſericordiæ confugiunt, ſecuri ſiquidem Dominici corporis inæſtimabile venantur margaritum. Quapropter Cyprianus epiſtolis 10. 11. & 15. & lib. de lapſis grauiter conqueritur nonnullos contra Domini præceptum & legem, ante peractam ab iis pœnitentiam, ad communionem admitti, Cui conſentit Clerus Romanus in eleganti ad hunc Africæ Primatem epiſtolâ, inter Cypriani epiſtolas trigeſimâ primâ, vbi monet hoc non eſſe cogitatum nuper conſilium, vt exomologeſim & pœnitentiam præmittant, ſed antequam eſſe ſeueritatem, antiquam fidem, antiquam diſciplinam, & euangelici vigoris tenorem illibatum. Quin & Fabianus Papa Philippum Chriſtianorum Imperatorum primogenitum, ad ſacram communionem admittere renuit, donec humili confeſſione peccata expiaſſet, vt referunt Euſebius l. 6. c. 27. & Nicephorus l. 5. c. 25. quo ſeueritatis exemplo liquet quàm ſtrictè primis Eccleſiæ temporibus ſeruata fuerit ea lex præmit-

tendæ exomologeſis, cum nequidem Imperator ab illâ exemptus fuerit, etſi alioquin metuendum eſſet, ne ſi cum eo ſeuerius ageretur fidem recenter ſuſceptam abiiceret. Proinde peccator caueat, ne rectâ manum ſacrilegam in Euchariſticam concham immittat; ſed potius eam à latere ſubiiciat, ſubiiciendo culpas ſuas clauibus Eccleſiæ, quæ conchæ noſtræ teſtas ei facile reſerabunt, vt interiori margarito potiatur, quod vltrò dignè ſuſcipienti porrigit; at verò *furi gemmam operit, vindictam aperit.*



ARBORES.

EMBLEMA LXXXVIII.

ARBOR SANCTA INSVLÆ FERREÆ, PERENNI NEBVLÆ RORE DIFFLVENS.



ARbor adest celebris, lignorum gloria, de qua
Torrida cœlestes insula promit aquas.
Eminet excelsi plantata cacumine montis,
Æternumque virens tollit ad astra caput.

Nubis obumbratur denso velamine vertex,
Deciduoque comas iugiter imbre rigat.
Indigenis hæc vna sat est ad quoslibet vsus,
Ceu manaret apex fonte perennis aquæ.
Nubi debet aquas, etenim nisi nube lateret,
Arida cœlesti rore careret humus.

APODOSIS.

Nube Sacramenti latitans arentia Iesus
Corda superfuso sanguinis imbre rigat.
Non flores fructusue vllos Ecclesia ferret,
Rorida ni nubes sacra fluenta daret.
Nec latices daret ille suos, nisi nube lateret,
Ergo Sacramenti gratia nube fluit.
Christus vt irroret, latitat sub nube; rigari
Rore merere, sub hac si bene nube lates.

FONS EMBLEMATIS.

ADmirandum quoddam naturæ arcanum in ferri insula è Canariis, quas Fortunatas nonnulli appellant, obseruatum est, cuius omnes qui de eâ insula scripsere recentiores mentionem faciunt: nempe hic arborem esse, quæ aquam potui idoneam subministret, non modo totius illius insulæ incolis, sed ipsorum etiam pecoribus & armentis necessariam: quandoquidem alioqui careant & fluminibus & lacubus, & fontibus & puteis, vnde aquam potui aptam haurire possint. Est autem ea arbor ab Hispanis sancta, ab indigenis Garoë dicta, duabus à mari leucis versus septentrionem dissita, in excelsi montis vertice, cuius trunci ambitus est duodecim pedum, diameter quatuor, altitudo quadraginta, ramorum circuitus centum viginti. Ra-

mi deorſum proni perennibus virentes foliis; paulò iuglandis maioribus propemodum terram lambunt. Cincta eſt muro ad fontis normam ſtructo, vt aquam ex illâ ſtillantem excipiat. Singulis enim diebus binis horis ante lucem tegitur arbor densâ quadam nebulâ, donec exortus ſol ſuo calore nebulam diſcutiat, & diſſoluat: toto autem illo tempore, quo nebula arborem inumbrat, & obtegit, exſudat illa, atque ex trunco ramis & foliis multam aquam præbet in lacunam illam circum arborem factam guttatim ſtillantem, quæ valde ab excellentiâ & bonitate commendatur. Occupatâ porrò ab Hiſpanis primum eâ inſulâ, valde mirabantur ſe neque flumina, neque fontes, neque puteos inuenire: Interrogati autem incolæ vnde aquam peterent, reſpondebant ſe pluuialem in quædam vaſa colligere ad vſum neceſſariam, prius tamen admirandâ illâ arbore arundinibus & aliâ materiâ contecta, vt facilius Hiſpanos eiicerent non reperientes aquam dulcem in totâ illâ inſulâ. Sed fraus detecta fuit à muliere, cum qua Hiſpanus quidam conſuetudinem habuit. Is rem vt erat ſtatim tribuno ſuo aperit: ille ridere, & fabulam cenſere. Nihilominus arborem detegere iubens, non fabulam, ſed rem veram eſſe experitur. Sed primates incolæ intelligentes à muliere proditum aquæ arcanum, clam illam tollendam curarunt. Ouiedus rem eſſe certam affirmat, idemque teſtantur Linſchotus, & Ferdinandus de Figueroa. Quidam hanc inſulam pluuialiam Plinij eſſe cenſent, in qua ſcribit l. 6. c. 32. nullam eſſe aquam, niſi ex imbribus. ita Hieronymus Benzonus in fine lib. tertij hi-

ftoriæ noui orbis, in deſcriptione Canariarum.

INTERPRETATIO.

I. QVid inſula ferrea, ſterilis, inaquoſa, & ſolis ardoribus torrida, niſi mundus? quid in eâ arbor ſancta, in montis apice, diuinæ prouidentiæ manu plantata, niſi Sacroſancta Chriſti humanitas, excelſiſſimâ Verbi diuini ſuffulta hypoſtaſi? quid denſa nebula arboris verticem operiens, niſi niuea Sacramentalium nubecula Symbolorum? quid imber exorto ſole iugiter è roridâ nube defluens, niſi cœleſtium pluuia gratiarum, ex Euchariſticâ nube iuſtitiæ ſolis radiis, & charitatis æſtu reſolutâ decidens? Mundus quidem inaquoſæ huic comparatur inſulæ: iſtud ab Auguſtino accipe ſer. 8. de natiuit. Ioan. Bapt. *Vacua Dei timore pectora, & Spiritu ſancto arentia, deſerto ſquallentis eremi comparantur. Deſertus enim erat hic mundus, ante Chriſti aduentum, & ab omni culturâ Dei, fidei, & timoris alienus, peccatorum ſpinis obſitus ſquallebat tanquam ager incultus, & nullum penitus fructum, nullam bonorum operum fœcunditatem obtulerat.* Quam quidem comparationem fuſius idem Doctor proſequitur in Pſal. 62. his verbis: *Sæculum iſtud eſt deſertum. Parum eſt terra deſerta, vbi nullus hominum habitat, inſuper & ſine viâ, & ſine aquâ. Vtinam vel viam haberet iſtud deſertum; vtinam illuc homo incurrens, vel noſſet quâ exiret. Non videt hominem ad ſolatium, non videt viam qua exeat deſertum. Ergo ibi diuertit, ſed vtinam eſſet vel aqua, vnde reficeretur, qui inde non poteſt exire.* In hac vaſtâ mundi ſolitudine, in hoc ſterili ſæculo, quaſi in aridâ fer-

ri insulâ Deus misericors sanctam Vnigeniti humanitatem velut imbriferam conseuit arborem, in præcelso diuinæ ipsius hypostaseos cacumine, vt aridum cordis humani solum supernis gratiarum imbribus irrigaret. *Malum desertum*, subdit loco cit. Augustinus, *horribile & timendum; & tamen Deus misertus est nobis, & fecit nobis viam in deserto D. N. Iesum Christum, & fecit nobis consolationem mittendo ad nos predicatores Verbi sui, & dedit nobis aquam in deserto, implens Spiritu sancto prædicatores suos, vt fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam.* Felix arbor Saluatoris humanitas, quæ sitientibus potum, æstuantibus refrigerium, & solatium præstat; cuius in vmbrâ nullus libidinis ardorem, aut gehennæ patietur incendium.

2. Pulchrè & eleganter Plinius in proœmio l. 23. de arboribus ait, *primum hominum cibum fuisse inde, & sic inductos cœlum spectare, pascique & nunc ex se posse.* Quod iure merentiori arbori nostræ Eucharistiæ congruit, vnde præcipuus hominum non solum cibus, sed & potus: quæque cùm tota cœlestis sit, & vsque ad Empyrei fastigium ramos attollens, animas in terram pronas, & cœlestium inanes ad cœli conspectum & cœlestis gloriæ desiderium inducit. Vnde & in eam quadrat, quod ibidem de se arbor pronuntiat: *Plurimum homini voluptatis ex me est. Ego succum vini, liquorem olei gigno; Ego palmas & poma, totque varietates: neque, vt tellus, omnia per labores, aranda tauris, terenda areis, deinde saxis, vt quando quantoue opere cibi fiant. At ex me parata omnia, nec curuo adornanda aratro, nec curâ laboranda, sed*


ſeſe porrigentia vltro : & ſi pigeat attingere , etiam cadentia. Quis enim edi{ſ}ſerat quantum voluptatis aut vtilitatis ex hac arbore myſticâ percipiamus ? cum ſuauiſſimos nobis fructus vltro porrigat de ſe , ſi pigeat attingere , noſtrum in ſinum cadentes. Quibus enim nunc non licet digitis Euchariſtiam attrectare , illi cadentem vltrò de manu Sacerdotis excipiunt , nullo labore , ſummâ cum voluptate. Verùm niſi Sacramentalium nube ſpecierum obtegeretur , non inde iugis gratiarum imber in arida mortalium pectora diffunderetur. Quippe ſublatâ illa qua noſtris attemperatur aſpectibus , nebulâ , tot innatæ ſibi gloriæ coruſcaret fulgetris , vt nullus non dico attingere manibus, aut ex eâ cibum potumue depromere , ſed nequidem appropinquare præſumeret. Proinde rorida accidentium nubes miraculoſam operiens arborem , facit vt vberior donorum cœleſtium pluuia in areſcentes animas defluat , qua ſitibundæ potantur, torridæ refrigerantur, incultæ fœcundantur : hinc Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ paſſionis , Deum abſconditum alloquens , ita diſſerit appoſitè : *Quæ eſt nubes quæ præcedit veros Iſraëlitas , niſi veriſſimum & ſanctiſſimum corpus tuum , quod in altari ſumimus ; in quo velatur nobis altitudo Dei , immenſitas maieſtatis tuæ: cuius & calorem & ſplendorem mortalis infirmitas ſuſtinere non poſſet , niſi mediatrix nubes interpoſita , & ardorem temperaret deſuper , & tutam ſubtus te viam demonſtraret ?*

3. Igitur Sacramentalis nubeculæ beneficio iugis gratiarum imber , in aridum Eccleſiæ ſolum defluit , ex arbore ſanctâ , vnde irrigata

& fœcundata fit quaſi hortus irriguus, & paradiſus voluptatis, ſi D. Thomæ fidem adhibeamus, qui in opuſculo de Sacramento altaris, quærens quænam ſit ſpiritalis ſuauitas gratiæ, quæ de diuini ſanguinis vſu exoritur? reſpondet: *Quod facit animam tanquam Paradiſum Dei. 1. Petri, 1. in aſperſione ſanguinis Ieſu Chriſti, gratia vobis & pax multiplicetur, gratia virtutum fertilitas, pax, dulcedo cordis, atque ſerenitas, huius ſuauitatis gratia per irrigationem ſanguinis Chriſti comparatur* Paradiſo *Dei. De ſuauitate huius gratiæ Eccleſ. 40. Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus, id eſt ſicut hortus Dei in variis deliciis & fructibus, Ierem. 31. erit anima mea, ſicut hortus irriguus.* Proinde quiſquis ſitit & æſtuat, ad hanc arborem imbriferam accedat, & mox refrigerabitur, quippe rore caſtifico libidinis ardorem temperat, & terrenarum voluptatum ſitim extinguens, æternarum deſiderium accendit. Nouerat hanc Euchariſtiæ vim S. Ambroſius, hinc Chriſtum ſub ſacris ſpeciebus deliteſcentem alloquens ait in 1. oratione ad Miſſam: *Cœleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, vt maneat in me tenor totius caſtitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis ſtimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & continuam caſtitatem.* Nimirum ros ex hac myſticâ arbore extillatus in corda hominum, pudicum ac virginale ſecum frigus aduehit, & Sacramentalis nebula nos obumbrans à concupiſcentiæ tuetur ardoribus: quaſi Chriſtus ſub eâ latitans nos & ad vmbræ refrigerium, & ad roris hauſtum his inuitaret verbis: *Sub nube latens fluo rore perenni.*

EMBLEMA LXXXIX.

VITIS VLMVM COLLAPSAM AMPLEXV FOVENS, ET VVIS CORONANS.



Clauiculis ætate grauem pro viribus vlmum
Fulcit, & amplexu vitis amica fouet.
Palmitibus stringit moribundam, vuisque coronat,
Mortis in extremâ sorte fidelis amans.

APODOSIS.

Talis adest efflanti animam Seruator amico,
Labentemque humeris tollit ad astra suis.
Semianimem calicis generoso roborat haustu,
Suppositoque pium corpore gestat onus.
Inuiolata fides, & amor post fata superstes
Exhibet æternæ pignus amicitiæ
Ecquid amicitiam mundi miserabilis ambis,
Qui tibi in extremis ferre recuset opem?
Deserit ille suos in mortis agone clientes,
Quò fulcro fragili deficiente cadant.
Proiice te in Christum, non sese fidus amicus
Subtrahet, ibit ouans desuper astra comes.
Labenti innixum labi non stare necesse est:
Innixus mundo labili in ima rues.
Christus at in mediâ labentem morte tenebit:
Stans etenim stantes, quos tenet, ille facit.

FONS EMBLEMATIS.

VItes Italicæ vt plurimum vlmis maritantur: vt hoc fulcro firmatâ earum imbecillitate, fructus proferant vberiores, vuasque suauiores, ait Iuuenal. sat. 8.

Stratus enim palmes, viduas desiderat vlmos,
Vuaque plena mero fœcundâ pendet ab vlmo.

Vt canit Petronius Arbiter. quod ad mores transtulit Plutarchus lib. de adulatoribus vitandis: Vites, inquit, effusis palmitibus proxima quæque arbusta clauiculis suis complexæ lætiores fiunt: sic plures per amicitiam sibi adiungere felicissimum est. Audiendus Ambrosius l. 3. hexam. c. 12. *Nihil gratius florentis odore vitis: siquidem de flore earum succus expressus poculi genus conficit, quod & voluptati sit & saluti.*

saluti. Deinde quis non miretur ex acino vinaceo, vitem vsque in arboris summum cacumen prorumpere, quam velut quodam amplexu, fouet, & quibusdam brachiis ligat, & circundat lacertis, pampinis vestit, sertis vuarum coronat? quæ ad imitationem vitæ nostræ primum viuam defigit radicem; deinde quia natura flexibilis & caduca est, clauiculis quasi manibus quibusdam, quicquid apprehenderit, stringit, hisque se erigit, & attollit.

INTERPRETATIO.

1. VT vitis flexilibus palmitibus, ac clauiculis vlmum stantem amplexa, & ita se sursum erigens, Saluatorem in crucem exaltatum; ita eadem vlmo collapsæ quasi compatiens, & irrupta adhærens copulâ, eumdem Dominum Christiano in extremis agenti opitulantem, & sacri corporis viatico sustinentem aptissime repræsentat. *Gratior*, inquit Bernard. tract. de pass. Domini c. 7. *solet esse foliorum vitis vmbra, cum ipsa leuata super quamdam struem lignorum huc & illuc distenditur: videamus si vera vitis nostra aliquando eleuata fuerit & distenta, & si qua tunc ad nostram protectionem dulcium verborum folia emiserit. Quòd eleuata fuerit testatur de se, dicens: Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Hæc exaltatio de cruce dicta est. Et vide quam aptè lignorum strues, super quam vites eleuari solent, crucem signet: cancellantur enim, hoc est, ex transuerso componuntur, & sic super hæc vitis eleuata distenditur conuenientius. Cancellantur ligna Crucis, eleuantur, in illam distenditur brachiis, & toto corpore vitis nostra. In tantum enim in Cruce distentus fuit, vt dinumerari potuissent omnia membra eius.* En vitis nostra super stantem Crucis arborem erecta, vt nos suorum vmbrâ

ramorum à libidinis ardore protegeret. Nunc eam inclinatam, & cum fideli moribundo collapsam, eumque piis manibus quasi quibusdam clauiculis strictissimè complectentem admiremur. Notum est, quantum Dominus adhuc mortalis humanæ naturæ in Adamo lapsæ compassus fuerit, quàmque indissolubili charitatis nexu eidem adhæserit. Quod eleganter edisserit Doctor mellifluus lib. cit. c. 5. *Totum corpus ipsius vitis*, inquit, *aliis arboribus & arbustis deformius inuenitur, & quasi penitus inutile videtur & abiectum, nec ipso aspectu amabile. Talis erat Christus per affectum compassionis, deinde per defectum passionis. Et quia verè susceperat affectiones nostras, videamus quomodo affici solent homines circa eos quos amant. Quis nesciat hominem circa amicum suum periclitantem sæpe tanto affectu, & dolore moueri, vt corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc præstat homo homini, quantum Deum hominem Iesum putas homini præstitisse? si tu pro vno homine per compassionem periculum corporale incurris, quid putas Dominum Iesum pro omnibus hominibus tolerasse? omnes enim sui erant, & omnes mortaliter infirmi erant. Si Paulus cum infirmantibus infirmabatur, quid benignus Iesus, cùm esset conseruus & frater, cum conseruis & fratribus? Quid Dominus & pater pro creaturâ & filiis? Ardebat Paulus quasi esset radio solis accensus; quantum ipsum solem putas exarsisse? si vsque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accessit, qui scintillam charitatis habuit; quid sentiendum putas de ipsâ charitate, de cuius plenitudine omnes acceperunt? Nec aliquo modo dubitandum, quin infirmitatem & exterminationem corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere, & præ ceteris tantò magis fuerit confectus, quantò maior in eo fuit compassionis affectus.* En quantum vitis nostra, hu-

manæ naturæ quaſi vlmo vetuſtate collapſæ compaſſa fuerit.

2. Nec minor nunc eiuſdem Domini licet immortalis, erga moribundos fratres compaſſionis affectus, quãuis enim auocet gloria, qua nunc ſub Sacraméto fruitur, attamen reuocat natura: non enim ita eſt impaſſibilis vt ſit incompaſſibilis. Verus ille amicus eſt electus ex millibus, amicitiam ad extremũ vſque dié ſeruans inuiolabilem, nuſquã deſerés niſi prius ipſe deſeratur, nobis proinde tantò debet eſſet pretioſior, quantò verus inter homines amicus rarior: cum quotquot hactenus effluxere ſæcula, vix vnam aut alteram ſynceræ amicitiæ iconem abſoluere potuerint. Siquidem vt Zeuxis quærentibus cur tardius lõgoque tempore pingeret reſpondit, ſe longo tempori pingere, id eſt, æternitati; ſic perpetuam amicitiam conflare non licet, niſi longâ vitæ conſuetudine. Hinc Eccleſ. 6. dicitur: *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Et rurſus: *amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis.* Quis porrò mortalium alteri mortali queat eſſe medicamentum immortalitatis? ſanè id Deo abſcondito ſingulariter conuenit, cum S. Ignatius Euchariſtiam vocet in ep. ad Epheſ. *Pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitam in Deo concilians per Ieſum Chriſtum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Ille primum cum homine eximium amicorum par compoſuit, vbi par eſſe cœpit; amor Deum inuenit, hominem fecit; amor imparem reperit, parem reddidit: quòd ea ſit ſynceræ vis amicitiæ aut pares inuenire, aut facere. Nunquid enim nobis æquari voluit, qui frater noſter eſſe & dici non erubuit? Nulla verò ſtrictior quàm

inter fratres amicitia, quòd deceat illos quos eiuſdem vteri continuerunt anguſtiæ, nuſquam ſibi in quibuſlibet ærumnarum deeſſe anguſtiis. *Eſt amicus ſocius menſa*, inquit Sapiens Eccleſ. 6. *& non permanebit in die neceſſitatis.* Chriſtus autem etſi ſocius menſæ Euchariſticæ, non deſinit in die neceſſitatis permanere ſocius epularum, ſocius ærumnarum, & ideo fidelis amicus in die anguſtiæ, quia prius extitit ſocius menſæ; fidelior in aduerſis, quàm in proſperis; cui ſufficiat cum Lazari ſororibus dicere: *Ecce quem amas infirmatur. Non enim amat & deſerit*, ait Auguſt. tract. 49. in Ioan. de quo Prouerb. 17. ſcribitur: *Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur.* Quid eſt omni tempore? in vitâ, & morte, poſt mortem, in æternum, quibus in anguſtiis fraternus probatur affectus, niſi in mortis anguſtiis?

3. Sententiosè Iſocrates apud Maximum ſer. de amore fraterno, ait: *Non decet fratres, vt lances in ſtaterâ, altero humiliato, alterum extolli.* Chriſtus autem & Chriſtianus fratres ſunt; altero igitur mortalis ægritudinis pondere humiliato, alterum extolli minimè decet; imò potius, vti vitis vlmo maritata, ipſa labente collabitur, ita Chriſtum Chriſtiano in mortis lectulo decumbenti compati conuenit, & quaſi iacenti coniacere. Enimverò omnia fidelis amici munia tunc exequitur, viſitat infirmum, triſtem conſolatur, iter ad patriam meditantem ſacri corporis viatico munit, cum dæmone luctaturum extremâ roborat vnctione, nec deeſt amico, cùm omnia deſunt: nouit enim ſuauiorem eſſe in aduerſis amici præſentiam, qui mœrorem animi ærumnaſque par-

tiendo faciat leuiores. Quæ porrò maior vſquam neceſſitas, quàm in homine moribundo; quippe qui ſit à medicis deploratus, mortis inſtantis, iudicij imminentis, gehennæ iudicium ſubſequentis horrore perculſus, Dæmonis tunc maximè ſæuientis ſuggeſtionibus agitatus, omnibus fere ſenſibus deſtitutus; cui memoria admiſſorum recordatione ſcelerum, imaginatio ſpurcis phantaſmatibus obturbatur, cuique mox cum tota æternitate ſiue miſerâ, ſiue beatâ vnico decertandum eſt inſtanti? Equidem tunc maximè cum Dauide poteſt in has miſerabiles voces erumpere: *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt, & qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Sic autem derelicto, omnique ope & ſolamine deſtituto adeſt amicus incomparabilis, iacentem erigit, mœſtum ſui cruoris hauſtu recreat, fameſcentem carne ſaginat, tota denique tum humanitate, tum diuinitate communit. Nec inuiolabilis eius amicitia ſupremâ die limitatur, verùm & poſt mortem animam in purgatoriis ignibus æſtuantem ſui corporis vmbrâ refrigerat. Quinetiam veteres vt amorem eius poſt fata ſuperſtitem deſignarent, fidelium cadaueribus Euchariſtiam quaſi futuræ germen reſurrectionis alligabant. Quæ conſuetudo poſtmodum abrogata eſt à multis Conciliis, Carthaginenſi 3. c. 6. *Placuit vt corporibus defunctorum Euchariſtia non detur: dictum eſt enim à Domino; accipite & edite: cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere.* Antiſſiodorenſi Can. 12. *Non licet mor-*

tuis nec Euchariſtiam , nec oſculum tradi. Et Concilio quiniſexto Can. 83. *Nemo cadaueribus mortuorum Euchariſtiam impertiatur.* Ex hac tamen veteris Eccleſiæ praxi liquet perpetuam eſſe Seruatoris in Sacramento erga nos amicitiam, cum olim frigida fidelium corpora ſuo foueret amplexu. Nimirum vt vitis ramis & clauiculis cadentem vlmum ſuſtinere nititur : ſic vitis noſtra myſtica *cadentis amici perſtat in amplexu.*



EMBLEMA XC.

BALSAMVS VITRO INCIDENDA, NON FERRO, NE MORIATVR.



BAlſamus incidi vitro ſplendente peroptat,
Duritie ferri læſa repente perit.
Elicit eximium vitri ſciſſura liquorem;
Nulla ſed è gladij vulnere gutta fluit.

APODOSIS.

Carnis aromaticæ scißuris balsama Iesus
Stillat, eas cuspis ferrea perdit opes.
Cordis durities suaui est inimica liquori,
Quem vitreus promit virginitatis amor.
Mundities animæ crystallo purior ipsâ
Attrahit in castum diues aroma sinum.
Balsameo quicumque cupis sudore perungi,
Abiice duritiem, suscipe munditiem.

FONS EMBLEMATIS.

OMnibus odoribus præfertur balsamum, vni terræ Iudææ concessum. Malleolis seri dicitur, properat nasci intra tertium annum fructum ferens. Folium proximum rutæ, perpetuâ comâ. Sæuiere in eamdem Iudæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice est. Semen eius vino proximum gustu, colore rufum. Ramus crassior, quàm myrto. Inciditur vitro, lapide, osseisue cultellis. ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari superuacua patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid vltra corticem violet. Succus è plagâ manat, quem opobalsamum vocant, suauitatis eximiæ, sed tenui gutta. Plinius l. 12. c. 25.

INTERPRETATIO.

1. MAgna balsamum inter, ac sanctissimum Sacramentum similitudo perfacile reddit vtriusque parallelum. Omnibus odoribus præfertur balsamum, ait Plinius: Vnde Serrarius l. 2. in Iosue q. 4. in c. 2. putat ita nuncupari quasi

Baal-Schemen, *id est*, *Princeps vnguentum*, *quod inter cætera principes partes obtineat.* Reliquis Sacramentis præcellit Euchariſtia, vtpote eorumdem admirabile complementum, cuius fragrantiâ militans ouanſque perfunditur Eccleſia. Ideo D. Th. opuſc. 58. c. 4. de Euchariſtia accipit illud Eccleſ. 49. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.* *Memoria Ioſiæ*, inquit, *eſt memoriale Saluatoris, vel ſacrificium altaris: hoc factum eſt opere pigmentarij, ſcilicet ex operibus Diuinitatis, & Humanitatis ſuæ, vt ſuauiſſimo honeſtatis & pietatis odore, ad ſe trahat fideles Eccleſiæ*, *Cant.* 1. *Oleum effuſum nomen tuum. Hinc omnes qui verè credunt, ob ſpem gratiæ & deuotionis, ad hoc ſacrificium videndum & adorandum ad Eccleſiam frequenter & reuerenter accurrunt.* In balſamo, præcipua gratia lacrymæ, ait Plinius, ſecunda ſemini, tertia cortici: In Sacramento præcipua gratia diuino ſanguini, cui generis humani redemptionem ſcriptura ſingulariter attribuit; ſecunda ſemini, id eſt, admirandis Euchariſtiæ fructibus; tertia cortici, id eſt, panis & vini Symbolis Ex Theophraſto l. 4. de plantis c. 6. lacryma balſamo manat, tum in caudice, tum in apice, quum æſtus maximè angit. E ſuperiori Chriſti parte nempe Diuinitate fluxit vnionis hypoſtaticæ balſaminum, quo in ſummum Sacerdotem, & Regem inunctus eſt. Sed & inferiori parte, videlicet humanitate, ſanguineis diffluxit lacrymis, cùm nimiæ charitatis æſtus angeret, vt amoris ardor dedignatus anguſtias pectoris, per poros hianteſque plagas foras erumperet. Balſamus aquis gaudet, ex Solino c. 38. gaudet & lacrymis Euchariſtia: quid enim auidius ſitiat quàm pœnitentiæ latices, quibus

affatim irrigata vberiorem gratiæ ſuccum extillat? hæc amariſſimi fletus vnda dominico ſanguini vtiliter admiſcetur; & fortaſſis, vt notat Arcudius, Græci Sacerdotes, ideo conſecrato calici feruidam aquam immiſcent, vt innuant feruentes contritionis igne lacrymas pretioſo cruori permiſcendas eſſe.

2. Balſami lacryma febres cum horrore venientes perunctis leuiores facit, ex Plinio: febres animæ non ſolum leuiores facit, ſed etiam omnino diſſipat Euchariſtiæ balſaminum, illam potiſſimum quæ de mortis omnium terribilium terribiliſſimi horrore contrahitur. Multiplici ſiquidem horrore anima ex fatiſcente corpore mox exitura percellitur, ſiue inſtantis iudicij metu, ſiue ex æterni cruciatus formidine, ſiue ex ſcelerum recordatione quæ commiſſa nouit, remiſſa neſcit; hinc oritur periculoſæ febris tremor. Nihil verò aduerſus eam Euchariſtico balſamo potentius: quid enim tantopere iudicij timeat rigorem, quæ ſecum habet ipſum iudicem? Cur metuat gehennam, quæ poſſidet in ipſius accepto pignore gloriam? Quid vereatur mortem æternam, quæ Chriſti carne ſaginata, eodem atteſtante, habet vitam æternam? quid adeo trepidet pro peccatis, quæ madet ſanguine fuſo pro peccatis? Balſami lacryma rigores ſoluit: rigidum, & implacabilem animum ad clementiam flectit Euchariſtia. Quis enim vel vindictæ cupidiſſimus agnini cruoris balſamo illitus, non illico mitigetur?

3. Demum aliis prætermiſſis, Balſamus vitro, lapide, oſſeiſue cultellis inciditur; ferro lædi vitalia odit, emoritur protinus; vt ſupra ex Pli-

nio retulimus. Christus quidem primum lapideo cultro circumcisus balsamei sanguinis guttas è plagâ manantes Ecclesiæ sponsæ obtulit, in arrham vberioris balsamini, quod inciso lanceâ clauisque innocentis humanitatis cortice, feruenti charitatis meridie profusurus erat. Exhinc pridie quàm pateretur, splendido sui erga nos amoris incisus vitro, calicem Eucharisticum balsameo liquore spumantem discipulis propinauit hauriendum: nec enim ambigi potest, quin in vltimâ cœnâ mactatus amoris cultello pretiosum cruorem fuderit, cùm ex S. Luca, vt in calice contentus effusus fuerit. Denique mystica nostra balsamus ferreis vnguibus incisa copiosius quidem fragrantis cruoris opobalsamum effudit, verum protinus ferri impatiens, læsisque vitalibus emarcuit. An non ferrei vngues, scorpiones illi, quibus tenerum corpus à cohorte in Pilati prætorio laniatum est? An non ferrei vngues claui illi, quibus artus innocui sæuissimè transfixi fuere? sudat adhuc in tremendo altari rediuiua nostra balsamus, & ex amoris incisuris inæstimabiles cruoris guttas extillat, verùm ibi ferro lædi vitalia odit, & ferrei cordis duritiem vtpote suauissimo liquori inimicam execratur. *Quid ergo cor durum?* inquit Bernardus l. 1. de Consideratione c. 2. *Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, preteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens. Ipsum est cui*

præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi forte ad vlciscendum, prospectio seu præparatio est. Et vt breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Nihil verò hac ferreâ cordis humani duritie Eucharisticæ balsamo hostilius; *Liquori durities inimica meo.*



FLORES.

EMBLEMA XCI.

GRANADILLA INDICA DOMINICÆ PASSIONIS INSIGNIBVS CONSPICVA.



Hinc procul illecebris nati discedite flores;
Ite leues Floræ luxuriantis opes.
Hinc procul impuro Veneris rosa tincta cruore,
Quique trucidatum fles hiacynthe ducem.

Deliciæ Granadilla mea, mea sola voluptas,
Præ Paradisæis floribus vna places.
Quippe mei plagas Domini, extremumque laborem
Subiicis ante oculos, flos pretiose, meos.
Instrumenta necis, fixique insignia præfers
Numinis, & rubris vulnera picta notis.
Tortilis assurgit medio de flore corona,
Clauorumque trium, summa, nigredo tenet.
At calices fundumque color violaceus ornat,
Magnificis regum congruus exequiis.
Quinque cicatrices diuinæ carnis adumbrat
Purpura, & intingens paruula fila rubor.
Nec sine re, firmum languentia membra pedamen
Sustinet, erectæ tristis imago necis.
Tota Dei patientis ibi est funesta supellex:
Pictaque in exiguo paßio flore nitet.

APODOSIS.

Viuificæ mortis flos Eucharisticus icon
Vulnera hiulca Dei, suppliciumque refert.
Mystica diuinum renouat granadilla dolorem:
Iste sed est multo mixtus amore dolor.
Quem dolor in ligno quondam mactauit, eumdem
Quotidie verbi cuspide mactat amor.
Lancea seiunxit pretiosum à carne cruorem:
Lingua Sacerdotum par quoque præstat opus.
Ductibus eximiis mors hîc expressa theandri:
Hinc pia mens floris gestit odore trahi.
Cordis humum diuinus amor sic excolat, vt flos
Pullulet in casto tempus in omne sinu.
Et calices flos iste suos sic explicet, vt cor
Suaue salutiferæ fragret odore necis.
Angulus est cordi triplex, vnum insere clauum
Cuilibet, & spinis sit redimitus apex.

Crux medium teneat, centroque medullitus hærens
Passio; sic fieri cor granadilla potest.

FONS EMBLEMATIS.

FLorum omnium facile princeps Granadilla, Caluariæ fœtus, flos passionis, omni Christi patientis supellectile conspicuus, & gloriosis, crucis, columnæ, spineæ coronæ, quinque vulnerum, trium clauorum, & ipsius lanceæ clarus insignibus accuratè describitur à Roüillio in historiâ plantarum peregrinarum. At præ cæteris florem hunc admirandum gallicis versibus verè floridis elegantissimè delineauit, & eius iconem dedit Cerizerius l. 4. consolationis Theologiæ, poësi primâ, quem consule.

INTERPRETATIO.

1. NOn mediocris floris & mortis est affinitas, vnde floris hieroglyphico hominis adũbratur mortalitas, *qui quasi flos egreditur & conteritur*, & instar herbæ solstitialis repente exortus, repentinò occidit. Eapropter Ambrosius l. 3. hexam. c. 7. expendens illud Isaiæ c. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*, ita disserit: *Viret gloria hominis in carne quasi fœnum, & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est; germinat vitæ viriditatem in specie, non in fructu soliditatem hilarioris vitæ, quasi flos prætendens iucunditatem, breuiori spatio occasura, sicut herba fœni, quod prinsquam euellatur arescit. Quæ enim firmitudo in carne? quæ salubritas potest esse diuturna? hodie videas adolescentem validum pubescentis ætatis virtute florentem, gratiæ specie, suaui colore; crastinâ die tibi facie & ore mutatus occurrit.* Flos igitur idoneum mortis futuræ

ſymbolum, vnde nihil mirum ſi granadillæ mortis ſuæ notas Dei filius impreſſerit, cui adhuc mortali ſicut nihil vnquam occurrit mortis ſuæ cogitatione iucundius, vnde & inter Thaboris glorias de eadem cum Moyſe & Elia, ſumma cum voluptate diſſerebat: ita nunc eidem immortali, nihil magis, quàm paſſionis recordatio arridet. Idcirco illuſtria eiuſdem monimenta tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ reliquit, ne noſtris excideret animis doloris eius & amoris exceſſus. In ordine naturæ, omnem paſſionis hiſtoriam viuis coloribus eximiiſque ductibus in granadillâ depinxit, vt quoties illius pulchritudinem admiramur, toties mortis eius recordaremur. Nihil enim Domino fuit antiquius, quàm vt iſtud infinitæ ſuæ dilectionis ſpecimen, ab hominum, quos in finem dilexit, obliuione vindicaret.

2. Verùm in ordine gratiæ longè pulchrius ſuæ paſſionis monumentum Euchariſtico flori impreſſit. Fuit olim in more poſitum, vti in vita S. Ioannis eleemoſynarij legitur, vt eo die, quo quis ad imperij faſtigium euectus, ſceptro, diademate, purpurâ, cæteriſque imperialis maieſtatis inſignibus induebatur, eidem à nonnullo ſculptore vel architecto quinque varij coloris lapides proponerentur, vt ex illis vnum ſeligeret, vnde ſibi vellet extrui mauſolæum: quatenus audito tumuli nomine, mortis futuræ memoria, animi faſtum temperaret. Magnificum vltimæ cœnæ apparatum cogitanti mihi, diuinus amor quaſi ſolers architectus regi regum Chriſto inter paſchales epulas, multiplicem mihi videtur obtuliſſe materiem, vnde ſuę iamiam imminentis paſſionis monimẽtum erigi mallet, Chriſtuſque; quoniam inter epulandũ huiuſmodi data eſt optio;

panem

panem & vinum in suæ mortis memoriale selegisse, adeoque Eucharistiam suæ passionis expressiuam instituisse. Et verò nullam viuaciorem mortis suæ imaginem nostris oculis subiicere poterat; cùm in hoc Sacramento, vi verborum posito seorsim à carne sanguine, iugiter à Sacerdotibus immoletur, incruentâ vtique immolatione, quâ primum in vltimâ cœnâ amoris sacrificantis ictu procubuit. Quòd enim tunc quodam mortis genere occubuerit, ex ipsius verbis Matth. 12. euinci potest: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Hinc enim liquet Dominum tribus noctibus vitâ functum in terræ corde futurum. At quomodo tres noctes, immò & trium noctium partes inuenire poteris, nisi eumdem priusquam in cruce morte sensibili periret, in Sacramento morte mysticâ obiisse fatearis? constat enim ab horâ nonâ qua sanctissimam efflauit animam, vsque ad primam Sabbati, qua resurrexit, duas solummodo noctes effluxisse, ac proinde nisi nox institutione sancti Sacramenti celebris iis duabus addatur, ternarium noctium numerum haberi non posse. Igitur pridie quàm in cruce moreretur, iam mysticâ morte verbi consecratorij gladio immolatus occubuerat. Hæc est eximia Gregorij Nyss. doctrina orat. 1. de resurr. *Si reipsa præfinitum horum dierum numerum planè vis perspicere, (neque enim illi parum deest, si post horam nonam parasceues tempus consideres, qua quidem horâ Dominus Patris manibus spiritum commendauit) paulisper attende, & fortasse quod quæris inuenies. Qui enim potestate suâ cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudæorum quasi prædonum impetum, non iniquam Pilati sententiam expe-*

ctat, vt eorum malitia sit communis hominum salutis principium, & causa; sed consilio suo anteuertit, & arcano sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, Sacerdos simul existens, & agnus Dei, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cum corpus suum discipulis congregatis, edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit Agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneũ, si animatum sit: quare cùm corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcanâ & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat, & anima in illis erat, in quibus eadem ipsa potestas illam deposuit, simulque cum diuinâ virtute, quæ cum illa erat coniuncta, in eâ regione cordis versata est.

3. Quæ autem aptior cruentæ Christi immolationis expressio, quàm eiusdem incruenta nostris in aris immolatio? Eucharistia ergo Granadillę non absimilis, cuius singulæ partes passionem Domini repræsentant. Siue enim consecrationem spectes, qua sanguis seorsim à corpore ponitur; seu Sacerdotis communionem, qua consumitur hostia, siue Missæ ceremonias, nihil occurret quod non passionem spiret, quod non Caluariam redoleat. Siquidem in hoc admirabili Paradisi flore non tortilem quidem coronam aspicias, sed intextum è spinarum punctionibus quasi totidem carbunculis gloriæ diadema, quo Iesuani capitis illuminatur cæsaries; ibi non tres claui, sed illustres clauorum fixuræ etiamnum hiantes ad animarum azylum; ibi denique natiuis expressa coloribus tota Dei moriẽtis historia, iuxta illud Apostoli: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem* Domini *annuntia-*

bitis, donec veniat: id eſt, interpretatur Theophylactus, *eo affectu debetis eſſe imbuti, cùm ſumitis Euchariſtiam, perinde quaſi in illâ ipsâ Chriſti eſſetis veſperâ, adeoque cœnâ, eidemque accumberetis thoro, & ab ipſo Chriſto acciperetis ſacrum illud. Illa enim ipſa eſt cœna, & illam ipſam mortem annuntiamus, id eſt, demonſtramus vſque ad ſecundum eius aduentum.* Faceſſant igitur carnalium roſæ voluptatum, quibus impij ſeſe coronare properant antequam marceſcant, ſola nobis fragret immarceſſibilis Euchariſtiæ granadilla, horti Eccleſiaſtici decus, & florum ocellus, eâ cor noſtrum coronemus, ne noſtris vnquam animis excidat Dominicæ paſſionis memoria: Cum ipſa *viuificæ ſit viua expreſſio mortis.*



PLANTÆ.
EMBLEMA XCII.
RORARIA IVGI RORE SVB ARDENTI SOLE MADENS.



Roris amans, vitreisque nitens roraria guttis,
Perpetui roris nomen & omen habet.
Sol vbi languentes radiis ardentibus herbas
Afflat, & æstiuo lumine torret agros.

In foliis rorella cauis argentea roris
Grana tenet nitido ſplendidiora vitro.
Planta humilis, ſed rore tamen famoſa perenni:
Mirum ex æthereâ poſſe madere face.

APODOSIS.

Rore madent humiles animæ, quas vulnere manans
Iugis adorandi corporis humor alit.
Quò magis interius ſol Euchariſticus ardet,
Flammatoque magis lumine corda calent:
Hoc magis æthereo florent perfuſa liquore;
Cæleſteſque fouet feruidus æſtus aquas.
Gratiæ abundanti quicunque madeſcere rore
Percupis, hunc ſolem ſuſpice, rore flues.
Nec ſtupeas, ſi rore ſinum ſol igneus implet:
Roridâ enim nebulâ delitet, vnde pluit.

FONS EMBLEMATIS.

ROraria paruula quidem planta, ſed elegans, veteribus forſan incognita, ſed aduerſus pleroſque morbos efficax, potiſſimùm verò contra tabem & phthiſim ſalutaris, formâ capillaribus herbis affini, naſcens arenoſis ac riguis locis, hac in re meretur admirationem, quod ardentibus meridiani ſolis expoſita radiis, ſua tamen folia inſtar puſilli cochlearis concaua roſcido ſemper humore madida conſeruat; adeo vt tenera foliorum lanugo diuerſis roris guttulis inſtar vnionum pellucidis ſemper humectetur. Vnde roraria dicta eſt à recentioribus, à nonnullis rorella, à Dodenæo hiſtoriæ ſtirpium, pemptadis 3. l. 5. c. 17. vocatur ros ſolis, à rore quo ſub ardentiſſimo ſolis æſtu madet, quam & ibidem ſic deſcribit: parua & humilis hæc herba eſt, foliola habet in tenuibus pediculis pauca, exi-

gua, rotunda, aliquantulum concaua, vnà cum cauliculis hirſuta, ac rubentia, ardentiſſimis temporibus, ſubque feruidiſſimo ſolis æſtu, ipsâ meridie, ac poſt, rore humoreque madentia. Cauliculi inter hæc ſurgunt quadrantales, aut minores, in quibus floſculi candiduli, tenuiſſimæ ac capillaceæ radiculæ ſunt. Naſcitur locis deſertis apricis, ſed riguis: colligitur cum Cæli conſtitutio ſereniſſima fuerit.

INTERPRETATIO.

1. QVid aptius per rorariam, humilem quidem, ſed elegantem plantam, iugi rore madidam, ac niueo flore conſpicuam, quàm B. Virginem intelligam, quæ ſub ardenti iuſtitiæ ſolis aſpectu, cœleſtem Verbi diuini rorem humili ſinu ſuſcepit, & illibatum Paradiſi florem virginali radice protulit? Illa quidem inſtar rorariæ perhumilis, quæ Dei filium, quem Prophetæ ſitibundi quaſi rorem melliſluum his olim vocibus expetebant: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, potentiori humilitatis, quàm integritatis illecebrâ ſuum in gremium attraxit. Nouerat enim editiora loca rore carere, quo humiliora madent; tum quòd vapor ex quo ros gignitur non niſi è locis cauis & humidis exhaletur, tum maximè quod venti ſublimiora loca perflantes vaporem diſſipent, eiuſdemque in rorem concretionem impediant. *Si igitur*, ait Bernardus ſer. 1. ſuper Miſſus eſt, *Maria humilis non fuiſſet, ſuper eam Spiritus ſanctus non requieuiſſet: ſi ſuper eam non requieuiſſet, nec imprægnaſſet; quomodo enim de ipſo ſemetipſo conciperet? patet itaque quia vt de Spiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ potius, quàm virginitatem: & ſi placuit ex virgini-*

tate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Ideo igitur ambrosius Verbi diuini ros è cœlo in Mariæ sinum decidit, quia præ omnibus sese humilem exhibuit: sicut enim roraria roscido nullatenus humore madefieret, nisi paruula folia cochlearis instar concaua, quibus ros adhærescit, explicaret; ita nec cœlesti rore Virgo innocens humectaretur, nisi prius humiliaretur, eâ quidem humilitate quæ fœcundam integritatem, ad diuinam efferret maternitatem. Vt autem rorella inter plantas humillima candidulis floribus turget, ita Virgo perhumilis niueum incarnati Dei florem protulit, Iesum, inquam, nomine & omine Nazarenum. Audi Bern. ser. 2. de aduentu: *Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius. Flos itaque filius Virginis, flos candidus, flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cuius odorem reuiuiscunt mortui, & sicut ipse testatur, flos campi, & non horti: campus enim sine omni humano floret adminiculo; sic omnino Virginis aluus floruit; sic inuiolata Mariæ viscera tanquam pascua æterni viroris florem protulere, cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat.* Itaque rorellæ planè similis candidum florem concepit, vbi feruentibus æternis solis afflata radiis, concauo humilitatis sinu, Dei filium quasi rorem excepit, cuius arcana generatio, & occultus in terram virginalem illapsus; & quidem noctu, quo maximè tempore ros defluit: *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotens sermo tuus de cœlo in terram prosiliuit*, Sap. 18. 14. Et vide si non vtrumque solem videlicet & rorem connectat Ecclesia; dum in vigilia Nat. ita canit: *Orietur sicut sol*

Saluator mundi, & descendet in vterum Virginis sicut imber super gramen. En rorella sub ardenti sole rore madida.

2. Quidni & huic plantæ fidelem animam assimilem, quæ solis Eucharistici irradiata fulgoribus, iugi gratiarum imbre,& margaritifero diuini cruoris rore perfunditur? Ros suauem & vitalem halitum animantibus aspirat, vt noxium calorem mitiget: idem præstat ros è sacro calice defluus, teste Chrysost. ho. 46. in Ioan. *Si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur: æstus mitigat non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt.* Ros terram irrigando fœcundat, & herbescentem segetum viriditatem euocat ac nutrit: Nil etiam diuino cruore fœcundius, ab eo enim omnis Ecclesiæ fertilitas, cum omnia sanctorum merita inæstimabili illius merito fulciantur. Ros orientis solis afflatu concrescens transit in manna, aduersus plerosque morbos efficax: pretiosi liquor calicis charitatis ardore condensatus, nobis aduersus ægritudines animæ remedium suggerit. *Calix benedictione solemni sacratus,* verba sunt Cypr. de cœna Dom. *ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Ros nonnisi nocte serenâ gignitur, cum cœlum tranquillum est; eo enim aut ventis, aut violentis imbribus infestato, vapor sursum euocari nequit, nec in rorem concrescere: Nisi tranquilla sit anima eâ quiete perfruens quæ mitibus ac humilibus corde promittitur, nunquam rore cœlesti perfundetur. Duplicem in scripturis rorem subtiliter distinxit Gillebertus ser. 42. in Cant. expendens illud Cant. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Rorem videlicet noctis, cuius guttæ

gelidæ ſint & tenebroſæ, & rorem lucis,cuius guttæ ſplendidæ ſint & feruidæ, iuxta illud Iſaiæ 26. *Ros tuus, ros lucis.* Ros Euchariſticus gelidis & tenebroſis mentibus ros noctis eſt; iis verò quas & gratiæ ſplendor, & iuſtitiæ ſol illuſtrat, ros lucis à Chriſto velut à lumine exaltato defluens. Hinc Auguſt. enucleans hunc verſum Pſ. 132. *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*, vbi præmiſit Hermon Hæbræis idem eſſe ac lumen exaltatum; ſubdit diuini cruoris rorem non aliunde, quàm ab illo lumine exaltato in aram crucis promanare. *Hermon*, inquit, *interpretari dicitur lumen exaltatum. A Chriſto ergo ros; nam nullum lumen exaltatum, niſi Chriſtus. Quomodo exaltatum eſt? Primò in cruce, poſtea in cœlo. Ergo lumen exaltatum Chriſtus; inde eſt ros Hermon, optate rorem iſtum, compluimini inde.* Quem verò alium quam lucis rorem, ab iſto lumine rorido noſtras in aras exaltato expectare libeat, cuius illitu mentis cæcitas, mortis vmbra, errorumque tenebræ diſſipentur? Appoſitè Laurentius Iuſtinianus in faſciculo amoris c. 1. *Aperuit*, inquit, *in cœnaculo poſita, atque in ſuorum Dei ſapientia conuentu Diſcipulorum conſtituta os ſuum, indeque dilectionis præcepta, tanquam Diuinitatis luminaria, & amoris emiſit iacula, quatenus vniuerſam illuſtraret Eccleſiam, eamque ſaluberrimo transfigeret vulnere charitatis.* Nimirum ros è Sacramento defluens, ita eſt de iuſtitiæ ſolis ſplendore lucidus, vt de eiuſdem ardore ſit feruidus, vnde mentem ſimul illuminat & accendit.

3. At vnde rorariæ foliis ros iugiter adhæret, niſi quia riguis & imis naſcitur locis, ex quibus vapor ardore ſolis euocatus in rorem facile concreſcit? vis ergo cœleſtium imbre gratiarum irrigari, & diuino cruore iugiter irrorari, eſto planta humilis

ſecus fontem Saluatoris, ſecus decurſus aquarum in vitam æternam ſalientium. Non enim defluet ros ſalutaris, non deſcendet irrorans Dominus, niſi prius per ſynceram humilitatem deſcendas. Audi Auguſt. in pſ. 33. v. 19. *Altus eſt Deus, humilis eſt Chriſtianus: ſi vult vt altus Deus vicinetur illi, ille humilis ſit. Magna myſteria, fratres, Deus ſuper omnia eſt: erigis te, & non illum tangis, humilias te, & ipſe ad te deſcendit.* Superbis enim reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Itaque ſi rorariæ inſtar coram Euchariſtico ſole deprimar, ſi concauo humilitatis ſinu rorantes ipſius radios excipiam, tunc affluet, *mihi ros ſupero ex ardore perennis.*



FRVCTVS.
EMBLEMA XCIII.
PEPO NIVEVM AGNVM INTRA CORTICEM INCLVSVM HIATV PRODENS.



La chair que couure mon escorce
Leur est vne puissante amorce.

93

CAndidus erumpens agnellus hiante peponis
Cortice, Tartariæ regibus esca datur.
Vellere splendenti vestit, quos carne saginat;
Vnus & ad vestes sufficit, atque dapes.

APODOSIS.

Cortice ſub niueo ſpecierum candidus Agnus
Delitet, Agnetis martyris vnus amor.
Non niſi regales animas hæc nobilis eſca
Addecet, angelicis difflua deliciis.
Vindictæ cupidos molli nec vellere veſtit,
Carne nec infames integer agnus alit.
Si cupis his nutriri epulis, rex eſto, rebelles
Cordis & affectus relligione doma.
Nî prius integritas niueum te fecerit agnum,
Non agni nitidâ carne mereris ali.

FONS EMBLEMATIS.

BEatus Odoricus in itinere quo perrexit ad magnum Cham Tartarorum, referente Rhamuſio: rem, *ait*, admirabilem ſcribo, non à me viſam, ſed ab hominibus verè fide dignis auditam, aſſerentibus in quodam regno eſſe aliquos montes nomine Capeſcos, vbi naſcuntur permagni pepones, qui matureſcentes aperiuntur; & intra eos reperitur animal, ad inſtar agni puſilli, quod habet peponem & carnem ſimul. *Et rurſus in alio loco*: quodam die, *inquit*, vidi belluam ad magnitudinem agni albam ad inſtar niuis, cuius lana æmula goſſypij facile à cute vellebatur. Circunſtantes interpellati dicebant, datam à magno Cham cuidam Baroni pro carne optimâ humano victui inter alias omnes, ad regum delicias. Subdiderunt montem eſſe Capeſci nomine, in quo pepones naſcuntur magni, qui matureſcentes hiant, & huiuſmodi beſtiam exerunt.

INTERPRETATIO.

1. INter eximia Euchariſtiæ Symbola, vix fortaſſis occurret elegantius eo, quem tabula repræ-

ſentat, pepone ſingulari, cuius hiatu niueus agnus erumpit: conſtat enim Chriſtum in ſcripturis paſſim agni nomine deſignari, cuius ea vox ex Ierem. 11. 19. *Et ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimã*, cuius cãdido vellere veſtimur, carnibus alimur, cruore inebriamur; quem S. Andreas omnipotenti Deo immolabat quotidie, *cuius carnem poſtquam omnis populus credentium manducauerit, ipſe qui ſacrificatus eſt integer perſeuerat & viuus*. Nec myſterio vacat perpetuum illud duorum agnorum holocauſtum, quorum alter mane, alter veſpere, ex Dei præcepto Numer. 28. offerebatur, cæteris omnibus Moſaicæ legis præcelluiſſe ſacrificiis: id enim non aliunde ortum habuit, quàm quod iuge nouæ legis holocauſtum, agnum, inquam, Euchariſticum viuacius adumbraret. Huic enim ſempiterno duorum agnorum holocauſto reliquæ omnes, ſiue ex auibus, ſiue ex pecoribus victimæ, quaſi appendices adiungebantur; quo nobis inſinuaretur omnia impropria bonorum operum ſacrificia, & omnes eleemoſynarum, ieiuniorum, ac orationum hoſtias, ab agno Euchariſtico quaſi principe victimâ vim præcipuam, valoremque mutuari. Eapropter in veteri teſtamẽto gratior Deo ſemper extitit ex agno, quàm ex quauis aliâ animante hoſtia, vt patet in Iuſto Abel ouium primogenita videlicet agnos immolante, in Abraham agnum maſculum loco filij iugulante, in Hebræis agnum paſchalem in Ægypto Dei iuſſu mactantibus, eiuſque cruore ſuperliminaria domorum illinentibus: quod huiuſmodi mite, ſimplex, caſtum & innocens animal, agni Euchariſtici puritatem, manſuetudinem, innocentiam, cæteraſque virtutes ad viuum repræſentaret; cuius nunc ſangnine domus interioris ſuperliminare linimus, dum in ſacrã

ſynaxi paſſionis eius recordamur, vt exponit Gregor. M. ho. 22. in Euangelia, his verbis: *Quis ſit ſanguis agni non iam audiendo, ſed bibendo didicimus; qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur: Nam qui ſic Redemptoris ſui ſanguinem accipit, vt imitari paſſionem illius nondum velit, in vno tantum poſte ſanguinem poſuit. Quid verò eſt illum ponere in ſuperliminaribus domorum? mens noſtra domus eſt, cuius domus ſuperliminare eſt ipſa intentio, quæ præeminet actioni: qui igitur intentionem cogitationis ſuæ ad imitationem Dominicæ Paſſionis dirigit, in ſuperliminari domus agni ſanguinem ponit.*

2. Chriſtus igitur ſub accidentium cortice velut agnus deliteſcit, quem eo nomine ter in Miſſâ veneratur Eccleſia, ex Sergij Pontificis inſtituto anno 701. decantans: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis.* Iure quidem Agnus Dei, tum quod ſoli Deo offeratur, tum quod ita ſit homo, vt Dei ſit filius: filij autem agni vulgo nuncupantur, vt obſeruauit Clemens Alex l. 1. Pædag. c. 5. *Quoniam* inquit, *ſcriptura pueros & infantes agnos vocat, Deum qui eſt Verbum, qui propter nos homo factus eſt, qui nobis in omnibus aſſimilari volebat, vocauit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris*, vtique quatenus hominem. Quò reſpexit S. Paulini muſa dum pueros à baptiſmo recentes, & vt loquitur, niueos corpore, mente, habitu, agnos appellauit, vtpote Dei agno paſtos, iuxta morem veteris Eccleſiæ:

Circunſtanſque rudes feſtis altaribus agnos
Cura, ſalutiferis imbuit ora cibis.

Vt autem ex agni Emblematcij lanâ goſſypij æmulâ veſtes regiæ confici ſolent; ſic ex agni Euchariſtici vellere, animæ nuditas operitur: quippe qui, vt cum Hieronymo loquar, *non ſolum ſanguine ſuo nos re-*

demit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, suâ veste calefaceret, vt audiremus Apostolum nobis loquentem: quotquot in Christo baptisati estis, Christum induistis. Sic ille in c.53. Isaiæ, quam doctrinam videtur hausisse ex Gregor. Nazianz. oratione in sanctum pascha, vbi sic disserit: *Agnus sumitur ob innocentiam nempe, & veteris nuditatis indumentum: talis etenim hostia propter nos oblata incorruptibilitatis est & vocatur indumentum.* Porrò sicut agni nostri caro, præ omnibus regiæ mensæ ferculis sapida, solis præbet delicias regibus, iis, inquam, qui domitis cupiditatibus, triumphatisque vitiis sibimet gloriosè & feliciter imperant; ita vellus eiusdem aureo Iasonis vellere pretiosius, non nisi regales animas induit & exornat, quæ diuinæ consortes naturæ, Deoque ipso saginatæ, nil nisi diuinum spirant, nil nisi præcelsum & illustre moliuntur.

3. Tandem vt agnellus Symbolicus peponis hiatu proditur, quem aliàs sub eius cortice delitescere nemo suspicaretur; ita fidei lumine penetrato sacrarum cortice specierum, Agnus Dei intus latitans fidelibus aperitur, qui sacrilegis & infidelibus operitur. Hiabat plane cortex Sacramētalis, suoque latentem agnum hiatu prodebat Pio Petri Damiani parenti, qui cum factus monachus Abbati suo sacrum facienti singulari deuotione ministraret, *quadam die*, vti refert Damianus l. 6. ep. 24. *perlecto Euangelio, cum cœlestes ille victimas immolaturus esset, agum iuxta altare vidit assistere, quem cum voluisset repente corripere, tremefactus expauit, manumque in eum extendere non præsumpsit. Cumque ad id peruentum esset, vt corpus Dominicum frangeretur, præfatum agnum super mensam altaris vidit quem cum defixis obtutibus denuò miraretur, repente disparuit. Quod dum Venera-*

bilis Abbas ex relatione illius qui hoc viderat, agnouiſſet, occultandum eſſe præcepit. Cum igitur ſub Sacramenti cortice viuus & verus agnus lateat, cuius vellere induimur, cuius carne paſcimur, cuius ſanguine potamur: quotquot refrigeſcente iam charitate algemus, quotquot ex diuturniori inediâ fameſcimus, quotquot interni peccati fomitis æſtu ſitimus, ad hunc Agnum niue candidiorem, amabilem Agnetum ſponſum ardenter hiemus, ipſius lanâ veſtiendi, ipſius carne ſaginandi, ipſius cruore inebriandi. Noſtra quidem nuditas, fames, & ſitis, ſatis ſuperque nos ad illum ore ac pectore ſuſcipiendum mouent & excitant: ſed etiamſi huiuſmodi deeſſet inuitatus, ſuauiter nos, ac fortiter ſub Sacramenti cortice *caro latitans inuitat ad eſum,*



ASTRA

ASTRA.

EMBLEMA XCIV.

STELLA NEBVLOSA CANCRI, EX QVINQVE STELLVLIS CONFLATA.



Ce nuage qui paroist blanc
Porte cinq astres dans son flanc. 94

PLuribus ex stellis, queis constellatio Cancri
Splendicat, vna magis, quæ nebulosa, placet.
Quinque subobscuro constantes lumine stellas
Continet arcano nubila stella sinu.

APODOSIS.

Inclusum nebulis Sacramentalibus astrum
Fulget in altari, quinque minora ferens.
Quinque cicatrices totidem nebulosa videntur
Astra, quibus Domini splendet hiulca caro.
Sub specierum vmbrâ magis æstuat ignis amoris:
Erumpunt mediis sidera vulneribus.
Vulneribus mihi, Christe, tuis vt sidera donas;
Sic inflige tuis vulnera sideribus.
Quæ mihi fulgureis infliges vulnera stellis,
Vulnera amoris erunt; vulnera amoris amo.

FONS EMBLEMATIS.

IN vnicâ stellâ nebulosâ cancri, spectantur per tubum opticum quini stellarum tumuli, ex nubilo constantes lumine, aliquot intermicantibus stellis; inter quas & circumcirca candidum affusum lumen, albæ instar nubis. Ita Nierembergius l. 2. hist. Natur. c. 15.

INTERPRETATIO.

1. PVlchrè Sapiens c.7. sapientiam increatam, incarnatamque describens, ait: *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei maiestatis.* Quippe Christus in Sacramento delitescens planè sincera est diuinæ claritatis emanatio, nihil tenebrosum, nihil inquinatum admittens, & verè candor lucis æternæ etiamnum quoad humanitatem, quæ ibidem niueo incomparabilis gloriæ splendore redimita, tum militantem, tum triumphantem illuminat Ecclesiam, soli suppar, qui vt cum S.Dionysio

loquar c. 4. de diuininis nominibns, *totus lucens & splendidus semper, omnibus etiam quæ eius lucem capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum, sursum & deorsum; ac si quid est quod ei non participet, id eius luminis tenuitati aut paruitati non est tribuendum, sed iis quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque illius radius immensâ splendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, absoluit, purgat, renouat, colligit, conuertitque ad se omnia.* Quibus verbis nihil ad rem Eucharisticam accomodatius. Christus enim in Sacramenti nebulâ sursum in cœlis, deorsum in templis gloriæ quidem lumen comprehensoribus, gratiæ verò radios viatoribus diffundit, vtpote ad capiendam eius lucem idoneis: quòd si qui sint qui diffusum vndique lumen non excipiant, id non luminis tenuitati, sed prauæ eorum dispositioni tribuendum; quòd lethalis culpæ, vel infidelitatis catenâ constricti, ad splendorem eius capiendum non explicentur. Quos enim suæ claritatis capaces inuenerit, illos ad vitam immortalem excitat, gratiam, quæ animæ vita est, adaugendo, illos alit vitali suæ carnis, & sanguinis influxu, illos à peccatis plerisque sæpius absoluit, illos purgat & renouat affusâ spiritus nouitate, & ampliori gratiâ illos colligit, & per terrena dispersos ad vnum & totius vnitatis centrum, vi sacræ Communionis, reducit; illos denique non solum ad se, verùm & in se conuertit.

2. At vnde ista immensa diuinæ carnis claritudo, & admirabilis sideris nostri splendor? nisi ab eius occasu, à quo præclariores glorias fœneratur? Vnde non nisi vergente passionis occasu, in Ecclesiæ cœlo Sacramentali inuolutum nebulâ ortum est, vt mortalibus innueret se præcipuos ab instãtis mortis oc-

casu mutuari fulgores: nisi enim prius in cruce occubuisset, non iam immensam ex hiulcis cicatricibus, quasi totidem stellarum intermicantium tumulis, circumquaque spargeret claritatem. Cui proinde mirè conuenit quod de sole Zeno Veronensis ser. de resurr. disserit: *Sol quotidie nascitur, eademque die qua nascitur, moritur; nec tamen instantis finis sorte terretur suos vt repigret cursus, vt horas ac momenta producat, vt saltem paulò diutius diei sui demoretur in vitâ, sed fidelis semper, semper intrepidus, ad sepulchrum noctis cognatæ contendit, scius in ipsâ se habere quod viuit. Denique adimitur ei ortus, si ei auferatur occasus.* Quid pulchrius? quippe sidus nostrum eadem die, hoc est, intra 24. horarum spatium, qua in Eucharistiâ oritur, in Caluariâ moritur; nec tamen instantis finis sorte terretur, quin imò alacrius ad mortem immortalis gloriæ obstetricem contendit, haud nescium se in ipsâ habiturum quòd beate viueret, quòd ex quinque cicatricum stellis gloriæ radios vibraret: adeo vt ei prorsus ademptus foret ortus, si talis ei fuisset ablatus occasus. Siquidem ab huiusmodi occasu ortus est beatæ immortalitatis splendor, quo nunc sub specierum nebulâ, sole micantius effulget, & in sacri corporis vulneribus cæperunt radiare quinque sydera, ex quibus stella nebulosa coalescit. Nimirũ diuinus noster triumphator plagarũ cicatrices in rediuiuo corpore seruare voluit, vt indelebiles victoriarum suarũ notas, & augustos vberioris gloriæ suæ characteres; *Quasi*, inquit August. ep. 48. ad Deo gratias q. 1. *si quisquam vir fortis pro patriâ dimicans, multa aduersa vulnera exciperet, & peritissimo medico qui hæc ita curare valeret, vt & cicatrices nullæ apparerent, ipse potius diceret, sic se velle curari, vt magis essent in corpore suo vestigia vulnerum,*

tanquam tituli gloriarum.

3. Vulgò docent Astrologi sidera non solius lucis & motus interuentu, sed per alias etiam occultas vires aliarum qualitatum effectrices, quas influentias vocant, in mundum sublunarem influere: adeo vt non solam lucem motu circumuectam, ad omnia effecta quę ipsis ascribuntur sufficere existiment; sed insuper speciales cœlestium corporum exigant afflatus quibus subscribunt D. Th. quodl. 6 art. 19. & D. Bonauent. in 2. dist. 14. q. penult. Nebulosa quidem Dominicæ humanitatis stella, micantibus quinque cicatricum stellulis, in ipsos cœlites accidentalis gloriæ influit augmentum, & nouis in dies illustrationibus, piisque affectionibus fideles animas illuminat & accendit: verum insuper per arcanam virtutem martyribus militaturis inuictam fortitudinem inspirat, dum ad sacrorum vulnerum aspectum, inflicta sibi vulnera incredibili tolerant alacritate. Quod eleganter edisserit Bern. Ser. 61. in Cant. *Vult benignus dux deuoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimuerò non sentiet sua, cum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne suâ circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petrâ habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? Ergo ex Christi vulneribus martyris fortitudo, inde planè potens ad bibendum calicem Domini, & calix hic inebrians quàm præclarus est!*

præclarus inquam atque iucundus, non minus imperatori spectanti, quàm militi triumphanti. Vide quantam martyri fortitudinem ſtellæ noſtræ nebuloſæ ſacrarum cicatricum ſtellulis intexmixtæ conſpectus influat, vt non ſentiat ſua, dum ſui imperatoris glorioſa vulnera contuetur. Idcirco Dominus per niueam accidentium nebulam quinque plagarum ſtellulas oſtendit, vt earum influxu & intuitu martyrij candidatus animetur, nec refugiat calicem mortis, dominico prius calice inebriatus. Immò potius ducis exemplo triumphales plagas ambiat, quibus caro rediuiua ſtellis micantius in cœlo fulgebit. *Non enim,* inquit Auguſt. l. 22. de ciuit. c. 20. *deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Vis ergo diuini ſideris Sacramentali nebulâ inuoluti afflatu inter aduerſa roborari? quinque cicatricum ſtellulas intuere, nubem, fidei acie penetra: *quinque latent hac ſidera nube.*



METEORA.

EMBLEMA XCV.

FVLMEN INTRA NVBEM SVIS SE PRODENS FVLGETRIS.



SIc vbi viſceribus terræ expiratus in auras
Halitus intrauit nubis inane latus:
Carceris algentes crebro velut ariete muros
Concutit, ardorem frigidus auget obex.

Terrifico reboans mugitu concaua nubes,
Fulmineæ prolis pondere pressa gemit.
Fit via vi, prodit soboles, ruptoque parentis
Ventre, reluctantes dissipat igne notos.
Seque cauâ fornace rotans flagrantibus alis
Auolat, & campis, qua data porta, furit.
Ignea declarant arcanum fulgura fulmen,
Proditur & proprio lumine flamma latens.

APODOSIS.

Fulmen inardescit Sacramentalibus vmbris;
Nube coarctatum fulgetra crebra vibrat.
Nubibus è sacris erumpens gloria carnis,
Angelicas acies luce micante beat.
Nubibus è sacris erumpens fulgur amoris,
Vrit adorandâ corda pudica face.
Nubibus è sacris erumpens flamma furoris
Destinat æternis impia corda rogis.
Sacrilegos terrore quatit, recreatque fideles,
Fulget iis, illis fulgurat atque tonat.
Angustâ nunc nube latens euadet hiulco
Ventre minax, summi tempore iudicij.
Proque tribunali residens, in nube coruscâ,
Vltor inextincto puniet igne reos.
Non furor illius fatali fulmine perdet,
Quos modo vitali fulmine aduret amor.

FONS EMBLEMATIS.

FVlmen est exhalatio ignita, quæ sæpius intra nubem in lapidem concrescit, qui tanquam bombardæ globus truditur. Incenditur verò talis exhalatio, quæ admodum sicca esse debet, vel per motum, vel per antiperistasim, & quia accensa rarefit, magnoque conatu exitum è nube frigidâ &

densâ ac diu reluctanti quærit, dum eam tandem rumpit, horrendum edit tonitruum. Porrò fulmen intra nubem latitans siue sit subtile & penetrans, siue crassius & ad modum cunei terebrans, antequam è nube magno impetu excutiatur, crebris solet sese prodere fulgetris, siue præmisso fulgure. Fulmen autem à fulgure differt, quia spiritus fulguris & rarior ac minus compactus, sparsim & per interualla incenditur; fulminis verò vno ictu ac totus confertim. Deinde quia maiori vi ad fulmen opus est, quàm ad fulgur: vnde vult Seneca fulgur nihil aliud esse, quàm flammam futuram fulmen, si plus virium habuisset. Hæc carptim ex Conimbricensibus tract. 2. in lib. meteor. c. 5. vide plura c. 4. vbi de fulgure disputant.

INTERPRETATIO.

1. FVlmen Verbum Patris, cuius coruscationes illuxerunt orbi terræ, cuius Euangelium quasi *vox tonitrui in rotâ*: vt ait Psaltes Ps. 76. 19. quod de cœlo diuinitus intonans mundum rotæ designatum hieroglyphico concusserit. Scribit Pierius l. 30. c. 27. Clearchum Heracleæ tyrannum eò deuenisse dementiæ, vt & fulmen ferret, & filium tonitruum appellaret. At Pater æternus verè altitonans, verbum suum quasi fulmem fœcundæ memoriæ sinu concepit, quod iuxta Isaiæ votum c. 64. 1. cœlos dirumpens, in hæc ima descendit, motu quodam irregulari, quo solent ruere fulmina. Sicut enim illa ideo feruntur obliquè, quod hinc natura ignis sursum euocet, hinc verò vis qua impelluntur è nube deorsum premat: vnde neutrâ vi alteri cedente, necesse est vt mediâ ferantur viâ, donec fracto ignis sursum nitentis conatu, in infima labantur; vnde

etiam oritur vt montes & editiora loca primùm feriant, quòd eis obliquè ruentibus primùm obuiam fiant: ita planè Verbum Patris è cœlis obliquo, vt sic loquar, motu descendit: quod hinc sursùm illud euocaret ignea erga Angelos charitas, illinc deorsùm deprimeret vehemens erga homines pietas: vnde contigit vt Mariam Virginem quasi montem excelsissimum afflaret, immò & integra illius viscera penetraret. Olympias Alexandri mater priori nocte qua se viro adiunxit, existimauit facto tonitru, in vterum sibi fulmen illabi, ex cuius ictu magnum excitatum est incendium; verum id somnium inane extitit: At B. Virgo Dei filium quasi fulmen è cœlo lapsum, immensum diuini amoris vbique excitaturum incendium, verissimè castis suscepit visceribus, sine vllâ virginalis vteri scissurâ, qui subtilissimâ fulmineæ prolis flammâ penetratus est, non terebratus. Hoc fulmen intra Mariani sinus angustias conceptum, nunc inter Sacramentalium nubem specierum magis ac magis inardescit: quippe sicut exhalatio aduersus vrgentia gelidæ nubis latera vnito robore obluctans, & ex pugnâ inualescés ignescit; ita Christus pridie quàm pateretur, hostili Iudaicæ inuidiæ frigore circumobsessus, sese intra angustam accidentium nubem recepit, quasi sparsas vires recolligens; vnde factus validior in flammas infinitæ charitatis, qua suos in finem dilexit, & amoris fulgetras exarsit, quibus fidelium corda ad consummationem vsque sæculi collustrabit & accendet.

2. Seneca l. 2. natur. quæstionum c. 40. tria facit fulminum genera, primum quod terebrat, alterum quod dissipat, postremum quod vrit, quæ quidem in se collecta complecti videtur Eucharisticum ful-

men. Primum terebrans admodum ſubtile, flammæ tenuitate, obuia quæque facile penetrat: ita Deus abſconditus ſuauiter in cœleſtes animas illapſus, præcordia puriſſimo dilectionis igne permeat & peruadit. Secundum fulmen diſſipans ex coacto ſulphuris halitu concretum rumpit id omne, in quod impingit, & vt aiunt Conimbricenſes loco cit. *Per id foramen quo ingreſſum eſt regreditur:* Non abſimile fulmen Euchariſticum, ſiquidem impia rumpit pectora, ac per os ſacrilegum, quo ingreſſum eſt, illicò regreditur. Appoſitum ex Cypriano l. de lapſis exemplum accipe: *Puella paruula quæ panem mero mixtum de idolorum immolatione guſtauerat, vbi de manu diaconi paulułum ſanguinis Dominici accepit, illicò ſequutus eſt ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit, ſanctificatus in Domini ſanguine potus de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas.* Quid autem aliud eſt Sacramentum ex ore violato erumpere, quàm fulmen diſſipans per idem foramen, quo introiuit, confeſtim exire? Poſtremum tandem fulmen magis igneum eſt, quàm flammeum; vnde & magnas ignium notas percuſſis inurit, quas tribus modis imprimit: vel enim vrit tantum, vel accendit tantum, vel etiam comburit. Quippe poteſt aliquid vri, non tamen comburi: & comburi aliquid poteſt, non tamen accendi: Nihil tamen accendi poteſt, quod non vratur, licet fieri poſſit vt accenſum non comburatur. Vrit Euchariſticũ fulmen incipientes, accendit progredientes, comburit perfectos. Primus igitur infuſæ dilectionis gradus vſtio, ſecundus accenſio, tertius combuſtio. Vrit incipientes inchoatæ charitatis ardore; progredientes accendit vberioris gratiæ flammâ. Sic Xauerium vehemen-

tius accendit,vt fulguris inſtar tot Indiæ regna peruolaret, & eo quo flagrabat incendio ſuccenderet: Hinc interioris flammæ præcordia depopulantis impatiens clamabat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* Sic B. Monicam accendit, vt à ſacrâ menſâ ſurgens nil niſi cœleſtia ſpiraret, & amore nimio languida diceret: *Volemus in cœlum.* Denique perfectiſſimos comburit: tantum enim in cordis altari dilectionis incendium excitat, vt victimam ſimul & aram omnino conſumat. Sic Virgo Deipara filij corpore iugiter paſci ſolita, voraci myſtici fulminis flammâ penitus combuſta, præ nimio ergaDeum amore creditur extincta. Sic Apoſtolus clamitans: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

3. Cæterum fulmen noſtrum, Sacramentali nube coarctatum, tribus potiſſimum ſeſe prodere ſolet fulgetris; primo gloriæ, altero gratiæ, tertio gehennæ. Primum è glorioſâ Chriſti erumpens humanitate, quoſlibet beatorum ſpirituum ordines afflat, & ad tanti venerationem myſterij inducit. Audi Chriſoſt. ho. 83. in Matth. *Ea re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec abſque pauore, propter fulgorem qui inde reſilit aſpicere poſſunt.* Meritò quidem, quis enim fulmen ſuis ſe prodens fulgetris intrepidus intueatur? Secundum gratiæ fulgetrum fideles animas in tanti contemplatione Sacramenti defixas pleno venerationis horrore percellit. Ab hoc fulgetro charitatis ardores, & ſcientiarum lumina tum Angelicus, tum Seraphicus Doctores deprompſere. Ab hoc B. Ioannes Saguntinus Eremitani noſtri Ordinis iubar, & Salamanticæ patronus cœleſtium arcanorum notitiam ſingulis diebus hauriebat. Poſtremum gehennæ fulgetrum ſacrilegos vltrici flammâ deuorat & abſumit, de quibus Cypria-

nus l. de lapsis: *Nec hic esse sine pœnâ possunt, quamuis necdum dies venerit pœna. Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur. Exempla sunt omnium tormenta paucorum.* E multis vnum seligam. *Cùm quædam mulier arcam suam in quâ Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* At, amabo, quid aliud extitit ignis iste fulgureus ex arcâ prosiliens, quàm vindictæ fulgetrum? Similiter nefarius ille lictor, qui Olympij Exarchæ iussu, S. Martinum Papam Missam celebrantem occidere nisus, emicante sanctissimæ hostiæ fulgure confestim excœcatus est. Appositè Chrysost. ho. 24. in Acta Apost. sic in eos qui consecrationis horâ garriebant inuehitur: *Non esset mirum, si fulmen emitteretur, non solùm in eos, sed etiam in nos: digna enim fulmine sunt hæc. Quando hi qui horrendâ horâ rident abstinebunt à risu? quando abstinebunt à nugis, qui in tempore benedictionis garriunt, nec Deum timent.* Denique sententia illa iudicialis; *Ite maledicti in ignem æternum*, quæ sacrilegos omnes obruet, Eucharistici fulminis fulgetrum erit. Proinde in Samentali nube *quid lateat sat fulgetra produnt.*



MONTES.

EMBLEMA XCVI.

ÆTNA NIVOSO VORTICE FLAMMAS IVGITER ERVCTANS.



ÆTna ſuo ſecreta fouens incendia damno
Sulphur inexhauſtum feruido ab ore vomit.
Quod mirere magis, glacies hiberna cacumen
Occupat, in mediis inuiolata rogis.

Iuratumque hyemi seruant incendia fœdus,
Flammaque cognatas lambit amica niues.
Pacificos hostes in eodem culmine cernas,
Sulphuris hinc imbres, hinc volitare niues.
Viuit inextinctis niueo sub tegmine fornax
Ignibus; ardentem nix alit alta focum.

APODOSIS.

Sub niueo Deus orbe latens incendia nutrit,
Sidereasque vomit cordis in ima faces.
Quo magis exterius premitur, magis æstuat intus,
Hostiæ & in puncto clausus anhelat amor.
Quos mihi feruores flammatus anhelitus afflat!
Nempe teperet amor, ni latitaret amans.

FONS EMBLEMATIS.

CLaudianus l. 1. de raptu Proserpinæ, Ætnam montem describens, inter alia hæc ad rem nostram opportuna & accommodata habet:

Sed quamuis nimio feruens exuberet æstu,
Scit niuibus seruare fidem, pariterque fauillis
Durescit glacies tanti secura vaporis,
Arcano defensa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

INTERPRETATIO.

1. PRæclarè D. Dionysius l. de cœlesti hierac. c. 15. *Sancti Theologi*, inquit, *superessentialem, & quæ formari nequit essentiam in igne sæpenumerò describunt, tanquam qui multas quodammodo visibiles (si dictu fas est) diuinæ proprietatis imagines præ se ferat.* Nec enim mediocris inter ignem & Deum absconditum intercedit affinitas, vt idcirco sæpius ignis nomine SS. Patres Eucharistiam expresserint. Hinc in S. Ia-

cobi liturgiâ Sacerdos ita populum alloquitur: *Dominus nos benedicat, & dignos nos faciat, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem, & imponamus in ora fidelium, ad purgationem & renouationem animarum ipsorum, & corporum. Amen.* Cui Damascenus accinit l. 4. orthod. fidei c. 14. *Accedamus desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia & frontem, diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij eo ex carbone comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur, & deificemur. Carbonem vidit Isaias; carbo autem simplex non est, sed vnitus igni: sic panis communionis simplex non est, sed vnitus* D*iuinitati.* Itaque sacra Christi humanitas vi hypostaticæ cum verbo, quod ignis consumens est, vnionis, tota ignescit & inflammatur: adeo vt altaris nostri diuinus ignis æquiori titulo illustria illa mereatur epitheta, quæ Vestæ igni Romani veteres attribuere: quippe peruigil est, semper durans, æternus, sempiternus, inextinctus, immortalis, perpetuò ardens, & vsque ad sæculi consummationem nostris in aris perseueraturus, ad designandam non tam imperij, quàm Ecclesiæ Romanæ perennitatem. De quo iure possit affirmari, quod de vulgari igne scribit Plinius l. 2 Nat. hist. c. 107. *Se ipse parit, & minimis crescit scintillis*, cùm Christus quotidie seipsum in sacris mysterijs generet, sanctissimum corpus suum, quod de diuinitate ignitum est, creando, vt ait Cypr. ser. de cœnâ Dom. post medium.

2. Memorat Arist. l. 2. de cœlo c. 13. tex. 73. Pythagoræos ignem in terræ centro constituisse, eumque totius mundi focum appellasse. Quod etiam testatur Plutarchus 3. de placitis philosophorum c. 11.

Eucha-

Eucharistia totius mundi focus iure merentiori dici potest, in Ecclesiæ cētro, hoc est, in incruento altari diuinitus constituta, quo quidem foco destituta frigesceret, & innumeri fideles paulatim euanescente deuotionis ardore, præ nimio superuenientis culpæ gelu tandem interirent. Ad hunc perennem focum incalescūnt satis alioquin ex se ardentes Seraphini, nouumque charitatis videntur concipere feruorem, quoties ad hanc flammiuomam æterni amoris fornacem propius acedunt. Inardescunt & algidi fideles, & prosilientibus inde scintillis vehementer accensi verè dicere possunt, quod olim poëta Ethnicus:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Vnde si mirum videatur nonnullis philosophis ignē in cœli lunaris concauo constituentibus, quî fieri possit, vt immensa illa ignis moles, & vis Vulcania, profunditatis 120578. milliarium cætera elementa non absumat, cum ipsius voracitati proxima quæque cedere soleant: multò videtur mirabilius quod immensa charitatis fornax iugiter in altari ardeat, nec tamen astantium corda voracibus flammis consumat. Ardebant olim Ancyrani ciues, quibus inter manus S. Martyris & Pontificis sui Clementis sacram hostiam eleuantis, globum igniuomum circumquaque fulgetra iaculantem intueri licuit. Ardebat & Catharina Senensis quæ flammiuomam fornacem in altari, tremendæ loco victimæ, non semel aspexit. Quidni & intimis medullis inardescant fideles quoties globum illum igneum in mille faculas dissilientem pectoribus excipiunt; quoties in hanc amoris fornacem, vt idonea cœlestis ignis alimenta coniiciuntur? reuera vt varia metalla si quis in accensam fornacem iniiciat, videbit illico

illius calore congregari homogenea,&heterogenea disgregari; ita propemodum eadé fornacis Eucharisticæ effecta licet admirari:homogenea siquidem, hoc est,fideles eiusdem secum diuinæ naturæ consortes, viuaque eiusdem mystici corporis membra congregat & vnit, cum sit pacis Sacramentum, & charitatis fraternæ vinculum; ad quam expressius designandam, *Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit quæ ad vnum aliquid rediguntur: ex multis namque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit*, vt loquitur August. tract.26. in Ioan.& tractatu sequente explicat quænam sint illa homogenea,quæ fornax nostra congregat: *Manemus autem in illo, cùm sumus membra eius; vt autem simus membra eius vnitas compaginat, vt compaginet vnitas, quid facit nisi charitas?* Quomodo verò disgreget heterogenea, mortua nimirũ membra à viuis secernens, rursus his verbis edisserit: *Hæc dicuntur vt amemus vnitatem, & timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi: si enim separatur à corpore Christi,non est membrum eius; si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius.* Vtrumque ignis Eucharistici effectum his verbis eleganter complexus est S. Dionysius l. de Eccles. hierar. c. 3. *Vnicum illud ac simplex, arcanumque Iesu Verbum diuinissimum, per assumptionem humanitatis nostræ, in compositionem simul & aspectum, sine vllâ sui immutatione, pro suâ bonitate benignitateque processit, nostrique secum viuificam communionem benignè excogitauit, ea quæ in nobis humilia sunt, diuinissimis suis vniens excellentiis, vt & nos ipsi tanquam membra corpori, per eiusdem immaculatæ ac diuinæ vitæ identitatem congruamus; ne corruptibilibus necati passionibus, diuinis istis sanissimisque mem-*

bris incongrui, vitæque incapaces exiſtamus.

3. Ne multa, quemadmodum in Ætna perpetuis famoſo incendiis, inextinguibilis ardet fornax, ſub illæſis cacuminis niuibus, ita ſub intactâ triticearum niue ſpecierum flagrat immenſæ charitatis fornax Seraphicorum ardorum inexhauſta ſcaturigo. Siquidem ibi flammata Chriſti præcordia tanto feruore exæſtuant, vt niſi per hiulcarum foramina cicatricum exundanti intus incendio via pateret, neceſſe foret ſacri corporis latera diſrumpi. In hac amoris fornace facile eſt nos in Chriſtum transformari, & deificari; vt deinceps illius vitâ viuamus cui intimè copulamur. Sicut enim ferrum in fornacem iniectum ita ignis qualitates poris imbibit, vt ipſo igne etiamnum acrius vrat: ſic & nos ita diuinæ fornacis igne penetrabimur, vt non ſolum Chriſtophori, verum & dij, vt ita loquar, efficiamur. *Qualis niueo ſub tegmine fornax!*



FONTES.

EMBLEMA XCVII.

PHIALA IORDANIS INSCRVTABILIS PROFVNDITATIS.



Cette couppe m'est admirable
Par sa profondeur insondable. 97

Dat Iordanis aquis fons inscrutabilis ortum,
Cui phialæ nomen forma rotunda dedit.
Nusquam deprimitur, nec restagnante redundans
Vortice, se labiis continet ipse suis.

Quanta per arcanos huc influit vnda meatus,
Tanta per occultas effluit inde vias.

APODOSIS.

Iure calix Domini est phiala inscrutabilis, intus
Ore sub angusto grandis abyssus inest.
Iugiter hinc manat cœlestis gratia: quippe
Iugis in hanc supero defluit axe latex.
Quid sitiens mundi cisternam quæris hiulcam?
Est sedanda sitis fonte perennis aquæ.
Nullo exhauritur fons inscrutabilis haustu;
Cisterna arescet, iugiter ille fluet.

FONS EMBLEMATIS.

PHiala dicitur fons ex quo Iordanis fluuius, vt Iosephus & Hegesippus testantur, ducit originem; qui quidem situs est in regione Trachonitide, non longè à viâ qua à Cæsareâ Philippi, seu Paneade, inter Orientem & Austrũ, in Trachonitidẽ ascenditur; à qua ciuitate ad 120. stadiũ siue quindecim mille passibus distat. Propriè quidem à rotunditate phiala dicitur, rotæ speciem præferens. Est autem fons hic imperscrutabilis profunditatis, ac semper intra labra sua cohibet vndam, perpetuâ aquâ plenus, nec vnquam deficiens, nec vnquam exuberans; sed quãtum aquæ scaturigine iniicitur, tantum per abditos subterraneos meatus in Dan, siue Paneadem fontem Iordanis eiicit, atque transmittit. Multo tempore ignoratum fuit hoc esse Iordanis principium, quod tandẽ à Tetrarcha quodam Trachonitidis Philippo hac arte deprehensum est: Is namque missis in phialam paleis, inuenit eas apud Panium in fontem Dan redditas, vnde antea fluuius Iordanis nasci credebatur. Ita Nierem-

bergius lib. de miracul. Naturis terræ promissæ cap. I.

INTERPRETATIO.

I. NOn abs re Tertull. de resur. carnis c.16. carnem Domini terræ promissionis assimilat, his verbis: *Ipsam terram sanctam Iudaicum propriè solum reputant, carnem potius Domini interpretandam, quæ exinde in omnibus Christum indutis, sancta sit terra, verè sancta per incolatum Spiritus sancti, verè lacte & melle manans per suauitatem spei ipsius, verè Iudæa per Dei familiaritatem.* Nec enim ideo solum huic terræ comparatur, quòd sancta sit, aut lacte ac melle manet, aut Deo sit familiaris & affinis; sed quod in eâ sit phiala Iordanis inscrutabilis, diuinus, inquam, cruor Eucharistico cratere conclusus, cuius vndâ fidelium corda subterlabente, iugiter Ecclesiæ paradisus irrigatur, iuxta mentem Alberti M. dist. 3. tract. I. c. 7. ita scribentis: *Fons delectationis est corpus Christi, & riui deriuati à fonte sunt quæ singulis viribus & potentiis, & membris dtriguntur: & ad quæcumque non venit hoc nutrimentum pietatis, hæc arescunt, & marcescunt. Iste est fons de quo dicitur Gen. 2. fons ascendebat de terrâ, hoc est, de terreno corpore Domini in Sacramento, irrigans vniuersam superficiem Paradisi. Paradisus enim locus deliciarum est in nutrimentis Ecclesiæ, in quem locum iste fons delectationis influit, & omnia irrigat interiora animæ & corporis ad quæ deriuatur.* Nec mirum si corpus Domini pretioso manans sanguine cum Paradisæo fonte conferatur, cùm in eo omnis plenitudo Diuinitatis inhabitet, & ipsum Verbum Patris, verè fons sapientiæ in excelsis, cuius latices ad-

mirans S. Bernardus exclamat in fine ser. de passione: *O æternum, substantiale & inaccessibile, clarum & dulce profluuium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cuius vnda sine ortu, cuius profundum sine fundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscrutabilis, cuius puritas imperturbabilis! Eructauit te cor Dei altissimi de suâ impenetrabili abysso, & de plenitudine tuâ nos omnes accepimus. Tu enim largissimè fons omnis boni, septemplicis gratiæ pretiosum flumen de thesauris tuis emittis, cuius suaui dulcore huius nostri maris, id est, nostræ infirmitatis salsuginem mitigare dignaris. Flumen olei lætitiæ, flumen vini meracissimi, torrens voluptatis qua gloriosam ciuitatem Hierusalem quæ sursum est, iugiter potas, & lætabundâ ebrietate facis æstuare, cuiusque desiderabilibus guttis refocillari sitibundæ fauces exulis populi tui iugiter à te expectant, Domine.*

2. Porrò si Christus fons huiusmodi sit, cuius profundum sine fundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscrutabilis; idem audacter asseruero de calice diuini sanguinis, verè phialâ inscrutabilis profunditatis, cuius liquor immensè diffunditur, cuius pretium infinitè extenditur, cuius incomprehensibilis altitudo credenda sit, non discutienda, cuius arcanas virtutes mirari liceat, non rimari. Cùm enim ad pleraque Dei opera, scrutabunda mentis nostræ cogitatio peruenire nequeat, multo minus inscrutabilia poterit Eucharistiæ mysteria penetrare, aut Dominici sanguinis fundum perscrutari, ne ab immensâ abysso sorbeatur. Hinc S. Ephrem lib. de naturâ Dei minimè scrutandâ, temerariam tanti Sacramenti scrutationem prohibet, & Christianum sic alloquitur: *Quid scrutaris inscrutabilia? Si ita curiosè rimaris, non iam fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fide-*

lis, atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui, fide plenissimâ certus quod Agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli temerè ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris. Dicam ego ad propositum: phiala diuini sanguinis inscrutabilis est, non secus ac phiala Iordanis; noli temerè eam perscrutari, ne in ipsius perscrutatione submergaris. Sicut enim fertur Aristoteles in scrutando multiplici Eurippi accessu & recessu periisse, cum hac voce: O abysse cum te capere nequeam, tu me cape; ita in huius inscrutabilis phialæ curiosâ inuestigatione, mens humana fidei bolide destituta naufragatur. Quorsum enim curiosius explores quî fieri possit, vt in admirabili hac phialâ, totus Christi cruor qui nunc in venis & arteriis gloriosi ipsius corporis fluit, sub minimâ vini contineatur guttulâ, & sub eadem non solum integrum corpus, & immortalis anima, sed & persona Verbi, totaque delitescat Diuinitas, immo & tota Trinitas? inscrutabilia sunt ista, & planè inuestigabilis huius phialæ profunditas, altitudo eius caret termino, profunditas fundo. *Fide percipe*, inquit Chrysol. ser. 141. *quia ne minima quidem operum* Dei *assequi poteris sine fide, dicente scripturâ, omnia opera eius in fide, psal. 32. sed tu hîc totum vis de ratione constare, vbi totum consistit ex fide. Quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei non tuâ, homo. Quid tam rationabile, nisi vt Deus quicquid voluerit possit? qui quod vult non potest, Deus non est.*

3. Nemo igitur mortalium præsumat sine fidei bolide inscrutabilem explorare phialam, nemo audeat huic horrendo scrutinio sese propriis intricare conatibus, & importunus scrutator tremenda illius pertentare mysteria: at vltro & hu-

militer concedat Deum aliquid potuisse facere, quod se fateatur inuestigare nõ posse, quandoquidem in huiusmodi pauendis arcanis, tota ratio facti sit ipsa facientis omnipotentia. Quamuis enim fidei lumine possit nonnullas huius mysterij veritates vtcunque penetrare, caueat tamen ne se comprehendisse existimet, aut fundum inuestigabilis crateris explorasse. *Nemo enim*, ait S. Leo ser. 9. de Nat. Dom. *ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id in quod tendit, peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit.* Quemadmodum ergo scrutator phialæ Iordanis inani labore consumitur, quòd ipsa sit inscrutabilis; sic & qui scrutator est altitudinis Eucharisticæ, ab inscrutabili cœlestium arcanorum absorbebitur voragine, non secus ac innumerabiles Sacramentarij, qui temerariè diuini calicis profunditatem explorantes lamentabili naufragio perierunt. Et vnde istud naufragium, nisi quia scrutari voluerunt inscrutabilia, & prius intelligere, quàm credere? quare infidelitas intellectum clausit, quem fides aperuisset. Absit igitur vt diuini calicis profunditatem scrutari præsumam, cùm sit *phiala inscrutabilis*.



FLVVII.

EMBLEMA XCVIII.

ALPHÆVS SVBTER MARE FONTEM ARETHVSÆ CONVENIENS.



AMplexus Alphæe tuos Arethuſa recuſat ;
Quid vis in refugæ Naïdis ire ſinum?
Nonne vides ab amante maris te vortice amaro
Diuidi? an hunc obicem vi ſuperare putas?

Forte per occultos ſuccenſus amore meatus
Ibis, amabilibus clamque frueris aquis?
Perge, dolos intermedium non ſentiet æquor:
Si palam nequeas, clam frui amante licet.

APODOSIS.

Christe lates, niueoque libens inuolueris orbe;
Carne latente tuus ſe mage prodit amor.
Sic animæ diuinus amans vniris amanti,
Complexuque potes commodiore frui.
Nemo cicatricum radios, & fulgetra ferret,
Non vibrata tuis lumina luminibus.
Clam tete inſinuas in pectus amabile: fodit
Hos tibi cuniculos ingenioſus amor.
Si latitas, magis hac vehemens amor arte pateſcit:
Nec patuiſſet amor, ni latuiſſet amans.

FONS EMBLEMATIS.

ALphæi & Arethuſæ amores nemo neſcit, qui vel quintum librum Metamorph. Ouidij, vel caput 21. lib. 8. mythologiæ Natalis Comitis legerit. Alphæus enim venationi deditus incidit in Arethuſæ venantis amorem, quam cùm nimis vrgeret, ope Dianæ delata eſt in Ortygiam inſulam, iuxta Syracuſas, ibique in ſui nominis fontem conuerſa, ſicut & Alphæus in ſui nominis fluuium ob nimiam deſiderij vehementiam; qui vel ipſum fontem magno licet maris Adriatici diuiſum ſpatio ſubter mare delapſus conuenit, è Græciâ Syracuſas vſque decurrens, & Arethuſæ alueo impermixtas vndas immiſcet. Scio Strabonem l. 6. Geographiæ multis aduerſus Timæum Philoſophum, & Pindarum verbis contendere, fieri non poſſe, vt Alphæus per cuniculos aquas ſuas ſubter mare in fontem

Arethusæ inuehat, quod os habeat palam in mare irrumpens, nec vllo telluris hiatu absorbeatur. verum & oppositum euincunt ea oraculi Delphici carmina:

Trinacriam supra medio iacet insula ponto,
Ortygiam dicunt, vbi cana fluenta refundit
Alphæus, Siculæ hinc Arethusæ & iungitur vnda.

Et quòd constet peculiarem cursus huius fluminis esse naturam, vt modò sub terram sese occultet, modo è cauernis foras prodeat, idque sæpius, donec Adriaticum mare subterlapsus, in Ortygiâ insulâ fonti Arethusæ immisceatur, teste Nicanore l. 3. de fluminibus. Ex quo mirabili fontis & fluuij confluxu, orta est de amoribus Alphæi & Arethusæ fabula. Alphæus enim fluuius cum primum è Phylace Symbolisque emanauit, sese in agrum Tegeatarum abscondit, postea in Asæum erumpens cum aquâ Eurotæ communi alueo per spatium viginti stadiorum defertur; tum rursus in cuniculum quemdam ingressi delabuntur sub terram, donec erumpat Eurotas in agrum Laconicum. At Alphæus in fines Megalopolitanorum, inde verò Olympiam præterlabens prorumpit in Nauale Elæorum supra Cyllenem, mareque intrat Adriaticum. Fieri verò potest vt pars Alphæi, per cuniculos illos quibus absconditur, subter mare Arethusam conueniat. Breuiter Solinus c. 11. de Arethusâ & Alphæo verum est hactenus, quod conuenerunt fons, & amnis.

INTERPRETATIO.

1. CHristus Dominus antonomasticè sponsus triplici titulo nuncupatur, quod & humanæ naturæ in nuptiali virginalis vteri thalamo, quasi sponsæ charissimæ copulatus sit, & Ecclesiæ gentium

quasi coniugi, relictâ matre Synagogâ, adhæserit, & cuilibet animæ fideli amore coniugali in sacrâ synaxi societur. De prioribus huius incomparabilis sponsi nuptiis sic breuiter S. August. in Ps. 18. *In virginali utero*, inquit, *Deus natura humana, tanquam sponsus sponsæ copulatus est.* De secundis nuptiis fusè passim idem Doctor disserit, maximè l. de verâ innocentiâ c. 327. vbi exponens qua ratione legem matrimonialem Genes. c. 2. latam obseruauerit, ait: *Reliquit Christus Patrem, quia cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: hoc est enim, reliquit Patrem, non quia deseruit & recessit à Patre, sed quia non in eâ formâ apparuit, qua æqualis est Patri. Reliquit autem & matrem relinquendo Synagogam Iudæorum, de qua secundùm carnem natus est, inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit.* Vbinam verò huius castissimi matrimonij consummatio facta est, nisi in cruce, quum præ nimio amore languidus, & præ vehementi dolore moribundus, in hanc vocem erupit: *Consummatum est*? hinc August. eiusdem lib. c. sequenti subnectit: *Dormit Adam, vt fiat Eua: moritur Christus, vt fiat Ecclesia. Dormienti Adam fit Eua de latere: mortuo Christo, lanceâ percutitur latus, vt profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.* De posterioribus eiusdem sponsi cum animâ fideli nuptiis iterum ita disserit idem Pater ser. 6. de verbis Domini: *Concupiuit sponsus vester animam quam fecit: quoniam vt pulchram faceret, fœdam adamauit: pro infideli & fœdâ sanguinem fudit, fidelem ac pulchram reddidit, dona sua in te amauit. Quid enim sponso tuo contulisti? quid in dotem in priore patre, & priore populo accepisti? Nonne luxuriam & pannos peccatorum? abiecit pannos tuos, discidit cilicium tuum, miser-

tus est vt ornaret, ornauit vt amaret.

2. Priores nuptias celebrauit Dei filius in vtero Virginis, ex eodem August. tract. 1. in epist. Ioan. *In vtero virginali, velut in sponsi thalamo coniuncti sunt duo sponsus & sponsa; sponsus Verbum, caro sponsa.* Secundas in thalamo crucis, iuxta eumdem l. de Symbolo ad catechum. c. 6. *Ascendat sponsus noster thalami sui lectum, id est, crucem, dormiat moriendo, aperiatur latus eius, & Ecclesia prodeat Virgo; vt quomodo Eua facta est ex latere Adæ dormientis, ita etiam Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis.* Posteriores quotidie celebrat in Sacramento altaris, verè nuptiali thalamo animæ fidelis, quam his idcirco verbis compellat idem August. to. 9 tract. de quarta feria c. 6. *Tu anima Christiana, quæ ascensura es ex sacratissimo fonte, rubore atque decore perfusa, nimis speciosa, & nimis candida, serua decorem tuum; agnosce quid fueris, & quid eris, vide ne deseras mensam sponsi tui. Vt pulchra permaneas, carnem eius quotidie manducabis; vt vitam æternam habeas, sanguinem eius potabis. Vide ne deseras hanc mensam.* Nempe fidelem animam salutari lauacro emaculatam hortatur, vt in nuptiali Eucharistiæ thalamo quotidie sponsi corpori, casto copuletur amplexu, nec floridum illum lectulum deserat, vbi cœlestibus inter amantis oscula potiri possit deliciis. In prioribus nuptiis virginis Dei Patris virgo filius virginem duxit, videlicet humanitatem Spiritus sancti obumbratione virginaliter formatam, de virginali Mariæ sanguine materiatam, nullâ peccati labe, nullâ libidine violatam. *Quod enim* inquit August. l. 2. de pecc. meritis c. 24. *carnis suscepit, id profecto suscipiendo mundauit. Ideo Virginem matrem non lege carnis peccati, id est, non concupiscentiæ carnalis motu concipientem quam elegerat,*

creauit, de qua crearetur elegit. In posterioribus nuptiis, de meretricibus virgines fecit, vt virgo cum virginibus nuberet. Quòd enim Ecclesia gentium meretrix, extiterit antequã Christo nuberet, docet idem August. ser.119. de tempore: *Magna est sponso & singularis dignatio, meretricem Ecclesiam inuenit. virginem fecit. Quia meretrix fuit non debet negare, ne obliuiscatur misericordiam liberantis. Quomodo non erat meretrix, quando post idola & dæmonia fornicabatur? Et venit, & virginem fecit. In fide virgo est; in carne paucas habet virgines sanctimoniales; in fide omnes virgines debet habere & fœminas, & viros. Nam vultis nosse quàm virgo sit? Apostolum Paulum audite amicum sponsi, audite Zelantem sponso non sibi: Aptaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Virgo ergo est Ecclesia, virgo est, virgo sit; caueat seductorem, ne inueniat corruptorem. Dicturus es forte, si virgo est, quomodo parit filios? Aut si non parit filios, quomodo dedimus nomina nostra, vt de eius visceribus nasceremur? Respondeo, & virgo est, & parit, Mariam imitatur quæ Dominum peperit.* Quòd si meretrix extitit Ecclesia, ergo & animæ ex quibus ipsa coalescit, quod in Adamo præuaricante sese Dæmoni prostituerint, & à Deo legitimo sponso recedentes fornicatæ sint. Sed quas meretrices inuenit, per baptismum virgines fecit, easque deinceps proprio corpore & sanguine dotauit, vt sponsis virginibus virgo sponsus in æternum adhęreret.

3. Porrò in his diuinis & regalibus nuptiis latebras ambiuit Dei filius, vt suis facilius & strictius copularetur amantibus, atque vt de prioribus taceam, in quibus Diuinitatem suam humanitatis assumptæ velamine contexit, ne mortalium oculos intolerabili gloriæ fulgore perstringeret: constat in posteriobus ita Diuinitatem & humanitatem suam

Sacramentalibus operuisse Symbolis, vt vtriusque tremenda maiestas planè delitescat. Iure quidem: quis enim vel solius humanitatis, gloriosique corporis ineffabile iubar, inconniuenti palpebrâ sustineret, nisi intermediâ specierum nebulâ radiorum obtunderetur acies? quis regum regem maximum vili pectoris tugurio securus exciperet, nisi exutâ gloriæ fulgurante purpura, nostræ pannos indueret egestatis, & in altaris Sacramento, vbi diuitias omnes sui erga nos amoris effudit, stupendæ trophæum erigeret humilitatis? sanè nisi sub accidentium velo delitesceret incredibilis sponsi claritas, nunquam ipsius erga sponsam tantopere patesceret charitas, nec tam arcta inter amantes intercederet affinitas. Latet igitur de industriâ, vt sponsæ tantum suis latebris inspiret amorem, quantum olim suis fulgetris incusserat horrorem. Siquidem Exodi 19. & 20. cùm in apicem montis Sinaï magnifico descendisset apparatu, terribilis buccinæ sonitus, horrificus vocum fragor, & erumpens quasi ex succensa fornace flammeus vortex multâ permixtus caligine, tanto filios Israël pauore concussit, vt crebris præsentis numinis perstricti fulguribus, procul à montis fumantis radicibus recederent, clamitantes: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*: quòd ad tantos fulgores imbecillis eorum pupilla conniueret. Nec dubium est, quin maiori nunc percelleremur formidine, si nostris in sacrariis maiestatis suæ pompam omnem explicaret; vnde vt fidelem animam vti sponsam dilectissimam suos alliceret in amplexus, & coniugalem fiduciam eidem inspiraret, radiantem vultum in Sacramento operuit, iubar abscondit, latebras affectauit, haud nescius amorem & maiestatem


ieſtatem vix in vnâ ſede diu commorari poſſe; quidni igitur amet, eum, qui ne plus formidaretur, quàm amaretur, innatæ ſibi gloriæ inſignia exuit? Quidni præamantem ſponſum redamet? quandoquidem teſte Auguſtino l. de catechizandis rudibus c. 4. *Nulla maior eſt ad amorem inuitatio, quàm præuenire amantem, & nimis durus eſt animus, qui ſi dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Amet ergo amabilem ſponſum, qui ſub ſpeciebus Euchariſticis *latet vt melius iungatur amanti.*



GEMMÆ.

EMBLEMA XCIX.

GLOBVS GEMMEVS IN VARIOS LAPIDES PRETIOSOS DISSILIENS.



GEmmeus ecce globus, ſolis pulcherrima proles,
E gemitu erumpit parturientis humi.
Sub terræ latebris quum iam maturuit, vltrò
Subſiliens matris prodit hiante ſinu.

Grandine gemmarum pretiosum soluitur ouum;
Eximiasque operit quas premit intus opes.
Ad gemitum gemmis inhians celer aduolat Indus,
Et radiosa legens frustula, diues abit.

APODOSIS.

Sub sacris latitat globus excellentior vmbris,
Quo nihil immensus rarius orbis habet.
Quanta coarctatur gemmarum copia stricto
Limite! quale iubar, quantaque gaza poli!
Virtutum grauidus gemmis, quot frustula spargit;
Chrysolithos totidem, sardonichasque vomit.
Delitet in nitidi fragmento quolibet orbis,
Tota Trias, totus Christus, & alma caro.
Nonne Trias adamas adamabilis omnia supra?
Non splendens Iesus, vnio, onyxque caro?
Accurras quicunque cupis ditescere, gemmas
Virtutum omnigenas conferet iste globus.
Nec, nisi dissiliat poterit ditare; dolore
Cor tibi dissiliat, dissilietque globus.

FONS EMBLEMATIS.

TErrestres quosdam globos (quos coccos vocant) terra parit in occidentali Indiâ; ego dixerim illos oua solis: creantur sub terra, ad statum tempus maturescunt; tunc edito ingenti strepitu disrumpitur terrâ, & globus subsiliens, spargens in ipsâ fractione varias gemmas, quibus infectus delitebat, amethystos, topazios, & alios laoides crystallinos. Notus iam Indis gemitus ille parturientis humi, statim quærunt, quâ sonus venerat, grandinem pretiosam. Ita Nierembergius lib. 16. Natur. c. 1.

INTERPRETATIO.

1. GLobus gemmeus adorabilis Iesus orbiculari conclusus hostiâ, cuius gloriosi corporis quot partes, tot censentur adamantes; cuius pretiosi sanguinis quot guttæ, tot gemmæ; cuius beatæ humanitatis quot radij, totidem chrysoliti. Globus iste ab æquis rerum ponderatoribus supra omnes vtriusque Indiæ diuitias æstimatur, quoniam non est digna ponderatio auri & argenti in comparatione illius; ab iniquis verò & infidelibus vulgo despicitur, nec pro merito suspicitur, quoniam non fidei, sed carnis oculo conspicitur, cum nihilominus solâ fide pretium eius agnoscatur. Omnis gloria eius ab intus, vnde à piis fidelibus, pro dignitate ponderatur, quod illius dignitas fidei lumine penetretur. Ita verò inæstimabilibus gemmis infertus est intus, vt quolibet illius frustulo omnes vnà diuitiæ delitescant. Verè siquidem cecinit Doctor Angelicus in Eucharistica prosâ:

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.

2. Quis autem gemmas, quibus grauidus est, explicet? nũquid triangularis adamas, sanctissima Trinitas? nunquid incomparabilis margarita Diuinitas, cuius pretiosa frustula, gloriosa sint attributa? Nunquid beata Saluatoris anima gloriæ lumine perfusa, & beatificæ charitatis ardore succensa, carbunculus est flammeum iubar anhelans? an non eius venerandum caput & corpus tot rutilat sardonicibus, quot spinarum, verberum, clauorumque cicatricibus? An non diuini cruoris stillulæ, toti-

dem non maris Erythræi, ſed Empyrei gemmulæ? neque tamen gemmeus Euchariſtiæ globus omnes promiſcuè locupletat, quia nemo illius fruitione diteſcit, niſi cum diſſilit; iis autem ſolummodo diſſilit, quibus corda verè dolore contrita, præ nimio charitatis æſtu diſſiliunt. Illo verò in pretioſa diſſiliente fruſtula, nullus eſt qui non breui euadat opulentus, niſi forſan in iis colligendis nimium exiterit lentus: cuius enim amor prorſus eſt violentus, illico de ſparſarum collectione gemmarum efficitur opulentus. Nonne de illius fruſtulo, hoc eſt de ſacratiſſimæ hoſtiæ fragmento, ſupra modum ditatus eſt Seraphicus Doctor, innumerabiles in eo margaritas adeptus? Proinde minimè deinceps opus eſt Indias peruagari, aut terrarum orbem circuire ad varias vtriuſque ſolis opes comparandas, quandoquidem vnicus Euchariſtiæ globus cuilibet obuius excellentiores cœli gazas anguſto ſinu coërceat. *Hoc nil orbis habet pretioſius orbe.*



AROMATA.
EMBLEMA CENTESIMVM.
STACTE MYRRHÆ CORTICE SPONTE FLVENS, PRETIOSIOR.



MYrrha perexiguis hirsuta arbuscula spinis,
Corticis incisi vulnere sudat opes.
Inter aromaticos Stacte pretiosa liquores
Non violenta adamat vulnera, sponte fluit.

Suauius hac lacrymâ condita cadauera ſpirant,
Vel minimas ſordes purus abhorret odor.

APODOSIS.

Myrrha Redemptoris corpus; ſpontanea ſtacte eſt
Diuini calicis fuſus amore liquor.
Dulcius emanans ſanguis ſine vulnere fragrat;
Aptior hæc noſtris gutta medela malis.
Quas furor hoſtilis lacrymas expreßit hiulco
Cortice, non tanti duco, nec inde linor.
Horrorem incutiunt virgæ, crux, lancea, claui;
Quo ſpumant calices gratior ille cruor.
Ecquid inhorreſcis crebros ad ſanguinis hauſtus,
Quem tibi manantem ſponte propinat amor?

FONS EMBLEMATIS.

IN Arabiæ ſaltibus myrrha prouenit, cuius radices, vt vitium, raſtris proficiunt, ablaqueationibus gaudent, nudatæ pinguiore fluunt lacrymâ: ſponte manans pretioſior ex eâ ſudor eſt, elicitus corticis vulnere vilior iudicatur. Cortex in vertiginem flexus, & ſpinis hiſpidus, folium oliuæ ſimile. Ita Solinus c. 36. ſequutus magiſtrum Plinium l. 12. c. 15. de myrrhæ arbuſculis ita diſſerentem: Inciduntur bis & ipſæ, iiſdemque temporibus (id eſt ſicut thuriferæ arbores, quæ æſtate & hyeme inciduntur ad autumni, veriſque vindemiam) ſed à radice vſque ad ramos, qui valent. Sudant autem ſponte, priuſquam incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur.

INTERPRETATIO.

1. VT Stacte, quam myrrha ſponte ſuâ, priuſquam incidatur, exudat, huic præfertur la-

crymæ, quam violenta corticis ſciſſura elicit: Ita plane cruor Dominicus qui ſponte ſuâ, feruenti diuinæ charitatis æſtu, in Euchariſticum calicem effluxit, ſuauior ab Eccleſiâ iudicatur, eo, quem verberum, ſpinarum, clauorumque cuſpides, ex inciſo myrrhæ noſtræ myſticæ cortice violenter elicuere. Prior cruoris effuſio in epulo, deliciis affluit, quia ſpontanea; poſterior in patibulo horreſcit ſuppliciis, quia violenta. Sponte in Euchariſticâ cœnâ ſanguinis ſui ſtacten ſudauit, Diuini amoris auſtro aromaticum propriæ humanitatis hortum perflante, ſuaui tepidoque flabello: violenter in Caluariæ lanienâ turbidum è ſciſſuris aroma profudit, ſæuiente Iudaici furoris Aquilone. Porro vt amoris auſter, furoris aquilone iucundior; ita prorſus ſpontanea Euchariſtiæ ſtacte, violento Caluariæ aromate videtur Eccleſiæ gratior, ſuauior, & fragrantior. Hinc amabilis ſponſa Cant. 4. 16. optat hoſtilis furoris Aquilonem ſurgere & abire longius; diuini verò amoris auſtrum hortum ſuum iugiter perflare, vt ſponte fluat diuini ſanguinis aroma: *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata.* Violentæ igitur cruoris effuſionis Author furor Iudaicus, ſpontaneæ amor Chriſti infinitus, quo ſuos in finem dilexit: in hoc enim vehementiam ſui erga nos amoris oſtendit, quòd antequam clauis corpus eius incideretur; ſponte ſuâ cruorem effudit. Audi Chryſoſtomum ho. 24. in 1. ad Corinth. *Non tantum ſanguinem effudit, ſed nos eius participes effecit. Quid hoc admirabilius? dic quæſo? quid amabilius? hoc & amantes faciunt, cum amatos intuentur alienorum cupiditate allectos, propriis elargitis ſuadent, vt ab illis abſtineant: ſed amantes quidem in pecuniis, veſtibus, poſſeſſionibus hanc oſtendunt cupiditatem, in*

proprio sanguine nemo vnquam. Christus autem & in hoc curam & vehementem in nos dilectionem ostendit. Inenarrabilis enim amoris argumentum exhibuit, dum nulla vi, sed sponte cruoris stacten exudans, eamdem nobis ad bibendum propinauit.

2. At, inquis, nonne eadem myrrhæ arbuscula in monte Sion, & Golgotha plantata? nonne idem Iesus in epulo, & in patibulo? nonne vtrobique idem aromaticus liquor? idem omnino cruor? quî fit igitur, vt sponte fluens sit suauior & pretiosior? Reuera quamuis idem planè sit sanguis, quo sacri spumant calices, & quo Golgothici rubent silices, eiusdemque valoris & pretij, nimirũ infiniti, ab eadem Verbi personâ necessario fluxu deriuati, gratiorem tamen fragrantiam exhalat sponte stillatus in Eucharistiâ, quam violenter elicitus in Caluariâ. Quippe liquor iste alioquin purissimus & suaueolens, quandam, vt ita loquar, graueolentiam ex funestis passionis Dominicæ circunstantiis, ex Iudæorum liuore, gentium furore, Sacerdotum blasphemiis conuitiisque, quasi quibusdam admixtis fæcibus contraxerat, adeo vt luto permixtus, equorumque ac carnificum pedibus proculcatus non mediocrem haurire cupientibus horrorem ingeneraret. At verò qui sponte, nullo prius inflicto vulnere, de venis arteriisque Domini manauit, longè purior, ac defæcacior, ac proinde suauior ac fragrantior extitit, quòd solius amoris iaculo fuerit elicitus, non de lacero, saucio, & semianimi corpore, sed viuido, & vegeto, & paradisæum suffitum exhalante. Siquidem Christi cruor in Eucharisticâ cœnâ quasi botrus Cypri in vineis Engaddi, non torculari crucis expressus, non vindemiatoris pede protritus, sed præ nimia musti copiâ sponte dis-

ruptus, pretiosum calicem, quo deinceps animæ fideles inebriarentur, impleuit, cuius potus in posterum non horrori foret, sed honori; iuxta illud Eccles. 24. 23. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Hoc est, interprete D. Thoma opusc. 58. *vinum honoris ortum de flore vitis est sanguis Christi pretiosus, natus de virginitate. Multum itaque commendat sanguinis Christi pretiositatem & nobilitatem, quod à nullâ, vt alius sanguis, corruptione, sed à virginali flore sumpsit exordium.*

3. Equidem vt humanum sanguinem in propriâ specie de vulnere recenti manantē exsugere barbarum prorsus & inhumanum est: quod prima fronte videatur horribilius sanguinem auidis labris haurire, quàm fundere: Ita sanguinem Domini verè diuinum & humanum sub alienâ vini specie bibere non solum humanum est, sed etiam diuinum. Nemo sine horrore dominicum cruorem è latis profundisque manuum, pedumque vulneribus fluentem bibere posset, quem nunc summâ cum voluptate è pretioso calice distillatum bibit. Vnde hoc, nisi quia violenter in cruce promanat, sponte autem ex Eucharistico calice distillat nullis fæcibus turbidus, sed limpidus, proindeque magis ad potũ idoneus? Fuerit igitur violenter effusus humanæ redemptionis pretium, at non nisi sponte stillatus potuit Ecclesiæ sitientis esse poculum. Appositè B. Laurentius Iustinianus ser. de Euchar. *Semel pro te datum est pretium, sed quotidie consecratur poculum, tibique apponitur, vt bibas. Bibas, inquam, vt inebrieris, non vino in quo est luxuria, sed amore, sed exultatione, sed iubilo. Inebriat profectò calix iste sanguis Domini, ex toto corde diligentem alienat à se, & copulat Christo quem sumit. Ipsum Dominum audi per Prophetam dicentem: Et calix*

meus inebrians quàm præclarus est. Fœcundum namque ſapientiâ, fœcundum virtutibus, moribus redimitum & ſanctitate conſpicuum reddit cum dilectione bibentem. Certè B. Magdalena crucifixos dilectiſſimi magiſtri pedes amanter oſculans, nunquam de lambendo illius calido ſumantique ſanguine cogitauit: quippe nouerat tunc illum dari in pretium, non ad potum. Eumdem verò poſtmodum ab Apoſtolis ſibi propinatum ingenti cum delectatione auidiſſimè bibit, vtpote limpidiorem, fragrantiorem, ſuauiorem. Quis enim ineffabiles explicet delicias quibus fideles animæ nectareo calice madidæ perfunduntur, quibus bibere ſit viuere, mori verò à potu abſtinere? Hinc B. Maria Oegniacenſis, vt refert Iacobus de Vitriaco, *nonnunquam cùm ſitim vitalis ſanguinis Domini diutius ferre non poſſet, poſt Miſſarum ſolemnia, petebat ſibi copiam fieri, vel nudi calicis in altari diu conſpiciendi.* Nimirum vt illius aſpectu ſitientis, deſiderantis, anhelantis ardor vtcunque temperaretur. Cœleſtis enim epuli nectar, & beatæ immortalitatis ambroſiam redolet calix Euchariſticus, & ſupra omnia regum pocula ſapit vel minima aromatici liquoris guttula, vtpote non vi, ſed ſponte, ſolius amoris vulnere, qua ſtacte, de myrrhæ noſtræ cortice deflua: *præcellit quæ ſponte fluit.*

FINIS CENTVRIÆ primæ Emblematum.

Si quid in hoc primo Orphei Euchariſtici volumine humana deliquit infirmitas, S. Matris Eccleſiæ Romanæ correctioni lubens ſubiicio. Si quid laude dignum Deus abſconditus ſuggeſſit, eidem vltro conſecro.

Soli Deo honor & gloria.

COPIE DV PRIVILEGE du Roy.

LOVYS par la Grace de Dieu Roy de France,& de Nauarre,A nos Amez& Feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel ,Baillifs, Senechaux, Preuosts, leus Lieutenants, & à tous nos Iusticiers, & Officiers qu'il appartiendra, SALVT. Nostre bien-aymé Frere AVGVSTIN CHESNEAV, Professeur en Theologie, Religieux Augustin de la Communauté de Bourges,Prouince S.Guillaume, Visiteur & Prieur des Augustins reformez de Poictiers de la mesme Prouince & Communauté, Nous a fait remonstrer qu'il a composé vn Liure latin intitulé *Orpheus Eucharisticus, siue Deus absconditus Humanitatis illecebris illustriores mundi partes ad se pertrahens, vltroneas arcana maiestatis adoratrices.* Diuisé en plusieurs Tomes,chacun contenant cent Emblemes historiques, en tailles douces, expliquées en vers & proses latines, à la gloire du Tressaint Sacrement de l'Autel, duquel ouurage les tailles douces peuuent estre separez. Mais craignant qu'apres le trauail de plusieurs années, & grands frais employez, tant pour les desseins nouueaux, & graueure desdites tailles douces, que l'impression du Liure, quelques vns ne voulussent entreprendre de faire imprimer ledit Liure, & coppier lesdites tailles douces, pour les vendre auec ledit Liure, ou separement,ou mesme par intelligence qu'ils auroient auec les estrangers, leur faire imprimer ledit Liure, & coppier lesdites

tailles douces, pour en faire en suitte le debit dans
nostre Royaume, ce qui tourneroit au grand preiu-
dice de l'exposant, s'il n'y estoit pourueu de nos
lettres necessaires, humblement requerant icelles.
A ces causes desirant bien fauorablement trai-
cter ledit exposant, luy auons permis & octroyé,
permettons & octroyons, de grace speciale, par ces
presentes, de faire imprimer lesdits ouurages en
plusieurs Tomes, & grauer lesdites tailles douces,
par tels Imprimeurs, Libraires, & Graueurs que
bon luy semblera, en tels Volumes, characteres, &
tant de fois que bon luy semblera, comme aussi de
traduire, ou faire traduire en langue Françoise les-
dits ouurages, durant le temps & espace de dix ans
à commencer du iour que chacun Volume sera a-
cheué d'imprimer. Deffendons à tous Imprimeurs,
Libraires, & Graueurs, & autres persónes de quel-
que qualité qu'ils soient, d'imprimer, grauer ou fai-
re Imprimer & grauer vendre & distribuer d'autre
impressió & graueure, que de celle de l'Impr. & Gra-
ueur, ausquels ledit exposant aura transporté ledit
Priuilege. Cóme aussi de debiter lesdits ouurages,
& tailles douces imprimées ou copies par les estrá-
gers, par toutes les terres & seigneuries de nostre
obeyssance, sans le consentement dudit exposant,
ou de ceux ayant charge de luy, sur peine de con-
fiscation des Exemplaires, & de trois mil liures
d'amende, le tiers à nous, vn tiers aux pauures en-
fermez, & l'autre tiers audit exposant, & de tous
despens dómages, & interests enuers luy, à la char-
ge d'en mettre trois exemplaires, à sçauoir deux
en nostre Bibliotheque à present gardée au Cóuent
des Cordeliers, en nostre ville de Paris, & le troi-
siesme en celle de nostre cher & feal le sieur Se-

guier, Chancelier de France, auant que les exposer en vente, à peine de nullité des presentes. Si vous mandons que tout le contenu en ces presentes vous fassiez souffrir, vser & jouïr pleinement & paisiblement ledit exposant, & ceux qui auront pouuoir de luy, sans souffrir qu'il leur soit fait, ou dõné aucun trouble,ou empeschemẽt. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'executiõ desdites presentes tous actes, saisies, & exploits necessaires, sans demander autre permission, nonobstant oppositions, ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande, & autres lettres à ce contraires. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin vne coppie des presentes, ou extraict d'icelles, elles soient tenuës pour deuëment signifiées. Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le vingt-huictiesme jour d'Aoust, l'an de Grace mille six cent cinquante six, & de nostre regne le quatorziesme, signé par le Roy en son Conseil Ceberet,& scellé du grand Sceau de cire jaune à simple queuë.

Ledit R.P. Chesneau a traicté dudit Priuilege auec Florentin Lambert Marchand Libraire à Paris, comme il apert par acte passé pardeuant Notaires le 30. Aoust 1656.

Registré sur le Liure de la Communauté le 20. Feurier 1657. conformement à l'Arrest du Parlement du dixneufiesme Auril 1653. à condition que le present Priuilege sera transporté à vn Marchand Libraire ou Maistre Imprimeur.

BALLARD Scindic.

APPROBATIO LECTORVM in ſacra Theologia ex Ordine S. P. Auguſtini.

NOs infraſcripti ſacræ Theologiæ Lectores Communitatis Bituricenſis Ord. Erem. Sancti P. Auguſtini, fidem facimus, Nos de mandato Reuerendi admodum P. Theophili Daguindeau, eiuſdem Communitatis, & Ordinis Prouincialis, librum perlegiſſe, cui titulus eſt *Orpheus Euchariſticus, &c.* à R. P. Auguſtino Cheſneau, Priore Pictauienſi, ac Prouinciæ noſtræ Viſitatore compoſitum, in quo nihil quod fidei orthodoxæ, aut bonis moribus aduerſatur reperimus; ac proinde prælo mandari poſſe in bonum publicum cenſemus, in quorum fidem ſubſignauimus, datum Pictauij die prima Nouembris anni 1656.

F. SIMEON LE PAGE
Lector ſacræ Theologiæ.

F. A. PROVST Eremita Auguſtinianus & Lector in ſacra Theologia.

APPROBATIO R. ADMODVM P. Prouincialis eiuſdem Ordinis.

NOs Frater Theophilus Daguindeau, Auguſtinenſium Prouinciæ ſancti Guillelmi, aliàs Communitatis Bituricenſis Prior Prouincialis, viſa atteſtatione Patrum Theologorum, quibus examen commiſimus Libri, cui Titulus, *Orpheus Eu-*

charisticus, &c. editi à R. P. Augustino Chesneau, Conuentus nostri Pictauiensis Priore, & Prouinciæ nostræ Visitatore, libenter annuimus vt prodeat in lucem, & typis mandetur: datum in Conuentu nostro Barroducæo die 14. Februarij 1657.

F. THEOPHILVS DAGVINDEAV
Prouincialis.

APPROBATIO DOCTORVM in sacra Theologia ex alma Facultate Parisiensi.

NOs infrascripti sacræ Theologiæ in Facultate Parisiensi Doctores, vidimus & legimus librum, cui Titulus est, *Orpheus Eucharisticus siue Deus Absconditus, &c. Tomus primus.* Authore P. Augustino Chesneau Victreensi, Communitatis Bituricensis Ordinis Eremitarũ sancti Augustini sacræ Theologiæ Lectore, quem luce dignissimum iudicauimus, vt qui eruditione & pietate plenus, & ad venerandũ, colendumque Sanctæ Eucharistiæ Sacramentum Lectoribus vtilis. In cuius rei fidem subscripsimus, die 1. Martij 1657.

L. BAIL.
I. DVMETS Doct. Sorbon.



SERIES EMBLEMATVM
EMBLEMA PROOEMIALE.

Humana sacra.

Humana profana.

Aues.

Quadrupedes.

Pisces.

Serpentes.

Insecta.

Zoophyta.

Arbores.

Flores.

Plantæ.

Fructus.

Aſtra.

.Meteora.

Montes

Fontes.

Fluuij.

Gemmæ.

Aromata.





INDEX RERVM.

QVÆ hîc subijcitur posterior tabella, de
thesauro Dei absconditi, compendio quo-
dam diuitias profert. Quibus vt fruatur
candidus Lector, quæ sequuntur notet & aduertat.
1. Hîc non esse obseruandos paginarum nume-
ros, vt in priori Indice, sed Emblematum ordinem
sequendum cum suis numeris. 2. Vocabula quæ-
dam sic breuiata, vt E. significet Emblema. M. me-
trum seu poësim. F. fontem seu ea quæ in fonte ia-
cent. I. interpretationem; quæ littera, si sola repe-
riatur, designat ea quæ requiris, per totam inter-
pretationem sparsa esse. Item numeros post Stel-
lulam additos pertinere ad interpretationem Em-
blematis proximè notati. Denique vbi habetur E.
per totum, recurrendum esse ad longiorem titulum
in præcedenti indice positũ, & tunc per totum Em-
blema tam proprietates rei quæ inuestigatur, quàm
allegoriam & historiam explicari. Idem per pro-
portionem iudicandum de oratione panegyrica
designatâ per has literas Pan. & Præfatione per
istas Præf. additis numeris conuenientibus.

A.

Accipiter.

Adamus.

Ætna.

Agnus.

Album.

Alimentum.

Amicitia, amor.

Angeli.

C

Cæcus.

Calix Euchariſticus.

Caro.

Chriſtus.

Christus in Eucharistia.

Columba.

Conuiuæ. Conuiuium.

Cor IESV.

Creaturæ.

E.

Eucharistiæ dignitas.

Euchariſtiæ productio.

Euchariſtiæ ſuſceptio, & diſpoſitio ad illam.

Domus

Frequens Euchar. *Susceptio.*

Peccata in Eucharistiam.

Mira & Prodigia per Euchariſtiam.

Euchar. effectus.

Ritus ad Euchar. pertinentes.

Exercitus.

F.

Filius.

Formicæ.

Genuenſis Eccleſia.

Globus

Granadilla Indica.

H.

Hæretici.

Hypocriſis.

I.

Ioſephus.

Iudas Iſcariotes.

L.

Lacrymæ.

ſus, nutrimenta ignis incendat. Sic ille.

INTERPRETATIO.

1. NVllum aptius libidinis hominem interius & exterius fœtido ardore conſumentis Hieroglyphicum, quàm ſulphureum Æthnæi montis incendium. *Quid enim eſt aliud ſulphur*, inquit, S. Greg. l. 14. mor. c. 10. *niſi fomentum ignis? verumtamen ſic ignem nutrit, vt fœtorem grauiſſimum exhalet. Rectè igitur in Sulphure peccatum carnis accipitur, quod dum peruerſis cogitationibus quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æterna incendia præparat; & dum fœtoris ſui nebulam in mente reprobâ dilatat, contra eam, flammis ſubſequentibus, quaſi nutrimenta ſubminiſtrat. Quòd enim per ſulphur fœtor carnis ſignetur, ipſa ſacri eloquij teſtatur Hiſtoria, quæ contra Sodomam pluiſſe ſulphur & ignem, Dominum narrat; qui cum carnis eius ſcelera punire decreuiſſet, in ipſâ qualitate vltionis notauit maculam criminis: ſulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruerſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit vt igne ac ſulphure perirent.* Equidem vt Æthnæ ſolum bituminoſum ventorum flatibus permeabile generãdis nutriendiſque ignibus peridoneum eſt; ita caro noſtra tenuis ac fragilis, interno peccati ſuccenſa fomite, facilè flante nequiſſimo ſpiritu exardeſcit in libidinem, & infamis luxuriæ mephitim exhalat.

2. Quem verò potentiorem obicem graſſanti intus incendio homo fætido ardore cinereſcens opponat, quàm virginale Dominicæ carnis velum, quo diuinæ gloria maieſtatis noſtris attemperatur aſpectibus, ad cuius ſplendorem mortalis oculus conniueret, niſi interpoſitum humanitatis & Sacramentalium ſpecierum velum, emicantia gloriæ

fulgetra retunderet? Velum illud est Virginis & martyris, vtpote quod non solum adorandam Triadem, quæ ex Gregorio Nazian. *Prima virgo est*, sed & ipsam Christi humanitatem, quæ simul martyr & virgo est, obuelat. Hoc velum aduersus libidinis incendium frequenter opponere didicerat S. Alexius, cuius ope inuiolabilem, inter innumera Veneris incentiua, seruauit integritatem. Nimirum Eucharistiæ velo obumbratus, inter coniugalis amoris tædas miraculosè frigescebat. *Sedat enim Eucharistia sæuientem membrorum legem*, ex S. Cyrillo Alex. l. 4. in Ioan. c. 17. & vt ait Ambros. ser. 19. in Psal. 118. expendens illud Threnorum 4. 20. *In vmbra tua viuemus in gentibus: Vmbra tua caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerauit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuersarumque passionum incendia temperauit.* Scilicet, *Sacris cedunt incendia velis.*



adductum, qui ante portas ſtabant, & ad templum adduxerunt. Ipſe autem traditâ Sacerdotibus hoſtiâ, & ampliſſimâ militibus annonâ in caſtra rediit. Regis clementiam & religionem admirati Iudæi, feſto peracto, depoſitis armis, vltrò ſe in illius fidem dederunt. Quippe Hyrcanus laudans eius modeſtiam, & animaduertens ſtudium ipſius erga Deum, petiuit ab eo vt patriam eis conuerſationem reſtitueret; qui ad omnem pietatem flexus, legatis id conceſſit, & obſidionem ſoluens diſceſſit.

INTERPRETATIO.

1. SEntentiosè Seneca l. 1. de Clementiâ *Nullum*, inquit, *ornamentum principis faſtigio dignius, pulchriuſque eſt, quàm illa corona ob ciues ſeruatos, non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc diuina potentia eſt gregatim, ac publicè ſeruare, multos autem occidere & indiſcretos, incendij ac ruinæ potentiae ſt.* Id altâ mente repoſuerat Antiochus rex, qui religioſus dictus eſt, dum memorabili pietatis, & clementiæ exemplo, maluit Iudæos humanitate ſibi deuincire, quàm armorum vi vincere, & ſubiugare, ac de eorum potius cordibus, quam de vrbibus triumphare. Hoc illuſtrius præſtitit Rex regum Dei filius, ab aſſumptæ humanitatis inſtanti, non ſolùm homo, ſed & humanior factus erga homines. Quippe cùm in veteri teſtamento mortales perduelles læſæque diuinæ maieſtatis reos, diluuio, ſulphureis imbribus, incendiis, bello, fame, peſte, cædibus, ad ſpontaneam deditionem adigere vix potuiſſet, maluit deinceps amore quàm furore pugnare, & illuſtriorem triumphis omnibus victo-

riam magnificâ sui Corporis Hostiâ reportare. Mirum equidem est, ac stupendum, quot olim machinis cordis humani propugnaculum oppugnarit, vt veluti ruinosâ muri laceri labe tandem intus irrumperet. Etenim hostilem exercitum æmulabundus, qui vbi fulmineis glandibus muros rebellis cuiuspiam ciuitatis euertere nequit, flumini vrbem alluenti moles ingentes obiicere assolet, diuque frementes vndas, quasi carcere coercere, vt rupto demum aggere vehementiùs irruẽtes, muros euertant; aut ciues fatali vortice submergant. Primam hanc obsidendi viam tentauit, immisso Cataclysmo; sed irrito conatu: perstitit enim suo in facinore homo peruicax, diluuij licet fluctibus propemodum obrutus & submersus. Iterum humani cordis arcem nouis concutit machinis Deus exercituum, & vltionum Dominus, sulphureosque imbres quasi ignitas glandes, fulmineosque globos in infamem pentapolim vltrice dexterâ iaculatur: sed frustraneo rursus impetu. Durius quippe ipsis adamantibus cor humanum, nec flammis colliquefieri, nec ardentis sulphuris torrente potuit vnquam emolliri. Quid hîc agat aut moliatur Dei filius? circumspicit animo quâ sit in perduelles impressionem facturus; collatis omnibus cælestis exercitus copiis inuadit & oppugnat; plurimas Chiliades Angelorum, gladio cædit, bello, peste, fameque diuexat, neque tamen tam validâ oppugnantium impressione, arce potitur. Tamdem diuturnioris obsidionis pertæsus, carnis humanæ trabeâ indutus, armorum vi indomitos, blanditiis flectere nititur, fidem tentat, ad deditionem hortatur, iamque imminente Paschalis solemnitatis die, magnifico apparatu semetipsum immolans, victricem Proprij Corporis

Maria Deipara.

Miſſa.

Mors.

Nix.

Serpens.

Seruitus.

Species Euchar.

Spongia.

Triumphus.

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA CORRIGE, *legendo vt sequitur.*

PAgina 19. linea 21. lege suauius. pag. 26. lin. 14. Eucharistiam. pag. 39. lin. 17. quam de. pag. 42. lin. 8. S. Laur. lin. 16. Rhetorica pag. 56. lin. 1. quod acceperant. pag. 61. lin. 6. pelliciens. pag. 62. lin 1. abruptis. pag. 6.. lin. 21. nihil 69. lin. 10. præfatione. pag. 75. lin 20. quid. pag. 81. lin. 22. Indorum. pag. 87. lin. vlt. emundet. pag. 91. lin. 9. eumque. pag. 99. lin. .. primogenæ lin. .2. agunt. pag. 103. lin. 16. profanati 108. lin. 8. vindictam pag. 109. lin. 22. prodesmoris. pag. 134. lin. antep. auream. pag. 137. lin. 28. veluti. pag. 140. lin. 8. Ierosolymam. 146. lin. 16. est. 158. lin. 8. sacrilegis 161. lin. 20. sine macula. lin. sequenti; filius, luxuriosi sumunt. pag. 165. lin. 1. transiecit. pag. 179. lin. 14. ita totam lin. 27. exanimis pag. 188. lin. 22. gaudet ali. 189. lin. 20. videas. pag. 194. lin. 20. in hunc modum lin. 24. deinceps ab. 196. lin. 10. synaxi. pag. .04. lin. 1. ad mortem properare. pag. 205. lin. 5. quâ per peccatum. pag. 209. lin. antepen. aucupio. pag. 223. lin. 3. aureis. pag. 236. lin. 7. huiusmodi. pag. 241. lin. 6. sic. D. pag. 260. lin. 21. populi. pag. 262. lin. 13. edoceret. 275. lin. 19. Nouergia. 285. lin. 2. cibusque 281. lin. 1. quietam. pag. 298. curat Sanguinis, pag. 299. lin. vlt. collyrii. pag. 304. lin. 6. igneus alget amor; pag. 309. lin. 16. aperire. pag. 316. lin. 20. vnde. pag. 334 lin. 2. angustis. pag. 349. lin. 7. Quid. lin. 21. quisque pag. 350. lin. 16. quàm pag. 352. lin. 8. fragrantis pag. 360. lin. 31. audiuimus pag. 365. lin. 29. calcant. 368. lin. 5. exinaniens pag. 385. in fine, querimonia. pag. 388. lin. 11. Felices. ibid. culpæ. pag 401. paulò ante finem, pectus. pag. 402 lin. 28. eligis. pag. 407. lin. 4. perdere. pag. 425. lin. 8. effigie pag. 433. paulò ante finem coloribus. pag. 463. lin. 11. sustentare. lin. pen. græcam. 467. lin. 15. *ichthùs*. pag. 470. lin. 23. à colluuione. pag. 481. ini. versu expugnata. pag. 482. lin. 3. vitæ. pag. 494. lin. 10. lenitatem. pag. 495. lin pen. nisi pag. 502. lin 9. aliâque. pag. 508. paulò ante finem. quotidiana pag. 522. lin. 14. pectoris. pag. 524. nobilitatis indubitatum. pag. 535. lin. 13. quem aliis. pag. 546. lin. 1. legit pag. 549. lin 15. de diabolo. pag. 569. lin. 23. cuique propriâ. pag. 613. lin. 16. præcisio. pag. 614. lin. 4. periclitantur. lin. 26. antiquam. 624. in fonte primus versus ad Iuuen, secundus ad Petron. pertinet. pag. 654. paulò ante finem, Emblematici. pag. 691. paulò ante finem, lapides. 699. paulò ante finem, quia stacte.

Secundus locus pag. 685. citatus, non omnibus obuius, inuenitur etiam tract. 9. in Euang. Ioan. post medium.

Alios minores defectus, numero paucos, nullo negotio supplebit Lector vt vnius aut alterius litteræ, accentus, virgulæ, diphthongi immutationem, additionem, omissionem vel inuersionem: notabit etiam dictiones vno aut altero loco perperam vnitas aut diuisas.

FINIS.

Laudetur vbique & jugiter, sanctissimum
Altaris Sacramentum.




SPECIAL 86-B
26752
THE GETTY CENTER
LIBRARY

